This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

110

2941 e 114

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

Digitized by Google

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
DONDEY-DUPRÉ, impr.-lib. rue de Richelieu, n° 47 *bis*.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
JUL. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

Digitized by Google

OMNIA OPERA

QUÆ VULGO EXSTANT SUB NOMINE

L. A. SENECAE

PHILOSOPHICA

DECLAMATORIA ET TRAGICA

Digitized by Google

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

Digitized by Google

L. ANNAEI SENECAE

PARS TERTIA

SIVE

OPERA TRAGICA

QUÆ AD PARISINOS CODICES NONDUM COLLATOS

RECENSUIT

NOVISQUE COMMENTARIIS ILLUSTRAVIT

J. PIERROT

IN LUDOVICI MAGNI COLLEGIO RHETORICES PROFESSOR, NECNON IN ACADEMIA PARISIENSI ELOQUENTIÆ PROFESSOR VICARIUS

VOLUMEN PRIMUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXIX

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO NOVI EDITORIS.

Quum ad hoc exigendum Bibliothecæ Latinæ monumentum, quantulumcumque adminiculi allaturus, quondam accessi, quo nostra Gallia, externæ *philologiæ* dudum mancipata, ab erubescendo vectigali sese vindicatura tandem aliquando videbatur, tragœdias Senecæ (tertiam, pro divisione quæ instituta est, omnium quæ sub ipsius nomine circumferuntur operum partem) ex integro recensendas et perpetua annotatione illustrandas ultro libensque suscepi; non ut quæ inter præcipua antiquæ artis miracula numerentur, aut per se dignæ sint, quibus scrutandis multum studii et operæ exsudetur; sed forte tunc temporis iis potissimum expendendis intentus, quæ ad dramaticæ artis historiam pertinerent; non a consilio meo alienum existimavi, si hunc scriptorem evolverem pernosceremque, in quo omnia continentur latinæ tragœdiæ specimina, et qui inter antiquæ Græciæ ac recentioris ævi tragicos medius et quasi conterminus, utrosque imitatione aut saltem argumentorum similitudine contingit. Nec spernendus omnino ipse videbatur: licet enim tragœdias suas prave contexuerit, dramatis rudis artifex; licet Romanorum potius quam Græcorum mores in fabulis ex historia Græca desumptis plerumque effinxerit; licet, in exprimendis affectibus, frigida et declamatoria amplificatione eva-

Digitized by Google

gari soleat, inflataque et turgida pro magnis et excelsis sæpius adhibeat, Hispanæ memor magniloquentiæ et stoicæ superbiæ tenax; attamen multa passim elucent vel sincera et incorrupta sententiarum magnitudine, vel pressa et splendida dicendi brevitate insignia. Rhetor potius quam vates, sed in proferendis sapientiæ oraculis interdum eloquentissimus; inani profluentia tardus et implicatus, sed acutus idem et quandoque sublimis, is est Annæus noster, quem ut omnino admirari non sani sit judicii, ita nihili æstimare iniquius sit et fastidiosius. Qui nescit in Seneca præclara quædam et elata laudare, non dignus est qui Virgilii et Horatii meliore ingenio fruatur.

Ut cœpi mecum agitare quibus præsertim curis novam hanc latinarum tragœdiarum editionem commendare eniterer, tria statim reputanti occurrerunt, quibus efficiendis si quid est in me facultatis impenderem; nempe, ut 1° textus recensionem omnium Parisiensium, qui nondum explorati sunt, manu scriptorum codicum collatione adjuvarem, necnon præcipuas in consilium vocarem editiones, quæ sive apud nos, sive apud externos, ab inventa typographia, prodierunt; 2° notis instrueretur opus, quibus tum sententiarum expediretur connexio, et ipsæ per se sententiæ interpretatione non carerent, tum omnia explanarentur ad antiquitates, ad mythologiam, ad geographiam, ad latini denique sermonis usum pertinentia; 3° colligerentur et proferrentur

Digitized by Google

quæ vel Noster imitatus est, vel ex illo desumpta sunt, vel communia cum illo antiquis et recentioribus poetis fuere.

Prius quam de recensione, quod præcipuum in nostro labore fuit, disseram, pauca de locis ad comparationem allatis, et de perpetua prope sententiarum interpretatione, præmittam. Sunt enim qui istius generis curam non omittunt solum, sed et contemnunt, nec, salva philologiæ dignitate, suscipi posse arbitrantur. Ego contra cum gravissimis viris existimavi haud mediocris legentibus adjumenti fore hanc sententiarum copiam, ex græcis, latinis et interdum recentioribus scriptoribus accersitam, quibus aut ab Annæo pressius scripta explicantur, aut usurpata paulo insolentius verba ad latinæ fidem elegantiæ revocantur: quod quidem in eo præsertim perlegendo aptum mihi videtur, qui corruptæ tum literarum, tum linguæ latinæ salubritatis non testis modo, sed pro sua parte auctor exstitit, et melioris ætatis inventa et sermonem, dum imitaretur, depravavit, et in suum colorem traxit. Multa quoque ex Senecæ philosophi operibus non sine peculiari consilio attuli, quum nullo majore argumento approbari possit quam ingenii, doctrinæ, locutionum, verborum similitudine, unum et eumdem, quod mihi videtur, tragœdiarum et epistolarum philosophicarum auctorem fuisse. (Quanquam non omittenda judicavi quæ de tragœdiarum auctore præcipua scripta sunt, Lipsii, Heinsii, Pontani Dissertationes, et in primis Klotzschii et

Digitized by Google

Iacobsii opuscula, quorum unum, perrarum quidem, nobis benignissime misit Godofredus Hermannus, doctissimus celeberrimusque in Universitate Lipsiensi professor; alterum, ex *Nachträge zu Sulzers allgemeiner Theorie* excerptum, quod ex germanico sermone in latinum converti.)

Nec sententiarum explanationem, qua intellectu difficiliora dilucido verborum circuitu evolvuntur, minus utilem fore credidi. Multa enim in Nostro occurrunt, de quorum interpretatione nondum inter omnes convenit. Critici, quorum præcipuus in eo vertitur labor, ut varias lectiones scrutentur et momento suo ponderent, meminisse tamen, ut mihi videtur, debent, nonnisi ad rectius cognoscenda Veterum opera lectiones explorari; nec minus profuturum, si obscura, de quibus retinendis inter doctos constat, interpretatione illustrentur loca, quam si emendatione enodentur, quæ non rata sunt adhuc et certa codicum auctoritate constituta. Alii alio annotationum genere egent auctores: sunt quos sine auxilio intelligas, sive de rebus dixerint quæ animo facile comprehenduntur, sive ita dixerint, ut per se vel obscura et ardua non ægre admodum percipiantur: illi quidem cum legentibus suas sententias sine interpretum ope communicant. Longe aliter de Nostro habetur. Diffusus in rebus congerendis et idem in singulis exprimendis ultra modum concisus, intellectum moratur, et sententiarum copia quas necti non ita sit expeditum, et bre-

Digitized by Google

vissimo cujusque sententiæ contextu, quæ in se arctius implicatur et ægre quandoque dissolvitur. Gallicæ tragœdiarum latinarum translationes erroribus scatent: quarum novissima, in libro producta qui inscribitur *Théâtre complet des Latins*, 1822, vix a prava interpretatione discrepat, quam ediderat *Coupé* (1795). Si parum juvant translatores, annotatores saltem et critici, qui majorem plerumque curam et eruditionem afferunt, interpretando Tragico diluendisque operis ejus nebulis incumbant, non minus hac cura, quam ipsa recensione, de Nostro bene merituri.

De recensione bipartito loquar, referens primum quibus instructus auxiliis ad recognoscendas tragœdias accesserim, et demum quas judicandi leges et iis subsidiis utendi mihi ipse fecerim.

Ex primis Nostri editionibus, quæ ante decimum sextum sæculum prodierunt, duas in manibus habui, quarum altera a Carolo Fernando Parisiis, incerto anno, emissa est. De illa sic disserit Botheus, inter novissimos tragœdiarum editores doctrinæ laude insignis: « Editio Senecæ Tragici, omnium, ni fallor, « prima, quam, codice multo collato, Lutetiæ Pari- « siorum, incerto anno, typis imprimi jussit Carolus « Fernandus, commodata nobis est a politissimis Bi- « bliothecæ Desbillonianæ, quæ Manhemii servatur, « custodibus; quibus pariter atque doctissimis Biblio- « thecarum academicarum, quæ Berolini et Heidel- « bergæ sunt, præfectis de propensa erga nos volun- « tate sua, quas debeo, summas ago habeoque gratias.

Digitized by Google

— « Hæc editio, Maittairio, Deburio et Panzero non « visa, et in Gottingensis atque Heidelbergensis Aca- « demiarum aliisque multis Bibliothecis quum publi- « cis, tum privatis frustra quæsita, in auctione libro- « rum ducis *de la Vallière*, 330 libris argenti gallicis « vendita est. — Conspirat autem fere ista Car. Fernandi « editio cum Herbipolensi, quam primam censebat « Delrius, et Caietani Veneta, nec multum a vulgo « codicum abhorret, nisi quod nonnullis in locis et « Florentinam ostendit scripturam, et propria quæ- « dam quum in verbis, tum interpunctione habet, quæ « scire interest eruditorum. Quæ antiquissima editio « quoniam nunc ne nomine quidem cognita est, « haud gravati sumus descriptam a nobis Fernandi « præfationem nostræ subjicere; singulis autem tra- « gœdiis præfigenda existimavimus ibidem excusa « Hieronymi Balbi, docti adolescentis, argumenta me- « trica, quibus vulgarium minime exquisiti saporis « argumentorum tædium levaretur, etc. » Duo hujus editionis exemplaria in Parisinis Bibliothecis exstant, alterum in Bibliotheca Regia, accuratum et splendidum, quod utendum mihi benignissime tradidit, vir eruditus in primis et officiosus, *Van-Praët*, quo nullus, omnium judicio, promptior et paratior sit ad adjuvandos seu consiliis, seu librorum copia, quicumque profuturum aliquid literis moliuntur; alterum, lacerum quidem et attritum, in Bibliotheca vulgo dicta *de Monsieur*. Editio sane antiqua et archetypa, sed quæ parum differat ab illis decimi tertii

Digitized by Google

et quarti sæculi manuscriptis codicibus, quos in Bibliotheca Regia inveni et contuli.

Alteram ejusdem sæculi mihi suffecit Bibliotheca dicta *de Sainte-Geneviève;* quæ quidem in editionum indicibus memorari solet hoc nomine, *Veneta II, per Laz. Isoardum de Savigliano, cum comment. Marmitæ,* 1492. Cum primaria Car. Fernandi non convenit, et iisdem codicibus utramque non innixam satis apparet.

Frustra editionem quæsivi, quam testatur *Brunet* (*Manuel du libraire*) Parisiis excusam, anno 1500. Sed mihi non defuere et Juntina secunda, Florentiæ ex Ben. Philologi recensione edita (1513), et ea non spernenda, quam Parisiis excudendam curavit Ægidius Maseriensis, an. 1511. (Vide de hac edit. Notitiam literariam.) Necnon præcipuas omnes usque ad editionem Schrœderi (1728) diligenter expendi, quas ordine retuli initio Animadversionum in Herculem furentem et singulas tragœdias, et de quibus in Indice editionum pauca disserui. Novissimas præsertim Bothei et Badenii adhibui recensiones, quæ meam non mediocriter adjuverunt. Quid multa? Nullus fere fuit alicujus nominis et auctoritatis vel textus, vel commentarius, quo non usus sim, ut possem in Animadvv. meis notare, unde cœperit quæque emendatio, et quibus confirmata suffragiis ad nos pervenerit. Nam mihi destinatum ab initio fuit hanc novissimam editionem omnibus additamentis instruere, quibus cæteræ quasi colligi et repræsentari viderentur.

Digitized by Google

Inter Parisinos codices manuscriptos, eligi eos primum mihi placuerat qui et antiquitate, et scripturæ cura digniores fide comperirentur. Sed quum nullum invenirem, qui ante sæculum decimum quartum exaratus fuerit, quod auctoritatis demebat codicum novitas, numero saltem supplendum existimavi, conferendasque inter se et cum editis libris universas Bibliothecæ Regiæ membranas suscepi; non quæcumque manifesto librariorum errore, contra sententiarum integritatem et metri leges, irrepsere, sedulo relaturus; sed ex illa variarum lectionum sylva excerpturus, quæ salva tum oratione, tum compositione carminis recipi possent. Ex his membranis, quatuor tantummodo ad sæculum decimum quartum referuntur, 8260, 8026, 6395, 8055; cæteræ, ad decimum quintum. Præcipuæ sunt librarii peritia et accurato scripturæ nitore, quæ notantur signis 8260, 8026, 8030, 8035, 8033, 8262, 8036, 8028, 8032, 6377: reliquæ nullo mendorum carent genere, quæ occurrere in vulgaribus MSS. solent. Videtur codex 8035 aut ex editione Car. Fernandi exaratus, aut summa cura confectus, ad cujus propositum exemplar editio Fernandi conformaretur. In scripto, ut in excuso libro, non solum præmittuntur argumenta tragœdiarum ab Hieronymo Balbo latinis versibus contexta, sed hæc ipsa ad calcem adduntur carmina, quæ prælo subjectum opus declarant:

Carolus Fernandus lectorem alloquitur.

Qui legis altiloqui veneranda poemata vatis,

Digitized by Google

Musa cothurnato cui dedit ore loqui,
Hactenus antiquo nimium spoliata nitore,
Nunc tamen ad priscum visa redîsse jubar,
Te Balbi meminisse decet, qui, codice multo
Collato, hæc tribuit munera tanta tibi.
Multaque Vuolfgango debetur gratia, cujus
Hæc nitet artifici litera pressa manu.
Ite alacres igitur, paucis ne parcite nummis,
Quando potest minimo maximus auctor emi.

His collectis subsidiis, ubi manum admovi operi, id mihi primum præcepi, ut numquam vel meas, vel aliorum conjecturas auctoritati manuscriptorum veterumque librorum anteferrem, intelligenda exhibentium; tunc solummodo conjecturis locum esse arbitratus, quum nec vulgatam lectionem ullo modo possis interpretari, nec in priscis codicibus quidquam remedii inveniatur: alioquin receptis lectionibus adhærendum, etiamsi melius aliquid excogitari queat et probabilius. Non enim castigatum usque et perpolitum et omni numero absolutum scriptorem requirimus et exspectamus, sed qualem habuit Antiquitas, ut virtutibus, sic et propriis notabilem vitiis, quæ servari, non minus quam ipsas virtutes, ad tuendam operis integritatem confert. Quis dubitet quin sani aliquis judicii et acuti ingenii ita Senecæ textum mutare possit, ut reconcinnatæ et interpolatæ tragœdiæ magis quam ipsum Senecæ opus criticis placeant? Ipsum tamen Senecæ opus exhibendum, quale antiqua ætas mediæ tradidit, nativo et incorrupto colore, et ablegatis recentis philologiæ condimentis. Contra plerique receptas lectiones torquent exercentque, ne

Digitized by Google

occasione sui ostendendi ingenii careant; aut uno suo manuscripto ita gaudent et gloriantur, ut contra cæterorum librorum fidem multa, legentes non moratura, subvertant. Hoc in Gronovium in primis dictum putari potest, quem, doctrina sane et ingenii acumine excellentem, nulli secundum Veteres interpretandi laude omnes fatentur: sed Florentino suo plus justo confidere mihi videtur, quum non solum obscura et dubia, eo auctore castiget, sed clara ipsa nec sententias, aut sententiarum connexionem impedientia præpostere immutet, ne uni libro non pareat. Multum quidem profuit Florentinus codex: at singulares adeo propriasque lectiones præfert, et a cæteris Germanarum, Gallicarum, Italicarum Biblioth. MSS. usque eo discrepat, ut vix tenear, quin eum a librario humanitatis et literarum latinarum, quod insolenter fiebat, perito, non e verbo exscriptum, sed ex industria retractatum existimem, quasi textum Senecæ non tam servare, quam ingenio et judicio suo accommodare studuerit. Quas obtrudit emendationes semper significantes esse, et acutas interdum elegantissimasque nemo diffiteatur: si vero, quod licet suspicari, nihil essent aliud quam doctæ conjecturæ, non ultra unius viri opinionem valerent, et id tantum haberent ponderis, quod adderet ejus solertia. Attamen multi non dubitavere hunc librum, non modo deficientibus manuscriptis ducem sequi, quod nemo consideratus reprehenderit, sed etiam pluris quam cæterorum codicum universitatem unum

Digitized by Google

æstimare, in religionem ducta nominis reverentia, quasi nefas esset Gronovio, tanto viro, adversari. Hoc Schrœderus expertus est: namque a Cortio olim et Duckero exagitatus, quod omnia quæ *dixerat Magister* pro ratis non habuerit (quamvis, quæcumque in editione sua tragœdiarum (1728) de nonnullis Gronovii emendationibus disseruerit, non quicquam Gronoviani textus mutaverit), novissime a Badenio objurgatus est, Hamburgensis critici et codicis Florentini ultra modum fautore. Et me, Schrœderi imitatorem, carpant, qui ejus audaciam insectantur; si audax jure appeller, quod aliorum audaciam noluerim imitari; quod lectiones antiquas, temere et mutandi prurigine ablegatas, quandoque reposuerim; quod plerumque conjecturis, tum aliorum, tum meis abstinuerim, textum verum potius, quam meum, daturus. Ita enim mihi videtur; in hoc nostro Veterum scripta recognoscendi labore, perraro habet vis ingenii quo exsplendescat: judicio potius et cura, quam novum aliquid excogitandi solertia opus est. Intacta antiquæ artis monumenta servare, et, si temporis spatio subobscura videantur, interpretationis luce collustrare, ea sola nostræ operæ utilitas, et, in utilitate, gloria.

Unum rogaverim, si qui sint, ut erunt, quibus hæc recensionis ratio minus probetur; me quodcumque secus admisisse existiment, non incuria saltem et inconsiderantia lapsum arbitrentur.

J. PIERROT.

Digitized by Google

Sequuntur Lipsii, Heinsii, Pontani, Klotzschii et Iacobsii Dissertationes, quibus fere continentur quæcumque de singulis tragœdiis et de singularum auctore prolatæ sunt sententiæ.

Digitized by Google

J. LIPSIUS

FRANC. RAPHELENGIO FR. F. PLANTINIANO

S. D.

Quod serio tandem manum et mentem admoveris Senecæ tragœdiis, valde id nobis, mi Francisce, gratum. Et nonne diu tale aliquid oportuit, in hoc ingenio, in hoc otio? Illud adest, istud superest: nec culpa hic esse potest, nisi a deside voluntate. Atqui ingenium ut ferrum esse scito: splendescet, si utare: rubiginem contrahet, si recondas. Utere igitur; et imprimis ad hæc ista, quæ gratiam tibi apud me, apud avum, famam gignent apud omnes. Sed auxiliumne etiam a me poscis? ego consilio defunctum me putabam. Tamen et illud accipe: simul in his talibus veram vocem,

Αὐδᾶ ὅ, τι φρονέεις· τελέσαι δέ με θυμὸς ἀνώγει.

Nam amicissimi Plantini mei causa quid non velim? quid non et pro ista Plantiniana stirpe? quam Deus mihi sinat crescere rectam, et in recta virtutis via.

Tria petis. Quid de scriptore tragœdiarum sentiam? Quid de ordine? Quid habeam ad ipsas? De primo sic respondeo, scriptorem iis dari a me non unum: nec criticos nostros audio, qui aliter pertendunt. Stylum et elocutionem quisquis serio paulo magis examinat, non a me sentit? sentit, aut profecto nihil sentit. Discrimen nimis clarum. Octaviam et Medeam unius mentis et manus esse quis dixerit? quis Thebaida et Troada? peritus nemo judex, et cui purgatior paulo auris. Ego tres scriptores odoror, fortasse et quartum. Audi. Plerasque ex

Digitized by Google

istis Annæi Senecæ esse fateor (sive Lucium ei prænomen, sive Marcum : nam liber sane meus uno loco utrumque ambigue congerit), sed Senecæ novioris. Filiine illius, qui Philosophus? vix arbitror: nec scripta mihi suadeant tam bonum ævum. Trajani imperio, imo infra, si vixisse quemcumque hunc Senecam dicam, a vero non abibo. Certe a veteri illo alius est, vel Sidonio teste, cujus versus innotuere :

> Quorum unus colit hispidum Platona :
> Orchestram quatit alter Euripidis.

Etiam Terentiano :

> In tragicis junxere choris hunc sæpe diserti
> Annæus Seneca et Pomponius ante Secundus.

Nam tragicum hunc, ecce, posteriorem facit Pomponio : quem clarum est vixisse eodem cum grandiori Seneca, id est Claudiano ævo. Quod autem de hisce tragœdiis sentiant, liquet ex eodem Terentiano, apud quem versus cum Senecæ nomine, quos hodieque in Hercule furente legas :

> Exemplum et Senecæ dabo :
> « Thebis læta dies adest,
> « Aras tangite supplices :
> « Pingues cædite victimas. »

Is ergo unus scriptor. Quis alter? etiam Seneca; sed ille bonus, ille meus. Nam Medeæ cur non auctorem hunc audacter tribuam? Fabius impellit, qui semiversum ex ea hunc citat :

> ... quas peti terras jubes?

Et quidem Seneca auctore. Quis ergo alius Seneca uspiam ei nominatus, præter nostrum? Et certe si non hunc voluit,

Digitized by Google

nota aliqua aut verbulo (quæ ejus accuratio est) indicasset. Addo argumentum ab ævo, quo colligo eam scriptam ex hisce versibus:

Parcite, o divi, veniam precamur,
Vivat ut tutus, mare qui subegit:
Sed furit vinci dominus profundi
Regna secunda.

Quos omnino insitos decore et ingeniose in laudem Claudii, qui Britanniam tunc aperiebat, plane mihi sedet. At Seneca tunc vixit. Etiam stylus et tota scriptio hoc persuadent: quæ optima, et digna optimo illo scriptore. Sane qui Medeam attenta et substricta, ut sic dicam, aure leget, illustris ingenii fœtum fatebitur, et plane melioris viri, melioris ævi. En, duos scriptores habes: ubi tertius? latet: nec facile totum eum educam. Video, nec video: esse scio, sed quo colore et nomine, nondum. Hunc ego tribuo Thebaidi: quidni? ex stylo et tota conformatione ejus tragœdiæ tam mihi certum est, alium auctorem ei esse, quam me spirare. Confer, sodes, cum cæteris: quid simile? Œconomia diversa, sine choris, sine interruptione, continua quasi ad comicam. Scriptio tota uniformis, simplex, sine carminum ulla varietate: sed scripto (ita me Deus amet!) alta, docta, grandis, et quæ suo jure ambulet in cothurnis. Nihil usquam juvenile, arcessitum, fucatum: phrasis et verba lecta: sententiarum mira et inopinata acumina; et acumina virilia, fortia: quæ me quidem ita feriunt, ut non exciter solum ad ea, sed subsultem. Quid tale in aliis? audebo rem dicere. Scripti gemmula hæc est, et quam lubens retulerim vel ad Augusti ævum. Per bellum quidem civile eam scriptam, et ex argumenti electione suspicor, et ex versibus, qui quasi data opera huic rei inserti. Quidquid hujus est, tollenda sane ea, nec ultra calcanda pedibus ignari vulgi. Vos, critici, ponite et habete audacter inter prima romana

Digitized by Google

scripta (1). Quartus scriptor producendus est: sed ambigue. Nam nec novi, nec nimis affirmate de eo affirmem. Sentisco tamen eum in Octavia: quæ nimis mutare et abire videtur ab aliis tragœdiis, imo verbere eruditorum excipienda, non plausu. Considera: nec vide tantum, sed lustra: quid non in ea protritum, vulgare? imo et vile? quam multa rebus verbisque inepta? quæ piget excerpere et objicere tibi singillatim. Puer ego sum, nisi a puero ea scripta; certe pueri modo.

Habes de tragœdiarum scriptoribus meum sensum: addam et de ipsis. Duas duorum eximias censeo: quibus laudator ego, non censor. In aliis virtutes video, sed non sine mixtura vitiorum. Magnus Scaliger quod tam laudatum de his testimonium tulerit, ut etiam Græcis anteposuerit, an ex vero? non dixeris, nisi ad primas illas adspectu. Nam cæteræ profecto non ascendunt culmen istud laudis. Sonus in iis et granditas quædam tragica, fateor: sed nonne affectatio sæpe et tumor? Verba et dictio an usquequaque electa? Jam sententiæ probæ, acutæ, interdum ad miraculum: sed nonne sæpe et sententiolæ? id est fracta, minuta quædam dicta, obscura aut vana: quæ adspectu blandiantur, excussa moveant risum. Nec enim lumina, sed scintillæ sunt: nec veri fortesque ictus, sed, ut in somnio, parvi et vani conatus. Quas tamen ipsas crebro nimis et ad fasti-

(1) Critici, frustra a Lipsio compellati, Thebaida non solum inter prima romana scripta non posuere, sed etiam ad deteriores Senecæ tragœdias relegavere. Sic a Botheo citatus Aug. Buchnerus Epist. part. 2, 64: « Lipsius Troadas trivialis Magistri fœtum judicat, quæ « divina plane tragœdia, et reliquarum, quas Seneca scripsit, revera « princeps. Contra Thebaida ita attollit, ita admiratur, ut pæne adoret; « in quo qui assentiatur, neminem habebit, non qui vel paululum « biberit de Caballino fonte. Nempe de poetis judicare non nisi poe- « tarum est, idque non omnium, sed optimorum. » Vide et infra pag. xxxv et seqq. quid sentiat Dan. Heinsius de hoc Lipsii judicio. J. P.

Digitized by Google

dium inculcat, nec invenit, sed arripit : non tam sua fortasse quam ævi culpa, cui scholasticum et declamatorium hoc genus ita placuit, *ut operum omnium* (Fabii verba sunt) *solam virtutem sententias putarent.* Hæc noto, non ut nota poetam illum afficiam, sed ut te formem : discasque judicio, non præjudicio, uti, nec signare statim omnia linea alba.

Alterum quæsitum de ordine est : frustra. Quid enim hæres? nec unus in libris est (omnes fere variant), nec sane refert. In Plauto ad literam comœdiæ disponuntur : tu istas, ut voles. Nam in tempora cujusque fabulæ quid inquiras? supervacuum est. Sequere, si omnino aliquid a me vis, ordinem hunc bonitatis, et præeat vel Thebais, vel Medea.

Tertium erat, Si quid ad ipsas? Ego vero, etsi jam ante satis emendatas (hæc enim strictis versibus scripta arcent fere et cohibent malas manus) postremum etiam serio et industrie correxerit V. Cl. Antonius Delrio, æternum nobis amicus : tamen accipe et a me ista : quorum partem ab ingenio esse scies et subita inventione, quum tua causa paulo intentius legerem : partem a libro scripto veteri sane bono, quem habemus dono Paulli Melissi, magni vatis, etc. Habes, mi Raphelengi, quæ inter legendum, ut fit, ad oras notaveram mei libri : sed notaveram mihi. Nam describere hæc aut digerere in alienum usum, nec cogitavi unquam ἐν ὀνείροις, etc. Vale. Scripsi Lugduni in Batavis, nonis octob. cIↃIↃLXXXVII.

Digitized by Google

DAN. HEINSII

DE TRAGŒDIARUM AUCTORIBUS DISSERTATIO.

De tragœdiarum ordine jam alii egerunt, et hoc literarum judices juris sibi semper vindicarunt, ut quod vellent in istis sequerentur. Proximum est de auctore. Ac Senecæ quidem Medea a Fabio, Troades a Probo, Hercules furens a Terentiano, Hippolytus a Prisciano, Thyestes a Luctatio (sive is est Lactantius) tribuitur. Nos auctores quinque hic videmus, et non dubie agnoscimus. Quarum tres istas, Troadas, Hippolytum, Medeam, Lucio Annæo tribuimus: quem Philosophum vocant, et vixisse cum Pomponio Secundo satis constat. Fabius Instit. Orat. lib. VIII, cap. 3: « Nostri autem jungendo aut dividendo paulum aliquid ausi, vix in hoc satis recipiuntur. Nam memini juvenis admodum, inter Pomponium et Senecam etiam præfationibus esse tractatum, an « gradus eliminat » apud Attium in tragœdia dici oportuisset. » Duos ecce hos tragicos conjungit. Et hinc orta de decoro λεκτικῷ in tragœdia velitatio. Latine enim dici, post Horatium quis dubitaret? (Horat. Ep. I, 5, 26.) Scimus et Pacuvium ea voce usum fuisse. Et quod Euripides dixerat Medea:

> Παλαιὸν οἴκων κτῆμα δεσποίνης ἐμῆς,
> Τί πρὸς πύλαισι τήνδ' ἄγουσ' ἐρημίαν
> Ἔςηκας;

Hoc Ennius verterat,

> Antiqua herilis fida custos corporis,
> Quid sic extra ædes te exanimata eliminas?

Digitized by Google

Sed hos in plerisque impolitiæ censores literarii notabant. Attio plus tribuebant, imo principatum in tragœdia. Etiam Tiberii ævo nonnulli, ut Paterculus nos docet (Hist. Rom. I, 18). Quare, in summo operis auctore quid decore necne fieret, præclari isti viri quærebant. Omnium antiquissima Hippolytus videtur. Character æqualis, tersus, pura dictio, rarissima acumina et sine ulla ambitione. Troades divina, nec Latina minus. In qua illud notes, quod in Menalippe Euripidis, quam Sapientem vocabant, antiqui observant, Pyrrhi et Agamemnonis colloquium ἰσχηματισμένον esse. Nam ut ibi Menalippe Euripidem, ita hic Pyrrhus repræsentat Neronem, cujus ingenium et in ista ætate ferociam occulte expressit et sub Agamemnonis persona castigat. Pyrrhus est πρόσωπον ὑποκείμενον · Nero τὸ δηλούμενον. Eo spectant illa,

Juvenile vitium est, regere non posse impetum.

Et præclara illa,

Quo plura possis, plura patienter feras.

Et reliqua. Nam ut Græcus sub persona Menalippæ opiniones suas exponebat, ita Seneca sub Agamemnonis, tyrannorum mores ostendit. Quare quum partim Troadas illius, partim etiam Hecubam exprimeret, locum istum non invenit, sed dedit: sicut et personam utramque. Multum eo veteres delectabantur. Adducuntur verba a Grammaticis divina, quibus mortem Socratis in Palamede Euripides lugebat. Neque aliter ingratitudinem filii sui Iophontis traduxisse Sophoclem, fit verisimile. Ideoque διπλοῦν σχῆμα habere dicuntur: quia alius est repræsentans, alius qui repræsentatur. Hoc quoque ad Homerum referunt: quem de se nonnulla sub Demodoci persona innuisse, Platonici notarunt. Tertia est Medea; teste Fabio, et, ut quivis videt, ejusdem auctoris. Has tres miror exstitisse quemquam, qui ejusdem esse cum reliquis existimaret. Quatuor, Herculem furen-

Digitized by Google

tem, Thyestem, OEdipum et Agamemnonem M. Senecæ adscribimus. Ideoque et Senecæ nomine ab antiquis laudantur. Et in libris manu exaratis, modo Lucii, modo Marci invenias prænomen, in quibusdam utrumque, ut in optimo, quo usus est vir summus Justus Lipsius. Cæterum accurati judicis acumine est opus, qui suas cuique adscribat. Posteriorem hunc Tragicum vocant. Paulus Diaconus Hist. Miscell. lib. VIII: « Hujus (Neronis) temporibus poetæ pollebant Romæ Lucanus, Juvenalis et Persius, Senecaque Tragicus, Musonius, atque Plutarchus philosophi. » Sidonius (carm. 9 ad Magnum Felicem):

> Quorum unus colit hispidum Platona,
> Incassumque suum monet Neronem;
> Orchestram quatit alter Euripidis.

Alterum autem etiam poemata scripsisse, et quidem crebro, vel Tacitus, ut alios omittam, nos docet. Cæterum quum duæ sint tragœdiæ partes, altera uniformis et ejusdem metri, quam κατὰ στίχον ideo vocant, quæ excepto choro omnia complectitur et iambum non excedit, altera, quæ variis utitur metris, pars nimirum chorica, hinc nonnumquam differentias critici notabant. Ita Sophocles pericommatis, antistrophicis maxime delectatur Euripides. Latini quum has differentias ignorent, versibus tamen differunt: quos aut eosdem ponunt, aut cum aliis jungunt. In tribus istis Lucii chori fere ex hendecasyllabis sapphicis, anapæsticis, choriambicis, glyconiis constant: quibus alii interdum extra ordinem inseruntur. Pomponius Secundus, qui cum Lucio vixit, aut primus aut præ cæteris dactylicos tetrametros junxit in choris. Ejus sicut æmulus et, ut Græci dicerent magistri, ἀντιδιδάσκαλος fuit Lucius, ita imitator in hac parte Marcus. Terentianus (Putsch. collect. pag. 2430):

> In tragicis junxere choris hunc sæpe diserti
> Annæus Seneca, et Pomponius ante Secundus.

Ubi illud *ante* nota διακριτικὴ est, ut constet, uter utrum sit

Digitized by Google

imitatus. Nam quum, ut prænomen Marci adderet, non permitteret metrum, alium fuisse ostendit quam qui cum Pomponio vivebat. Lucius quemadmodum in aliis, ita hic Pomponii judicium neglexit. Saltem in his tribus numquam est secutus. Plures vero nusquam ei tribuuntur. Semel vero Marcus: in Œdipode nimirum, ubi plurimi dactylici in choro, qui ex metris constat ἀτάκτοις, junguntur. Id ita studiose Græcorum critici notabant, ut plerisque versibus non ab inventore, sed ab eo qui frequenter iis uteretur, nomen posuerint. Ita docent, Teium Anacreontem, quum Athenis esset ac amaret Critiam, neque parum lectione Æschyli delectaretur, Anacreonticos ejus exemplo fecisse, qui hoc nomen postea obtinuerunt. Lucius vulgares Sapphicos novo pede in secundo fregit; itaque propter temporum æqualitatem. Atque hoc illi fere est perpetuum. Troadibus,

> An sub Œchaliis latebrosa sylvis?

sicut legitur in scriptis.

> An ferax varii lapidis Carystos?
> Troja qua jaceat regione monstrans.

Hippolyto,

> Quæque ad Hesperias jacet ora metas.

Quod a correctoribus mutatum est. Ut et illud,

> Si qua Parrhasiæ glacialia Ursæ.

Medea,

> Sumere innumeras solitum figuras.

Et fortasse non pauci, qui sunt corrupti. Hoc in Marco non invenies magis quam in Flacco. Unus exstat, quem corruptum esse eruditi ostenderunt: quod et ipsum libri cum ratione evincunt, ut et consuetudo poetæ. At character utriusque, ut et sermo, multum distant. Marci enim plus

Digitized by Google

declamatorium habet. Quæ res ita plana est, ut si nihil præter prologum Medeæ aut Troadum et Herculis furentis exstaret, non unius esse auctoris judicaturi fuerimus. Marci sæpe breves ac concisas videas periodos : idque acuminis causa. Lucii pauciores διαπαύσεις habent, et antiquitatem magis sapiunt. Aiunt virum numquam satis laudatum Sophoclem, quum Antigonem suam legeret, et cum longa periodo spiritu contento paria fecisset, subito exspirasse. Hoc in Thebaide ei numquam evenisset, quia plerumque non eunt, sed cadunt. Ideoque et numeris nocent, et tragœdiæ majestatem non minus enervant, quam Lucani sententiæ heroicas leges et Virgilianam gravitatem. Magnæ enim res pares periodos desiderant, ut recte Demetrius. In Lucio non raro tota oratio instruit : in Marco sæpius gnomæ tantum inseruntur. Choros excipio. Nam qualis ille in Thyeste, *Tandem regia nobilis*, et alii nonnulli? Vide Hecubæ orationem in principio Troadum : et Nutricis de amore præclaram. Jam locorum major supellex in Lucio : quæ res mire antiquitatem sapit. Talis est commendatio vitæ agrestis sub persona Hippolyti : quæque pro voluptate item, et conservando genere humano propagatione Veneris, a Nutrice dicuntur. Idem in exprimendis antiquorum virtutibus, non minus felicior quam diligentior. Ut quum in Troadibus Hectorem e secundo Æneidos desumpsit, in Andromaches somnio. Et nonnulla ex Ovidio in Hippolyto. Quæ sunt mire florida. Certe quæ a Phædra dicuntur, quum amorem suum Hippolyto fatetur, nemo præter unum Ovidium dixisset. Ita dupliciter de nobis est meritus : nam et frugi orationem dedit, et quo pacto exprimendæ veterum virtutes essent, nos docuit. Neutrum a declamatoribus exspectes, qui contenti suo acumine, nec solliciti ut æque bene dicant, satis habent aliter dixisse. In narrando autem, ubi maxime τῆς ἑρμηνείας vis elucet, vel Euripidem provocat. Sicut in pulcherrima ista, quæ est de Hippolyti morte. Neque enim cedit candore

Digitized by Google

orationis ; et sublimitate vincit, ad sermonem usque antiquorum studiosus. Quos dum Marcus propria virtute sui temporis anteire conatur, sæpe tantum fit dissimilis : civilem autem vix retinuit sermonem : in quo Euripides excellit, quamquam sæpe tragicus vix ultra affectus. Marcus luxuriam non semper vitavit; Lucius vero etiam in aliis castigat. De Polyxena apud Nasonem dicebat Hecuba,

> ..... Cinis ipse sepulti
> In genus hoc sævit : tumulo quoque sensimus hostem.
> Æacidæ fœcunda fui.

Id secutus est ille, sed ut castigaret :

> Adhuc Achilles vivit in pœnas Phrygum ?
> Adhuc rebellat ? O manum Paridis levem !
> Cinis ipse nostrum sanguinem ac tumulus sitit.

Nam et variavit quod dixit, et ad vehementiam, orationis figuram addidit. Et servavit quod eminebat, et rejecit quod abundabat. Aliud est enim rebellare, aliud adhuc vivere, aliud post obitum sanguinem sitire. Duo priora etiam interrogando : quæ πολιτικώτερον efficiunt sermonem, et formam immutant. In quo Marcum patrem est secutus, qui in Controversiis præiverat. Ibi enim de hoc loco ait : « Quum Polyxena esset abducta, ut ad tumulum Achillis immolaretur, Hecuba dixit,

> ..... Cinis ipse sepulti
> In genus hoc sævit.

Poterat hoc contentus esse : adjecit,

> ..... tumulo quoque sensimus hostem.

Nec hoc contentus adjecit,

> Æacidæ fœcunda fui.

Aiebat autem Scaurus rem veram : « non minus magnam virtutem esse, bene desinere quam scite dicere. » Marci quo-

Digitized by Google

que sermo eo minus est moratus, quanto sæpius acute multa dicit. Quod ut recte fit ab eo, ita alienum est a natura. Non enim est singulorum. Nam quum qualitatem animi omnis indicet oratio, eaque vel mores complectatur vel affectus, nemo qui acute loquitur, talem esse se significat, sed otiosum. Poeta autem imitatur. Vide Andromachès sermonem in Troadibus. Modo furit præ dolore et rabit: modo lamentatur et commiserationem movet, ut quum filio abeunti æternum vale dicit. Plerumque autem est talis, qualem tum fuisse est æquum. In attribuendo quoque (mores) suos singulis minor est Marcus. Nam Thyestæ quare optimos dedit? aut cur non eosdem? Primo enim ἤθιον vides: *Si sunt tamen Dii.* In eadem scena Stoicum: *Mihi crede, falsis magna nominibus placent*, et quæ tum præcedunt, tum sequuntur. In fine etiam pium: libat enim, quum bibit: *Paternis vina libentur diis*, *Tunc hauriantur*. Primum igitur dissimiles dedit: non enim talis Atreus. Deinde inæquales: nam dissimilis et sui est. Alterum ἀνόμοιον, alterum ἀνώμαλον, Aristoteles vocaret. Ulysses in Troadibus etiam eum, qui in Hecuba est, antecedit: vafritiem enim, quantum locus is ferebat, addidit. Græci δριμὺ melius et δόλιον id vocant. Quod in multis illi locis dederat Euripides. Æschylus ob innatam austeritatem minus id assequebatur. Constitutionis quoque ratio non eadem. Una Marci Œdipus est mire artificiosa: sola enim et agnitionem et mutationem in contrarium habet. Sed ex Sophocle expressa est. Hoc perpetuum est Euripidi, ut prologis suis nudam argumenti expositionem intexat. Qui quod uniformes sint, festive ab Aristophane vexantur: quales et nonnullos collegit. In una, quod meminerim, Iphigenia in Aulide, ex iis quæ exstant, hoc non observavit. Sophocles occulte id agit: et non semper uni committit. Nonnumquam rem simpliciter ingreditur, ut Æschylus. Marcus, more Euripidis, συνεκτικὸν τῆς ὑποθέσεως præmittit, id est fabulæ subjectum prologo committit. Vide

Digitized by Google

in Hercule furente Junonem, in Thyeste Tantalum, in cognomine Œdipodem, in Agamemnone Thyesten. Lucius ab actione semper inchoavit, et simpliciter εἰσβάλλει. Hecuba et Medea, ut in medio, calamitates suas ἐμπαθῶς deplorant. Hæc ex parte, illa prorsus, quid futurum sit, ignorat. Hippolytus a venatione inchoavit et suorum adhortatione; idque eodem metro, quo Rhesi auctor. Qua tragœdia post Sophoclem nulla exstat consummatior. Eam nos quum studiose legeremus, neque quidquam minus quam humilitatem et rhetoricam Euripidis subtilitatem, sed nec simplicissimam Æschyli austeritatem et translationum audaciam, neque compositionem Sophocleam et orationis difficultates, œconomiam autem longe ab eo diversam videremus, numquam dubitavimus, quin quartus aliquis quærendus esset auctor. Quem ex intima antiquitate tandem eruimus, et certissimis indiciis, quis esset, in grammaticorum libris invenimus. Qui error ita est antiquus, ut in priscis Criticorum catalogis Euripidi adscriberetur. Adeo refert, quo quis ad ista judicio accedat. Lucius libenter oculos moratur, et in scena multa repræsentat. Medea, contra Flacci præceptum, liberos aperte, certe alterum, trucidat: alterum autem ad minimum post cædem ostendit. In Troadibus matri coram populo eripitur Astyanax. In Hippolyto manum sibi infert Phædra: heros autem jam divulsus exhibetur. Marcus plurimum oratione defungitur. In Thyeste, in Œdipo, in Agamemnone, id apparet, ubi ne Cassandram quidem necesse est populo spectante jugulari. In furente autem Hercule, quum sequi Euripidem posset, periculosam nobis ὄψιν dedit. Megaræ enim et filiolo in scena cerebrum elidit Hercules. Itaque histrionem vix invenias, qui vim Alcidæ experiri, et sine ullo fuco repræsentare hoc vellet: capitis enim ejus interesset. Hæc est causa, cur propudium illud generis humani Nero eas fabulas deligeret, quæ periculosa θεωρήματα ὑποκριτικὰ haberent, ut se sanguine histrionum oblectaret.

Digitized by Google

Qualis erat iste Icarus, qui (verba sunt Tranquilli) *primo statim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipsumque cruore respersit.* Idem quum insanum Herculem cantaret, evenisse putamus. Marcus raro Stoicorum opiniones interserit. Lucius nec Epicuri sui nec Metrodori dissimulat, qui in ejus philosophicis paginam utramque faciunt. In Troadibus vero plena manu spargit eas atque ostentat, sicut suas sæpe Euripides. Quod istarum rerum judices πολυπραγμοσύνην dixerunt. Idque sine nota, ubi affectatio abest, adest modus, qui Euripidi non raro deest, Lucius autem numquam excedit. *Nihil esse post mortem Epicuri schola est*, ait vir eruditissimus Tertullianus: et mox Lucii opinionem subjungit, qui hoc toto choro egit. In quo non tam posuit opinionem suam quam confirmavit. Eadem enim in Epistolis ad Lucilium. Et ad verbum prope in Consolatione ad Marciam. Hic,

> Quæris, quo jaceas post obitum loco?
> Quo non nata jacent.

Ibi: « Mori omnium dolorum et solutio est et finis, ultra quam mala nostra non exeunt. Quæ nos in illam tranquillitatem, in qua antequam nasceremur jacuimus, reponit. Si mortuorum aliquis miseretur, et non natorum misereatur. » Hic,

> Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil.

Ibi: « Mors nec bonum nec malum est. Id enim potest aut bonum aut malum esse, quod aliquid est: quod vero ipsum nihil est, et omnia in nihilum redigit, nulli nos fortunæ tradit. » Hic,

> ..... Tænara et aspero
> Regnum sub domino, limen et obsidens
> Custos non facili Cerberus ostio,
> Rumores vacui verbaque inania,
> Et par sollicito fabula somnio.

Ibi: « Illa, quæ nobis Inferos faciunt terribiles, fabula.

Digitized by Google

Nullas scimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec tribunalia, nec reos ullos in illa libertate tam laxa; nullos iterum tyrannos. Luserunt ista poetæ, et vanis nos agitavere terroribus.» Tale apud Marcum nihil: nam cum ejus dramatis et argumentis hoc pugnat. In prima enim Hercules ac Theseus a defunctis redeunt. In Thyeste Tantali, in Agamemnone Thyestis umbra in scenam venit. In Œdipode defuncti evocantur, et Homeri νεκυία exprimitur. Ibi enim habes antiquissimum pro animæ immortalitate, quod exceptis sacris exstat, testimonium. Quæ opinio diu ante Pherecyden in Græcia exstabat, et cum disciplinis est nata. Æschylus vero, Euripides, ac Sophocles, pro confesso id sumunt. Quorum non sententiæ modo, verum etiam œconomiæ atque argumenta, opinione ista nituntur. Neque aliter loquuntur, ne evertant, quod ponunt. Etiam in Troadibus Polyxena cui nubit? Annon Achilli, cujus ipse idolum describit? Quodsi animæ post obitum sunt nihil, ne idola quidem esse possunt; quæ κινύγματα ab Æschylo, et quo notam meruit grammaticorum, ὄψανα dicuntur. Primum ab Homero, quo jam diximus loco, fabricatum est, et ingentem postea usum habuit. Igitur vulgarem, quia dispositioni serviebat, prætermittere non voluit: suam, ubi maxima est poetæ tragico libertas, in choro proposuit. Et de his quidem hactenus. Tres restant. Quarum de duabus, Hercule in Œta et Thebaide, suo a nobis loco dicetur (1). Octaviæ auctor triviali mo-

(1) Sic Heinsius alio loco de Thebaide:

«Fabula Declamatoris, ideoque indigna prorsus ista laude, quam non nemo non e vulgo ei tribuit. Ac primo, quod ad inscriptionem, cujuscumque tandem sit, inepta est, nec argumento convenit, nisi omnes hactenus antiqui critici nos fallunt. Nam, si Thebais dicenda erit, quia ibi est scena, et ut critici loquuntur, ὅτι ἐν Θήβῃ ὑφέστηκε τὰ πράγματα, quare non et Hercules furens, tum Euripidis tum Senecæ, Œdipus item Sophoclis alter, Thebais dicetur? Idem de Euripidis Bac-

Digitized by Google

neta percussit. Sunt in ea tamen quædam minus putida, nec minus latina, quam in altera earum, quæ ubique tumet.

chabus, Pentheo item Æschyli, erit dicendum. Sed et Æschyli Septem ad Thebas, et Epigoni, tum Accii tum hujus, Thebaides erunt..... Hanc autem, OEdipodem, vel infelicem, vel fugientem, dicas licebit. Parum enim refert in tam parum accurata dispositione. Quæ sine ulla prorsus arte, nullam implicationem rerum, nullam extricationem, nullam μετάβασιν habet. Si priora videas, tragœdia est, OEdipus: si posteriora, Septem ad Thebas. Nam quum a miseria et horrenda OEdipi calamitate inceperit τὸ πάθος, pergit ad Eteoclis et Polynicis factum: cujus mentionem OEdipus vix fecit. Quare quum tragœdiam unam non posset (et quis eruditus hoc neget?) duas nobis declamationes dedit. In priore, moriendum esse OEdipodi probatur, propter illa quæ commemorantur, et alterius sunt argumenti. In posteriore, Polynici et Eteocli pugnandum non esse. Ideoque nec inscriptionem, nisi multis communem, invenire potuit. Non Phœnissas, ut Euripides: chorum enim non habet. Non Septem ad Thebas: sero enim illorum meminit. Non Polynicem: vix ei partes dantur. Euripidis Phœnissas, recte Jocastam inscribas. Primas enim sustinet. Græci πρωταγωνιστὴν dicunt. Hic cui dabis? An OEdipodi? extra drama est. An Jocastæ? sero loquitur, et magna argumenti parte jam consumpta. Neque refert, quod nonnulla desint: consilium enim apparet. Sed oportet nihil legisse. Euripidi ab antiquis objicitur, quod inepte in hoc argumentum OEdipodem inducat; ut hac ratione fabulam concludat. Hanc personam enim extra drama esse. Quare et supervacuam et garrulam orationem ejus vocant. Noster quum hoc ipsum esset tractaturus, quod ab eo fuerat commissum, duplicavit: excusationem autem præcidit. Ad initium enim transtulit, quod in fine erat tolerandum. Et quum Græcus illi sexaginta plus minus, hic plus minus quadraginta et ducentos dedit. Ergo de miseriis suis προλογίζει, et tragœdia est, bellum Thebanum. Saltem argumentum obiter proposuisset, aut ab exsecratione incepisset. Scimus enim quod sit ejus munus, cui ἡ εἴσθεσις datur. Colloquium Jocastæ cum Polynice, ut supervacuum, in Phœnissis recte harum rerum judices notarunt, quum id tamen Thebis instituerit, extra omnem armorum metum. Hic inter duas acies ἐν μεταιχμίῳ, sicut eum locum Euripides vocat, declamatio habetur: quæ quo minus concurrant, nihil præter sententiolas obstat, quas in schola vix feras. Ergo e solis Græci vitiis tragœdiam fecit: παραπληρώματα enim, quæ peculiaria ibi, servavit: virtutes vero non tangit. Sed œconomia nulla est. Plurima τὰ ἄλογα καὶ ἀπεικότα. Nam cur OEdipus

Digitized by Google

Huic vero ne sermone quidem cedit, ne quid amplius ad-

quarto demum post anno, fatum suum et calamitatem deplorat? maternum concubitum detestatur? An hoc illi tum primum in mentem veniebat? Vide autem simplicitatem magistri. Ipse se prodit. Nam Jocasta hæc dicit,

Bruma ter posuit nives,
Et tertia jam falce decubuit Ceres,
Ut exsul errat natus, et patria caret,
Profugusque regum auxilia Graiorum rogat.

Adde his annum, quo regnare Eteocles cœpit (non enim prius regum implorare auxilium potuit) quadriennium efficitur. Aut si annus Polynicis præcessit, quinquennium habebis. Jocasta interea uxor est ejusdem, cujus et mater. Neque in exsecrando hoc fato quidquam deplorat, nisi quod hostem amarit.

..... hoc leve est quod sum nocens;
Feci nocentes: hoc quoque etiamnum est leve;
Peperi nocentes: deerat ærumnis meis
Ut et hostem amarem.

Idque post tantas Œdipi δεινώσεις. Adeo in isto casu res ei rediit, ut sententias vibret. Ut videas, quanto se prudentius apud Sophoclem suspendat quam hic declamat. Sed hoc solæ Euripidis Phœnissæ excusare possunt, ubi et προλογίζει et secure multa alia dicit. Qualia infinita sunt in illo auctore. Affectus quos præcipue tractavit, sententiolæ consumunt. Periodi nonnumquam et sententiæ non plane infelices, in puncta evanescunt. Sermo nihil ad Lucium, et quem Troades, Medea, Hippolytus repræsentant. Viri summi, qui ad ævum Augusti referunt, nihil præter auctoritatem suam nobis opponunt. Nam judicium eorum ut sequamur, non est metuendum: neque enim prorsus omni caremus. Cæterum ut Æschylus et Sophocles Pythagoricos ubique fere profitentur: ita videas declamatores istos e decretis Stoicorum ducere colores. Talia hic multa sunt. Sicut illud animosum et illis solemne, quoties ingenti ore libertatem, et ut Græci melius, τὸ ἀπαρεμπόδιστον sui sapientis commendant, quod hic ab Antigone dicitur,

Et hoc magis te genitor insontem voca,
Quod innocens es diis quoque invitis.

Digitized by Google

jungam : luxuriam autem istam ac redundantiam non habet; humi serpit tamen, etc. (Lugd. Bat. CIƆIƆCXI.)

Qualia apud Senecam Philosophum passim occurrunt. Hoc imposuit viro hujus sectæ amantissimo Justo Lipsio. Jam pro gnomis, quæ in universum vitam informant, quales in Phœnissis plures quam alibi, Stoicorum fere placita inspergit; oblitus, quod a summo criticorum Aristotele docetur, populum gaudere, quum in genere id audit, quod secum ipse quivis verum esse judicat : unde applausus iste atque exsultatio : et hunc esse usum gnomarum. Nunquam autem orbis Stoicus fuit, neque ad paradoxa quisque profecit. Itaque hoc et Seneca uterque servavit, propter eam causam quam dixi. Rex philosophorum, ineffabili urbanitate, τὴν τοῦ θεάτρου ἀσθένειαν, *theatri imbecillitatem*, vocavit. Jam his ipsis, quoties luxuria et inepta accedit redundantia, tædium, ut amplius nihil dicam, non applausum, eruditis movent. Sicut illa,

> ..... qui cogit mori
> Nolentem, in æquo est, quique properantem impedit.
> Nec tamen in æquo est : alterum gravius reor.
> Malo imperari quam eripi mortem mihi.

Quidlibet enim ex illis sufficiebat. Nunc non Œdipum loqui, sed auctorem ludere et captare copiam intelligas. Hæc prolixius, in gratiam eorum, qui magnorum hominum judicia non æstimant, sed pertinaciter defendunt.

Digitized by Google

JOHANNIS ISACII PONTANI

DE AUCTORIBUS TRAGOEDIARUM

AD V. CL. PETRUM SCRIVERIUM PROLEGOMENON.

Quæ jam olim, Scriveri clarissime, ad Senecam Tragicum, adjutus Cantabrigiensi MS. et nunc occasione codicis Basiniani, qui penes me MS. similiter, annotavi, tibi ea omnia in unum collecta fascem, quomodo proxime pollicitus fui, mitto, adjuncto eodem illo codice meo. Sed et sententiam meam promiseram de auctoribus tragœdiarum, quæ L. Annæo Senecæ vulgo tribuuntur. De his quam diversa sint ævi nostri summorum virorum judicia, non ignoras. Clarissimus Justus Lipsius quum primum in eam sententiam discessisset, ut statueret esse plerasque Annæi Senecæ, nec tamen Philosophi, eo abiit ut, una excepta Medea, cæteras ad imperium Trajani, aut infra etiam, rejiceret. Fundus illi hujusce opinionis Terentianus præcipue fuit, qui, de tragicis agens, ostendensque quinam in choris dactylicos tetrametros aut primi aut præ cæteris junxissent, ita inter cætera loquitur :

> In tragicis junxere choris hunc sæpe diserti
> Annæus Seneca et Pomponius ante Secundus.

Collegit enim iis ex verbis, Tragicum ibi Senecam Philosopho juniorem esse, et ideo a Terentiano posteriorem statui Pomponio, qui, ut ex Fabio constat, eodem cum Philosopho, Claudii nimirum et Neronis ævo, claruit. Et hoc, quantum censeo, suppeditaverit ei vocula illa *ante*, quasi nota διακριτικὴ et vim discernendi habens, posita. At contra

Digitized by Google

est, et clare id ostendit Fabius, qui utrumque, Pomponium dico et Senecam Philosophum, non tantum fuisse coætaneos, sed de tragœdia quoque, et quid in ea decorum esset, familiariter inter sese certasse memorat. Ait enim lib. VIII, cap. 3 : « Memini juvenis admodum inter Pomponium et Senecam etiam præfationibus esse tractatum, an « gradus eliminat » apud Attium in tragœdia dici oportuisset.» Et iterum libro X, cap. 1, ubi censuras auctorum agit, Pomponii inter tragicos meminit : atque inde, expensis cæteris, etiam Senecæ, quem ex industria distulisse se ait, ultimo demum loco, sed in omni studiorum genere ut excellentis, ita etiam poematibus clari, mentionem injicit. Adeo ut palam sit, Terentianum non tam διακριτικῶς quam συγκριτικῶς eo loco vocem *ante* usurpasse : quasi nimirum diceret, utrumque et Senecam et Pomponium id ante factitasse. Itaque Tragicum habemus, qui idem et Philosophus. Cui accedit, quod versus cum Senecæ nomine ex Hercule furente citet idem Terentianus, quos et ibi hodieque reperias; et Fabius ex ejusdem Medea, ex Troadibus Probus, ex Hippolyto Priscianus, et denique ex Thyeste Luctatius.

Hic jam factam se rem habere quispiam putet. Sed iterum controversia oritur, et movet eam Paulus Diaconus, et ante eum Sidonius præcipue Apollinaris. Nam ille Historiæ miscellæ, lib. VIII, Senecæ Tragici meminit, quasi distinguens eum a Philosopho. Verba ejus sunt : « Hujus (Neronis) temporibus poetæ pollebant Romæ Lucanus, Juvenalis et Persius, Senecaque Tragicus. » Et magis, quem dixi, Sidonius :

> Quorum unus colit hispidum Platona,
> Incassumque suum monet Neronem;
> Orchestram quatit alter Euripidis.

En, diserte duos tantum eosque diversos Senecas agnoscit; Philosophum alterum, alterum Tragicum. At, Sidoni, rhetor

Digitized by Google

et auctor Controversiarum, quem certo constat patrem fuisse Philosophi, quo loco censebitur? An verisimile, tam obscurum et terræ quasi filium fuisse, ut ejus apud veteres nulla sit habita ratio? Negant illustria ingenii ejus monumenta, Controversiæ et liber Suasoriarum, quæ exstant hodieque, Philosopho hactenus, sed falso, adscripta. Indicaverat hoc omnium primus Volaterranus operis sui undevicesimo: «Marcus Annæus Seneca Philosophi pater, Cordubensis et equestris ordinis ac eruditissimus fuit, ut cui Declamationes, quæ filii dicuntur esse, nonnulli referant.» Quod undecumque acceperit Volaterranus, verissimum est, licet Erasmo, Rhenano, aliisque, qui Senecam inter primos illustrarunt, sicuti nec Gyraldo, qui de poetis Græcis ac Latinis historiam contexuit, ne quidem ἐν ὀνείροις, quod dicitur, suboluerit. Admonuit tamen post eos Alciatus libro Parergorum IV, et Lipsius postremo accuratissime Electorum primo. Alciatus præterea hoc adjecit, Senecam, qui Philosophus dictus, etiam tragœdiarum auctorem videri.

Hinc jam superiora illa Diaconi scilicet ita accipiam, ut Tragicum intelligat, qui simul Philosophus fuit (quæ enim omittendi ejus caussa fuisset?); et Sidonium, qui diserte alterum ab altero sejungit, communi errore seductum, rhetorem eumdem cum Philosopho existimasse. Nec id de Sidonio mirabitur quispiam, quum iterum simili hallucinatione, quod nescio an cuiquam adhuc animadversum, Pollam Argentariam, Lucani conjugem, post cædem Lucani Statio Papinio nuptam innuat istis ad Consentium Narbonensem versibus:

> Quid quod duplicibus jugata tædis
> Argentaria Polla dat poetas?

Volunt quidem interpretes respexisse hic Sidonium ad Genethliacon, quo Papinius Lucani diem consecrat; et præcipue ad præfationem, quæ est in librum secundum Silvarum, ubi

Digitized by Google

Pollam Argentariam charissimam uxorem vocat. Verum illud, qui locum propius inspiciet, non sui, sed Lucani respectu dixisse Papinium inveniet: ut omittam, refragari ipsum Genethliacon, ex quo nihil tale exsculpas; tum et carmen ejusdem Papinii, quod sequitur libro III, ad uxorem suam Claudiam, quo eam ex urbe Neapolim, vergente jam in senium ætate, invitat. Porro Sidonii iidem interpretes, quo ejus de Seneca Philosopho et Tragico, diversis quasi auctoribus, sententiam suffulciant, hos quoque Valerii Martialis tui versiculos adducunt:

> Duosque Senecas unicumque Lucanum
> Facunda loquitur Corduba.

Duos enim ibi *Senecas* Philosophum volunt esse et Tragicum. Verum nos, rem potius et auctores, quos supra laudavimus, secuti, haudquaquam dubitamus Martiali hic Senecam patrem, quem Rhetorem diximus, et filium Philosophum intellectos. Philosophum inquam, qui et Tragicus sit, auctor tragœdiarum *Medeæ*, *Troadum*, *Herculis furentis*, *Hippolyti* et *Thyestis*, et adde, si libet, *OEdipi;* quam actam a Nerone præter Furentem et Thyestem, auctor est Dionis Xiphilinus: et quis ambigat compositam aliquando ab ipso Seneca, *postquam*, ut Tacitus habet libro XIV Annalium, *amor Neroni carminum venisset?* Et Fabius Quintilianus, licet, ut supra est indicatum, Senecæ Medeam tribuat, nec plures nominet, agnoscit nihilominus libro X, quod et supra innuimus, ubi operum Senecæ quasi catalogum texit, ejusdem similiter poemata; Controversiarum autem et Suasoriarum, quæ, ut ante ostensum, rhetoris, id est patris, non filii, sunt, eodem in censu nusquam idem Fabius meminit. Extra tamen ordinem, libro nimirum IX, Controversiam ex iis unam citat, et Senecam sine ullo prænomine, aut alio ulteriori discrimine, quasi in re nota satis esset Controversiæ nomen posuisse, auctorem celebrat.

Digitized by Google

Duos itaque Senecas habemus; patrem, qui Rhetor; et filium Philosophum, qui et Tragicus, ut jam commonstravimus. At inquies, si ergo sex illæ nunc enumeratæ tragœdiæ ad Senecam Philosophum referendæ, cujusnam erunt quatuor reliquæ, *Agamemnon*, *Thebais*, *Hercules OEtæus*, et *Octavia?* Nullas harum esse Senecæ, imo et aliqui *Furentem*, *Thyestem* et *OEdipum* cum *Agamemnone* eidem adimunt, et Senecæ nescio cui cum Marci prænomine, adscribendas volunt, *Thebaidem* vero, *OEtæum* et *Octaviam* diversorum facientes singulas. Quarum Octaviam clarissimus Lipsius a puero, aut pueri saltem modo, perscriptam censuit; quamvis eam amicissimus nobis, et in hoc atque omni literarum genere eminentissimus Heinsius, licet humi serpentem, Thebaide tamen et OEtæo, quas idem Lipsius ordine dignitatis inter primas habet, minus putidam, et cultu quoque sermonis meliorem statuit. Josephus insuper Scaliger, cujus in discernendis auctorum scriptis et a veris subdititios semovendi exactum judicium docti omnes, hoc præsertim seculo, sunt admirati, styli characterem, qui in eadem est Octavia, cum reliquis eumdem, et auctorem quoque Neronis temporibus interfuisse existimat; rationem hanc adjiciens, quod non tantum Cometæ, qui ipso Nerone et Seneca adhuc superstite effulsit, mentionem faciat, sed se etiam præter cæteros (nisi verba dare posteritati voluerit) spectatorem ejus fuisse asserat. Sed vixerit ævo Neronis, an et scripsit quoque? Hoc multa sunt quæ negant. Et præsertim Agrippina nonne inter alia, actu III, ea loqui introducitur, quæ quum postea facta sint, quomodo ab ipso, nisi Apolline aliquo pleno, perscribi potuerunt? ut taceam de culpa dicere, quam Nutrix actu IV Senecæ affingit.

Sed de hisce hæc satis. Unum accedat super iis, quas Marco tribuunt. Quod ideo a se factum docent, quia alia in iis a Lucio, id est Philosopho, philosophiæ et sectæ

Digitized by Google

ratio. Marcus, inquiunt, raro Stoicorum opiniones interserit; Lucius nec Epicuri sui, nec Metrodori dissimulat. Respondemus, si et idem hoc faciat, quem esse Marcum cupiunt, nonne jam facta res, et unus idemque, non vero diversus, auctor erit? Nam Agamemnone, quam Marco tribuunt, unde illi vers. 605, *leves dii*, nisi ab Epicuro, aut Metrodoro, aut Scirone aliquo? Et rursum Troade, quam fabulam Lucii censent, similiter varius, nec unus est. Modo enim Stoicas δόξας, modo Epicurum, aut Platonicos exprimit. Et præsertim Choro primo Priamum facit in Elysiorum amœnis versantem, et Hectora inter heroas piasque animas quærentem, quum tamen eadem fabula, nihil esse post mortem, pluribus inculcet. Priori enim Choro legas:

> ..... Felix Priamus,
> Dicimus omnes: secum excedens
> Sua regna tulit; nunc Elysii
> Nemoris tutis errat in umbris,
> Interque pias felix animas
> Hectora quærit.

At contra actu II, Choro altero hæc occurrunt:

> ..... Ut calidis fumus ab ignibus
> Vanescit spatium per breve sordidus:
> Sic hic, quo regimur, spiritus effluet.
> Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil.

Nec mirum, talem in tragicis esse Lucium, quum in philosophicis haud alium invenias. In epistolis ait (epist. LXXXVI): « Animum Africani in cælum, unde erat, rediisse persuadeo mihi. » Contra ibidem (epist. XXX), Bassum Epicuri præceptis obsequentem inducens, docet post mortem nihil timendum. Et alibi: « Hoc erit post me, quod ante me fuit. » Et, quod magis mireris, Consolatione ad Marciam quum illud Epicureum extulisset: « ultra mortem mala nostra finiuntur, » statim eadem Consolatione, capite ultimo, Cor-

Digitized by Google

dum loquentem facit mortuum et inter heroas : « Nos quoque felices animæ et æterna sortitæ, etc. » Quæ prolixius adduxi, ut semel constaret haud aliter philosophari Tragicum quam Philosophum : et vere, quæ Græcis feruntur hic quoque dici debent, πάντα μία κόνις (omnia idem pulvis), etc. Vale, Cl. Scriveri, nostrarum nugarum arbiter candidissime. Hardervici, XV kal. januar. cIↃ. lↃ. c. xix.

Digitized by Google

DE

ANNÆO SENECA

UNO TRAGŒDIARUM QUÆ SUPERSUNT OMNIUM AUCTORE.

(A JOANNE GEORGIO CAROLO KLOTZSCH.)

Edendo librum de vita et moribus L. Annæi Senecæ, quem nuper absolvi, sæpe de eo cogitabam, quanta nobis adhuc supersit multitudo errorum, qui, in recensendis doctorum virorum opinionibus, non modo vulgo afferri, sed etiam sine examine prætermitti et propagari solent! In his est etiam vulgaris illa criticorum sententia, quæ tragœdias decem, quibus unum Senecæ nomen inscribitur, pluribus auctoribus tribuit. Dicuntur enim aliquæ esse patris Marci, quem rhetorem appellare solent, Lucii deinde filii, philosophi Stoici, reliquæ omnes, præter Octaviam, quæ ignoto cuidam poetæ adscribitur. Orta quidem esse videtur hæc opinio iis temporibus, quibus adhuc dubitabatur, anne illi M. et L. unus idemque Seneca fuerint, quem, quum juvenis Ciceronem audivisset, a Nerone autem esset occisus, supra CXX annos vixisse quidam asseverabant. Quum deinde Lipsius probasset, rectorem illum imperatoriæ juventæ fuisse Lucium, philosophum Stoicum atque filium rhetoris Marci, non defuerunt homines critici nimium solertes, qui duobus illis Senecis nescio quem poetam tragicum, quem Hadriani ætate vixisse ferunt, loco tertio liberaliter adjungerent. Alii vero, quibus supposititius hic vates plane ignotus erat, certe non omnes X fabulas eidem auctori adsignandas esse statuerunt. In his erant Justus Lipsius et

Digitized by Google

Dan. Heinsius, quos deinde cum Lessingio sequuti sunt recentiores antiquitatis elegantioris judices, sic, ut Eschenburgius etiam simpliciter affirmaret, *certissimum hoc esse*, non omnes tragœdias, quibus Senecæ nomen inscribatur, ab eodem auctore venisse. Equidem in contextu opusculi a me nuper editi multis de hac re quærere nolui, propterea quod nullæ adhuc *rationes historicæ* allatæ sunt ab his, qui opus illud tragœdiarum, quod in omnibus libris scriptis (præter unum codicem Florentinum, in quo deest Octavia), integrum semper reperitur, auctoribus multis distribuere, ac singulas fabulas, pro diverso cujusque sensu et judicio in observanda earum dissimilitudine aliqua, modo rhetori Marco, modo philosopho ejusdem filio, modo ignotis quibusdam poetis adsignare voluerunt. Finita autem editione Senecæ, quam more novo in publicum emisi, quum occasio mihi offerretur conscribendi libelli hujus, illud argumentum, in quo multi viri docti jam laborarunt, denuo paucis rectractandum mihi sumpsi.

Veteres quidem criticos parum sollicitos fuisse in distinguendis nominibus hominum doctorum, vidimus jam inde, quod prænomina Marci et Lucii in Annæis duobus, sæculo adhuc XVI, a quibusdam plane neglecta sunt. Inde haud dubie factum est, ut et Petrarcha, dum monumenta philosophiæ veteris et in primis Stoicæ, cujus placita ipse recoluit, et hominibus ætatis suæ commendavit, perquirebat, quum primum Annæi Senecæ nomen illis X tragœdiis inscriptum reperisset, statim philosophum Lucium earum auctorem agnosceret. Accedit, quod hic potissimum a grammaticis veteribus nomine Senecæ simpliciter laudatus sit. Quum igitur codices scripti omnes certe Annæum Senecam harum fabularum auctorem dicerent, et plurimi veteres grammatici, ut sunt Quintilianus, Valerius Probus, Terentianus, Priscianus, alii, ex his ipsis ejusdem Senecæ tragœdiis singulos etiam versus allegassent, nulla oriri

Digitized by Google

potuit dubitatio de earum auctore. Inventi autem sunt postea, ut aiunt, libri quidam scripti, in quibus pro Lucio M. Ann. Seneca auctor diceretur, quod, quamvis ex incuria librariorum facile intelligi posset, tamen occasionem dedit multis exercendi ingenii sui, non quidem sic, ut jam quærerent, utrum *omnes* illæ tragœdiæ Lucio Senecæ, notissimo philosopho Stoico, an Marco alicui tribuendæ sint, sed, more doctis viris plane indigno, tanquam media via processuri, parum critice illas Marco et Lucio dividerent, assumpto plerumque in hanc societatem tertio, Octaviæ auctore. Jam igitur ad sensum cujusque lectoris remissa erat omnis illa quæstio de fabularum istarum auctoribus, nec historicis argumentis, sed libero judicio suo in hac causa omnes utebantur. In his, si qui *declamatorium* quiddam sive in hac, seu in illa tragœdia reperisse sibi viderentur, eam Marco Senecæ, egregio *declamatori* tribuebant, alias vero, in quibus voces stoicæ sæpe audirentur, a Lucio philosopho repetebant. Ipsi etiam Justus Lipsius et Dan. Heinsius, quos præ cæteris hic nominasse sufficiat, et a Scaligeri sententia valde recedunt, et inter se maxime dissentiunt, ut in recensendis singulis tragœdiis breviter adnotavit Ernestius, Bibl. lat. tom. II, p. 131 sqq. Si quid autem valent *rationes historicæ*, certe earum vis eo pertinet, ut L. Annæum Senecam, aut omnino nullas tragœdias scripsisse dicamus, aut omnes, quibus idem unius auctoris nomen in iisdem codicibus inscriptum est. Videamus igitur illa testimonia veterum, quibus alterutrum effici possit, hac lege proposita, ne quis deinde liberaliter agat, et, quæ unius sunt poetæ, diversis auctoribus distribuat.

In membranis quibusdam, ut diximus, pro L. reperitur interdum nomen M. quæ lectio, etsi paucissimorum codicum sit, tamen, ut difficilior, præferenda esse videtur. Nam L. Annæus Seneca, philosophus et præceptor Neronis, haud dubie ipsis librariis satis notus erat. Marco autem seniori

Digitized by Google

vix quisquam, cui satis notæ sint ejus controversiæ, tales fabulas adscripserit. Nec vero de hoc cogitandum est, sed de aliquo Octaviæ auctore (nam et hæc est inter illas decem tragœdias), qui sub Nerone vixerit. Habemus autem talem Annæi Novati (seu Gallionis) filium Marcum, quem patruus L. Ann. Seneca in consolat. ad Helviam, c. 16, blandissimum puerum vocat. Temere hic monent viri docti, hunc prima juventute mortuum esse: nam ipse Seneca, dum filioli sui et duorum filiorum fratris sui Novati obitum luget, gratulatur Helviæ matri de Novatilla et Marco, nepotibus spei eximiæ, qui adhuc superstites essent. Atque is unus Novati filius patrui etiam sui Senecæ nomen recepisse videtur, quum fratres philosophi Novatus et Mela, hujus autem filius Lucanus appellarentur. Huc facit locus ille Apollinaris Sidonii:

Non, quod Corduba præpotens alumnis
Facundum ciet, hic putes legendum,
Quorum *unus* colit hispidum Platonem,
Incassumque suum monet Neronem.
Orchestram quatit *alter* Euripidis,
Pictum fæcibus Æschylum sequutus,
Aut plaustris solitum sonare Thespim,
Qui, post pulpita trita sub cothurno,
Ducebat olidæ marem capellæ.
Pugnam *tertius* ille Gallicanam
Dixit Cæsaris, ut gener socerque, etc.

Primum haud dubie innuit L. Annæum Senecam philosophum tristem (ut videbatur), ejusque libros *de clementia* ad Neronem scriptos, quibus obsoleta dogmata Platonis de administranda republica renovavit. Alter, quem in mente habuit, et cui tertio loco Melæ filium Lucanum subjunxit, videtur et ipse non modo Cordubensis, sed e Senecis fuisse. Hunc nobilem poetam tragicum vocat, qui nescio an posthac se totum rebus rusticis dederit, ac, velut alter Thespis,

Digitized by Google

quem imitatus esset, e scena promotus ad agrestem vitam redierit. Nempe gravitati horridioris vetustatis addicit fabulas, quibus ille Æschylum atque Euripidem sectari voluerit. Hæc igitur valent ad confirmandam lectionem veterem in codicibus scriptis obvenientem, qui Marci cujusdam nomen in fronte X illarum tragœdiarum gerunt. Forsitan et tres illi scriptores L. Annæus Seneca, philosophus, M. Annæus Seneca, poeta tragicus, et Annæus Lucanus sunt, de quibus Martialis cogitavit in verbis, lib. IV, ep. 40:

> Atria Pisonum stabant cum stemmate toto,
> Et docti Senecæ *ter* numeranda domus.
> Prætulimus tantis solum te, Posthume, regnis, etc.

Nam, ut est in altero loco, lib. I, ep. 62:

> *Duos Senecas* unicumque Lucanum
> Facunda loquitur Corduba.

Dubitari autem possit, an Marcus rhetor, cujus controversiæ, tanquam collectanea quædam, pueris Romanis scripta sunt, hic scriptoribus claris adnumeretur? Si quis enim fuit illo tempore poeta tragicus, quo, teste Sidonio, præpotens facta est Corduba, hunc potius philosopho Senecæ æquiparandum judicamus. Nam, quod in Annalibus Taciti is non occurrat, minus etiam mirandum esse videtur, quam, tragœdiarum a philosopho Seneca scriptarum, neque in ejusdem epistolis, neque in historia illius temporis, mentionem esse factam. Jam et neminem offendent voces Stoicæ, quæ poetis non admodum favere videntur, in epistolis Senecæ subinde audiendæ. Sæpe enim hic de poetarum ineptiis philosopho indignis agitur, eorumque consilium omne ad oblectandas aures rejicitur. Urgent deinde in primis etiam viri docti locum epist. 107, ubi Seneca versus aliquot Cleanthis, in latinum sermonem a se mutatos, timidius profert. Nam quæri possit, unde scriptori, qui in arte

Digitized by Google

tragica multum versatus esset, hæc tanta modestia in vertendis quibusdam versibus græcis venerit? Denique non est, cur ex sententia Delrii novem tragœdias philosopho, decimam vero Octaviam ignoto cuidam poetæ tribuamus: nam verisimile est, Marcum Annæum Senecam juniorem, Gallionis filium, ultimo fere Tiberii anno, seu imperante etiam Caligula natum, vel post mortem patrui sui, in secessu Cordubensi, ut videtur, diutissime vixisse. Hæc de Marco mihi dicenda fuere.

Jam, quod attinet ad alteram sententiam eorum, qui Lucii auctoritatem præferunt, equidem opinor, idemque in opusculo meo sum professus, Antonium Delrium (in *Syntagm. trag. lat*, p. 64 sqq.) vel ante ducentos annos huic causæ fere satisfecisse, atque identidem miratus sum, unde nobis id acciderit, ut, neglectis rationibus historicis, judicio sensus in hac re plus tribuamus, quam testimoniis veterum. Omnium primum autem satis constat, L. Annæum Senecam philosophum vere etiam poetam fuisse. Nam et Tacitus hoc affirmat, et Quintilianus ac Plinius junior. In his Quintilianus etiam ex Medea, quam Senecæ dicit, versum recitavit. Quem deinde sequuti sunt grammatici plures (in his Valerius Probus, et ipse scriptor sæculi primi), quorum auctoritas omnino præferenda videtur Sidonio Apollinari, fere sub finem sæculi quinti de triumviris istis Cordubensibus canenti. Quintilianus vero haud dubie L. Annæum Senecam Medeæ auctorem dixit. Nam alias quoque idem philosophum illum ac præceptorem Neronis simpliciter Senecam appellare solet. Si qui vero auctoritati ejus in hoc uno cedendum esse judicant, nihil impedit, quo minus et reliquas fabulas eidem philosopho addicamus, nisi forte sensus quidam nescio cujus dissimilitudinis, quæ inter X illas tragœdias intercedere videatur, hoc exigat, ut contra fidem omnium librorum unum hoc opus tragicum dissolvamus, ejusque particulas singulas pluribus auctoribus

Digitized by Google

distribuamus. Dissimilitudo autem ista (quam certe non sic accipi volunt, quemadmodum v. c. Satyris etiam Horatianis seu orationibus Tullii non idem pretium statuitur), mihi quidem tantopere aliena esse videtur ab his X tragœdiis, ut, si vel singulæ in membranis diversis obvenerint, ausus essem omnes eidem auctori adjungere. Vidit hoc Sulzerus, et inde, *si velis* dicit, non Senecæ, sed Senecarum sunt istæ fabulæ, cui et Iacobs assentitur verbis : *Es herrschet in allen diesen Trauerspielen eine Gleichförmigkeit der Manier, welche uns verstattet, dieselben als das Werk eines einzigen Schriftstellers anzusehen* (1). (Vid. *Nachträge zu Sulzers allgem. Theorie der sch. K.* B. 4, s. 343.) Nec veterum quisquam de eo dubitasse videtur, quin unus poeta tragicus totius operis auctor sit habendus. Ipse Quintilianus, dum Medeam Senecæ allegat, quæ ne in membranis quidem primum locum obtinet, quamvis et præferenda forsitan cæteris et primum scripta videatur, non modo non dubitavit, de pluribus ejusdem poetæ tragœdiis, sed eas quoque nosse videtur. Alii vero grammatici et scholiastæ modo Hecubam (seu Troades), Agamemnonem, Hippolytum, modo Herculem furentem, Thyestem et reliquas fere omnes passim sub nomine Senecæ sive allegarunt, sive integras etiam illustravere commentario perpetuo. Plura habent Delrius et Ernestius ll. cc. Ille quidem negat etiam in ullo codice auctorem harum fabularum nominari M. Ann. Senecam, atque in omnibus Lucium dici simpliciter affirmat. Sidonio autem Apollinari, Theologo atque Episcopo Claromontano a. 472, nullam fidem haberi vult, hoc loco maxime, ubi bellum civile Cæsaris et Pompeii, quod Lucanus in Pharsalicis suis recinit, *Gallicanam pugnam* vocet. Profecto is omnia fere ambigue dixit, ut

(1) Quæ germanice scripsit Iacobs, vide, si placet, in latinum sermonem conversa, inf. p. lvij. J. P.

Digitized by Google

dubitari etiam possit, an de Lucano poeta cogitaverit. Videtur tamen *Gallicanam* pugnam vocasse *hoc* Lucani bellum civile, ut in ejus carmine heroico pingue illud et peregrinum notaret, quod in prioribus poetis Cordubensibus olim romanas aures offendere solebat. Nec mirum est, eos, quibus ipsi Plato et Euripides jam fere barbari viderentur, in Pharsalicis Lucani Transalpinum quemdam veterum Gallorum sonum animadvertisse. Sed Martialis etiam ambigua est illa *ter numeranda domus docti Senecæ.* Nam et ipsa domus præalta intelligi potest, ut triplex palatium, quod tandem aliquando viro docto dignum sit, Pisonumque atriis æquiparandum, et tres filii Marci, rhetoris docti, præpotentes in aula Neronis. Immo parum vero simile videatur Martialem de Gallione et Mela potius cogitasse, quam de Lucano. Inde, si intelligamus scriptores nobiles, rectius *duos Senecas unicumque Lucanum* subaudiemus. Sed rursus deinde dubitatur de *duobus* Senecis illis, quorum alter, Neronis præceptor, præpotens quidem fuit aliquando, sic, ut *tantis regnis* nemo facile *præferri* posset, sed frustra quærimus alterum illum Senecam æque potentem, nisi Apollinaris Sidonii poetam tragicum, quem omnis historia tacet, in societatem illam assumamus. Quis igitur poetarum, in quibus omnia fere ambigue et obscure dicta sunt, sola auctoritate ductus, testimonia veterum grammaticorum atque fidem librorum scriptorum impugnet? Nempe et hoc est arbitrii nostri, quod *ter numerandam domum* docti illius Senecæ conjungamus cum viris quos *facunda loquitur Corduba,* ut alter locus interpretationi alterius inserviat. Non enim in utroque sermo est de claris scriptoribus, ac ne de viris quidem. Sunt igitur, qui numerum ternarium, poetis et in primis Martiali solemnem, pietati erga unum Senecam philosophum tribuant, quam poeta Pollæ Argentariæ, viduæ Lucani adhuc superstiti, declarare voluerit. In duobus autem Senecis illis, quibus tertium Lucanum

Digitized by Google

adjungit, cavendum est, ne fingamus aliquem et scriptoribus historicis et ipsi poetæ nostro ignotum. Hic enim, si quis illa ætate vixisset Seneca, Lucio Annæo philosopho junior, illustris poeta tragicus et alumnus Cordubæ (ut ait Sidonius) præceptori Neronis æquiparandus, affinis etiam Pollæ Argentariæ, profecto eum non tacuisset in tot laudibus Hispaniæ suæ et eorum omnium, qui ex illa Romam venerant. Videtur sane Sidonio, quæ est sententia Delrii, persuasum fuisse, e duobus Senecis patrem fuisse illum philosophum Stoicum ac præceptorem Neronis, filium vero poetam tragicum, ut mirum non sit, ab eodem bellum Gallicum et civile Cæsaris atque Pompeii pro uno haberi. Nihil jam nos movent sermones isti Stoici, quibus Seneca in epistolis ad Lucilium poetis adversari videtur. Nam ut taceamus *Apocolocynthosin*, quæ et satis corrupta est, habetque fœdas lacunas, et incerti auctoris forsitan videatur, teste Plinio (epist. V, 3), ipse Annæus Seneca fuit inter gravissimos viros, qui *non seria modo, verum etiam lusus exprimerent*. Intelligi autem vult versiculos parum severos, comœdias, mimos et alia in quibus sunt istæ *poetarum ineptiæ* ad oblectandas aures spectantes. Tales versiculos philosophum, cui *mens interdum ad jocos revocanda* videbatur (de *tranquill. an.* c. 15), crebrius etiam *factitasse*, ut utar hoc vocabulo Taciti Annal. l. XIV, c. 52, quod cum illo Plinii *scriptitasse* in eadem causa mire convenit, auctoritati gravissimorum testium concedendum est. Jam de ludis quidem tragicis isti nihil tradiderunt. Quum autem hæc carmina etiamnum supersint, ac teste Quintiliano vere Senecam habeant auctorem, cur dubitemus, an et gravitate hujus philosophi, quam in epistolis ad Lucilium sæpissime est professus, satis dignæ sint illæ fabulæ, in quibus plus etiam *severitatis inest* quam *in togatis*, quas *medias esse inter tragœdias et comœdias*, et in quibus *poetas multa dixisse*, ait, *quæ a philosophis aut dicta sint, aut dicenda.*

Digitized by Google

Vid. epist. 8, ad Lucil. Quod autem in his epistolis ad Lucilium poetam versiculorum et carminum a se scriptorum nullam mentionem fecerit, nec in ullo earum loco subindicaverit, se ipsum quoque poetam seu aliquando fuisse seu adhuc esse, mirum videatur iis, qui nesciant, unde Seneca materiam scribendi plerumque petierit. Neque enim illæ epistolæ cum Ciceronis, Plinii, aliorumve, qui de hominibus, quibuscum vivebant, ac de rebus suo tempore publice privatimque gestis multa memoriæ tradiderunt, comparandæ sunt, sed unice fere spectant ad quærenda rationis principia, quibus doctrina de moribus firmari possit, et ad formandum ex his præceptis animum. Possis dicere, earum auctorem e duabus rebuspublicis, quibus sapientes mentes adscriptas esse monet, non eam, quæ civium est, sed majorem illam generis humani assidue cogitasse, oculosque suos a spectaculis istis levioribus, quibus tum res Romana inter tripudiantes histrionum catervas laborabat, consulto avertisse, ne, dum status publici nimiam curam gereret, alienis malis occupatus sua negligeret ulcera. Inde, quum primum receptui cecinisset, non aulam modo Neronis sed ipsam quoque memoriam vitæ pristinæ et eorum omnium, quibus olim aut placere aliis, aut mores eorum corrigere voluit, effugisse videtur, ac totum se tradidit severioribus studiis. Videant autem isti, quibus ipsum auctoris silentium materiam dubitandi de ejusdem tragœdiis suppeditavit, an ne eum temporis in colenda arte tragica absumpti forsitan æque pœnituerit, ut in perquirendis veteris historiæ monumentis aliquando hoc ipse professus est? Quærant iidem, an ille forsitan, dum vivebat, fabulas a se compositas plane dissimulaverit, ne animos civium suorum cupiditate ludorum scenicorum fere insanientes, exemplo suo magis irritasse, ac Neroni, rempublicam spectaculis fere evertenti, pessimi hujus consilii auctor fuisse videretur? Nos quidem minus etiam miramur, eum, qui carminibus suis invidiam principis

Digitized by Google

contraxit, poetam sese non jactasse, quam, vere ditissimum fuisse, qui pauperem se dicat.

Si tamen hæc omnia, quæ hucusque diximus, non valeant ad defendendam antiquitatis fidem, cur tandem Senecæ philosopho *aliquas* certe fabulas adscribamus? Si deinde tanta fuerit earum dissimilitudo, ut alias aliis auctoribus adsignare necesse sit, cur *Marcum* declamatorem illum veterem adhibeamus? Quidni dicamus simpliciter, superesse nobis collectionem quamdam tragœdiarum romanarum, quæ a poetis quibusdam ignotis venerint, auctoritatemque L. Annæi Senecæ temere præ se ferant? De quibus omnibus quum frustra jam viri docti quæsierint, equidem non tamquam aliquid novi propositurus hæc hactenus disputavi, sed, ut defenderem illam brevitatem, quam in opusculo de vita L. Annæi Senecæ composito, et alias sæpe et hoc loco in primis sequutus sum. Tædet enim multis disputare contra eos, qui, neglecta testimoniorum veterum auctoritate, cujus ipsi quodammodo impatientes sunt, libero judicio suo gloriantur, causamque historiæ sive dissimulant, seu pervertunt.

Digitized by Google

DE

TRAGOEDIIS SENECÆ

HISTORICA ET CRITICA DISSERTATIO,

AUCTORE *IACOBS*,

IN GYMNASIO GOTHANO PROFESSORE.

Hæc sæpe instituta quæstio est, cur ars tragica tam mediocrem Romæ fortunam habuerit. Cujus quidem rei quum plures allatæ sint causæ, eas tamen, quantavis solertia excogitatas, ad solvendam difficultatem haud satis efficaces fuisse nequaquam miror (1). Sic et nulla hactenus reperta sunt, quibus certo explicaretur, cur Gallia adeo inferior cæteris recentioris ævi gentibus epici carminis laude substiterit.

Angustam apud Romanos tragœdiæ conditionem fuisse tum præsertim liquet, quum litteræ romanæ cum græcis, quod fieri solet, comparantur. Verum hæc ipsa comparatio, si apte instituta fuerit, præ cæteris forsan videri possit, qua nodus expediatur. Atticæ indigena non minus poesis fuit, quam Acharnis hedera, aut thymum Hymetto: moribus, deorum sacris gentisque ambitioni admista erat tragœdia et quasi adtexta: pro ingenii palma poetæ, pro magnificentiæ et exquisitioris judicii fama variæ populi tribus inter se certabant (2). Ea in tragœdiis solebant exhiberi,

(1) Absit, ut nostra interpretatione nihil non explanari credamus. Externas tantum causas afferre studuimus, quæ latinam tragœdiam, ne in melius processerit, inhibuere: quærant alii, fuerintne et interiores causæ (nempe, verbi gratia, an Romani apto ad hoc excolendum poeseos genus ingenio caruerint), et unde illæ extiterint.

(2) Tribus ipsæ sumptum ad edenda spectacula, saltem ex parte,

Digitized by Google

quæ plerumque a veterrimis poetis narrata fuerant et poeticis coloribus adumbrata; quæ memoriæ suæ jam mandaverant pueri; quæ semper animo retractabant viri, monumentis publicis servata et omnium oculis ingesta; quorum denique multa ad Athenarum gloriam spectabant, quo majus pretium rebus accederet. Omnia igitur in græca tragœdia ad gentilitium ingenium exacta; omnia ad delectandos eademque accendendos spectantium animos mire composita; nec sane fieri potuit, ut poetæ ingenium iisdem non accenderetur.

Verum ex his omnibus, quibus efficiebatur ut Athenienses tragœdia sua, veluti quodam gentilitio festo, moverentur, ne unum quidem apud Romanos invenias. Quum enim latini poetæ historiis poetice elaboratis carerent (1), suas tragœdias scribendi materiam e Græcis ducere cogebantur; unde factum est, ut invectitius fructus, vel postquam romano solo pridem insitus fuerat, alienum saporem retinuerit. Nulla in agendis fabulis aut inter poetas, aut inter populi tribus æmulatio: quum igitur non quidquam esset in his civitatis

suscipiebant; quarum singulæ ex suis choragum constituebant, penes quem foret spectaculorum cura et arbitrium. Certabant inter se choragi, quis cæteros diligentia superaret, et ejus qui vicerat tribus laudem victoriæ sibi vindicabat. (Wolf, Prolegomena in Demosth. orat. adv. Leptinem, p. 89.)

(1) Prima dramaticæ artis specimina, ad imitationem Græcorum composita, Romæ prius producta fuerant (anno ab Urbe condita 514), quam ex Romanis quisquam historiam scripserit. At historia romana factis ita indigebat singularibus et ad movendos animos poeticosque colores felicius recipiendos accommodatis, ut antiquissimi historici, lumina operibus suis addituri, e Græcis facta hujus generis arcessiverint: qualia fuere, ut ex iis nonnulla tantum afferam, Sp. Tarpeii filia a Sabinis corrupta (Liv. I, 11. Conf. Clitophont. in Stobæo, tit. x, pag. 131); Horatiorum et Curiatiorum fabula (Liv. I, 25. Conf. Demarat. in Stob. tit. XXXVIII, pag. 226); dolus Sexti Tarquinii, quo decepit Gabios (Liv. I, 52. Conf. Herodot. V, 6, pag. 400), et multa alia.

Digitized by Google

moribus, cui sese adjungere et applicare posset exoticum spectaculi genus, unum omnino poetis supererat, ut sensu tantum universis communi et rerum intelligenti judicio uterentur. Quod quidem, ut apud recentiores, abunde valuisset, nisi necesse pro constituta semel reipublicæ forma fuisset, ut theatrales ludi civium animis non aliud quam oblectationem afferrent. Constat enim pauciores, apud Romanos, excolendo ingenio dare operam potuisse; quorum quidem vocem ita in iis quæ ad excolendum ingenium pertinent oppressit turba numerosior, tanquam de publica et ad maximam Romæ utilitatem spectante controversia ageretur (1). Maturius quoque cognita populo spectacula fuerant, quæ apud universas gentes multitudo dramaticis fabulis anteponit, gladiatorias pugnas, bestiariosque ludos, et solemnia pomparum, et hujusce generis alia.

Ubi vero magistratus, qui spectacula publica Romæ edenda suscipiebant, tragœdias comœdiasque ad imitationem Græcorum conformatas, nonnisi deficientibus alius modi ludis, frequentari animadverterunt, eas cœperunt amovere, ut substituerentur quæ populo placuerant. Jam temporibus Julii Cæsaris Romani mimis delectabantur, quodque studium primo fuerat, in effrenatam libidinem regnantibus imperatoribus efferbuit. Nullum igitur poetis incitamentum; atque theatrum haberi posse mansurum et stabile, cui faverent politioris ingenii, aut qui tales videri studebant, Romani, ne in cogitationem quidem eis incidebat, obstante et prohibente tota publicæ administrationis ratione. Itaque unum fere supererat, nempe ut tragœdias scriberent, quæ legeren-

(1) Sæpe etiam audacem fugat hoc terretque poetam,
Quod numero plures, virtute et honore minores,
Indocti stolidique, et depugnare parati
Si discordet eques, media inter carmina poscunt
Aut ursum, aut pugiles: his nam plebecula gaudet.
(Horat. Ep. II, 1, 181.)

Digitized by Google

tur. Quod nescio an acciderit, quum poesis Romæ maxime floreret. At certe constat dramaticam poesim ibi stimulo caruisse, quo, ubicumque eluxit, in summum provecta est.

Primo litterarum romanarum, id est, sexto post conditam Urbem sæculo, gloriari quidem visi sunt Romani, quod flos poeseos dramaticæ, qui jampridem Athenis elanguerat, apud se, in civitate terrarum orbis principe, revirescceret: advenæ quidem initia reparandæ artis summo studio foverant, quæ non ita male cessisse videntur (1). Verum ardor ille brevi refrixit. Imperante Augusto, Varius, cujus Thyestes, si Quintiliano credatur, cum singulis Græcorum tragœdiis comparari haud inique poterat, et Ovidius, cujus Medea ab eodem laudatur, soli inter Romanos huic poeseos generi operam dabant, ab omnibus fere derelictæ: at semel, neque iterum, dedisse videntur, quasi vires suas experiri tantum voluerint. Medio sæculo, quod primum a Christo fluxit, habebatur Pomponius Secundus pro perito tragœdiarum artifice, quamvis in ejus operibus tragicum minus robur, quam nitor et eruditio, laudaretur (2). Post eum Curiatius Maternus nonnullis tragœdiis innotuit (3).

(1) Serus enim (Romanus) Græcis admovit acumina chartis,
Et post Punica bella quietus, quærere cœpit
Quid Sophocles et Thespis et Æschylus utile ferrent.
Tentavit quoque rem, si digne vertere posset;
Et placuit sibi, natura sublimis et acer.
Nam spirat tragicum satis et feliciter audet.
(Horat. Ep. II, 1, 161.)

(2) « Eorum quos viderim longe princeps Pomponius Secundus, quem senes parum tragicum putabant, eruditione et nitore præstare arbitrabantur. » (Quintil. X, 1, 98.) — « Ne nostris quidem temporibus Secundus Pomponius Afro Domitio vel dignitate vitæ, vel perpetuitate famæ cesserit. » (Auctor dialogi de Causis corr. eloq. cap. 13.)

(3) Maternus ille partes suas agit in dialogo de Causis corruptæ eloquentiæ, ubi memorantur quatuor ejus tragœdiæ, Medea, Thyestes, Cato et Domitius. Narrat Dio Cassius illum a Domitiano interemptum,

Digitized by Google

In hoc tantillo tragicorum romanorum cœtu, continetur et Senecæ nomen, cui decem attribuuntur tragœdiæ, ad nos usque traductæ. Sed utrum celeberrimus, qui sic nominatur, Philosophus, vel pater ejus Rhetor illas sibi jure vindicet, an inter geminos, quod vulgo creditur, dividendæ, aut utri singulæ adscribendæ sint, non facile omnium assensu dijudicabitur (1). Id unum constat, Senecam Philosophum et poesi vacavisse; et verisimile dixerim, Senecam, cui Quintilianus Medeam attribuit, eumdem esse atque Philosophum. Opinabatur Lipsius decem quæ circumferuntur tra-

quod declamationem contra tyrannos recitaverat. Quum multa istiusmodi in Catone declamandi data occasio, pro argumenti natura, videatur (conf. ejusdem dialogi caput decimum), hac de Catone tragœdia mortem illi allatam arbitror. Favet nostræ conjecturæ et secundum cap. in quo: «Nam postero die, quam Curiatius Maternus Catonem recitaverat, quum offendisse potentium animos diceretur, tanquam in eo tragœdiæ argumento, oblitus sui, tantum Catonem cogitasset, etc.» Et ea tertii capitis: «Tum Secundus: Nil te, inquit, Materne, fabulæ malignorum terrent, quo minus offensas Catonis tui ames? an ideo librum istum apprehendisti, ut diligentius retractares, et sublatis, si quæ pravam interpretandi materiam dederunt, emitteres Catonem, non quidem meliorem, sed tamen securiorem.»

(1) Quæ hactenus de ea re disputata sunt, conjecturis magis, quam criticis investigationibus nituntur. Quintilianus (Inst. X, 1, 125), inter alia Senecæ opera, poematum quoque mentionem injicit; quod non videtur solummodo accipiendum de notissima in imperatorem Claudium satyra. Loca ex Senecæ scriptis vulgo allata, quibus eum poetam fuisse arguatur, parum firma probandi sunt argumenta. In ep. 107, aliquot Cleanthis versus latinis iambis reddit, sed non sine excusatione: «..... quos mihi in sermonem nostrum, inquit, mutare permittitur, Ciceronis, viri disertissimi exemplo. Si placuerint, boni consules; si displicuerint, scies me in hoc secutum Ciceronis consilium.» Quod dictum videatur ab homine qui nullum prope poeseos usum habeat. Attamen affectatam a Seneca poeticam facultatem constat, ex Taciti loco (Annal. XIV, 52), quo scribitur Senecam apud Neronem ab inimicis accusatum, «eloquentiæ laudem uni sibi adsciscere; et carmina crebrius factitare, postquam Neroni amor eorum venisset. Nam oblectamentis principis palam ini-

Digitized by Google

gœdias tribus aut etiam quatuor scriptoribus adsignandas (1).

quum. » Nullum in antiquitate monumentum novi, quo declaretur condita a M. Annæo Seneca Rhetore carmina : neque ducendum argumentum ex prænomine (*Marcus*), quod in multis manu scriptis habetur; nam in aliis præfertur *Lucius*. Vetusti quidam scriptores et grammatici Senecæ (utrum designent, incertum) Medeam, Troades, Herculem furentem, Hippolytum et Thyestem adsignant; ex quibus Troadas, Hippolytum et Medeam L. Annæo Philosopho attribuit Daniel Heinsius. Troadas tragœdiam *divinam* appellat : omnium antiquissimam Hippolytum judicat, propter æqualem puramque dictionem. Rursus idem Herculem furentem, Thyestem, OEdipum et Agamemnona M. Annæo Senecæ adscribit. Longe aliam Lucii et Marci scribendi rationem opinatur : « Character utriusque, inquit, ut et sermo multum distant. Marci enim plus declamatorium habet. Quæ res ita plana est, ut si nihil præter prologum Medeæ, aut Troadum, et Herculis furentis exstaret, non unius esse auctoris judicaturi fuerimus. Marci sæpe breves et concisas videas periodos; idque acuminis causa. Lucii pauciores ἀναπαύσεις habent, et antiquitatem magis sapiunt.... In Lucio non raro tota oratio instruit, in Marco sæpius gnomæ tantum iuseruntur. Choros excipio. Jam locorum major supellex in Lucio; quæ res mire antiquitatem sapit, etc. » Lipsius, in epistola quam ad Raphelengium de iisdem scribit, Troadas, ab Heinsio tantopere laudatas et a Scaligero pro *principe latinarum tragœdiarum* habitas, ut ab inerti et ignobili auctore conditas despicit. Heinsius Thebaida *Declamatoris fabulam* esse judicat. Lipsius contra sic eam omnibus numeris absolutam æstimat, ut *ad Augusti ævum referendam* pronuntiet. Quamvis in hac parte judicium ejus claudicet, mihi tamen videtur propius ad veritatem opinionis summa accessisse. Postquam magnis laudibus Medeam et Thebaida extulit, hæc adjicit : « In aliis virtutes video, sed non sine mixtura vitiorum..... Sonus in iis et granditas quædam tragica, fateor; sed nonne affectatio sæpe et tumor? verba et dictio an usquequaque electa? Jam sententiæ probæ, acutæ, interdum ad miraculum : sed nonne sæpe et sententiolæ? i. e. fracta, minuta quædam dicta, obscura aut vana, quæ adspectu blandiantur, excussa moveant risum : nec enim lumina, sed scintillæ sunt; nec veri fortesque ictus, sed, ut in somnio, parvi et vani conatus. Quas tamen ipsas crebro nimis et ad fastidium inculcat, nec invenit, sed arripit; non tam sua fortasse quam ævi culpa, cui scholasticum et declamatorium hoc genus ita placuit, *ut operum omnium*, Fabii verba sunt, *solam virtutem sententias putarent.* »

(1) Arbitratur Lipsius plerasque earum L. aut M. cuidam Senecæ at-

Digitized by Google

Sed quodcumque ex ea demum investigatione colligi possit, omnibus, excepta Octavia (1), tragœdiis inest idem ingenii color, quo universas ab uno conscriptas, aut saltem ex eadem scribendi ratione natas arguitur. Communes cunctis virtutes, communia vitia, ut quæ ex eodem fonte fluxerint, id est, ex eadem temporum et ingeniorum inclinatione.

tribuendas, qui nec Philosophus nec Rhetor sit, et qui Trajani ætate vixerit; Medeam contra a Philosopho scriptam; Thebaida forsan Augusti sæculo æquævam; Octaviam denique, rudem fabulam (*verbere excipiendam eruditorum, non plausu*), nulli superiorum posse assignari. Opinatur *Brumoy*, non supra fidem forsan aggressurum, si quis universas ab uno conscriptas approbare voluerit (*Théâtre des Grecs*, tom. IV, p. 159, *édit. nouv.*). Mihi quædam liceat super ea re, quamvis non inter se juncta, referre. Thyestem et Herculem furentem ab eodem auctore scriptas probavit firmissimis argumentis Lessingius, in Theatr. Biblioth. tom. II, p. 108. Qui scripsit Thyestem, idem et Troadas scripsisse mihi videtur, in utraque tragœdia descriptionibus eundem in modum aggestis contextisque. Itaque nonnulla hinc et inde similia occurrunt. Conf. Troad. 209. Thyest. 724. Troad. 234. Thyest. 746. Item de OEdipo. Cæterum Troades non inflatæ minus et turgidæ sunt, quam singulæ tragœdiæ, quas Heinsius, propter ampullas, Rhetori Senecæ attribuit. De Troadum initio sic dicit *Boileau*, *Art Poét. ch.* III:

> Que devant Troie en cendre Hécube désolée
> Ne vienne pas pousser une plainte ampoulée,
> Ni sans raisons décrire en quels affreux pays
> Par sept bouches l'Euxin reçoit le Tanaïs.
> Tous ces pompeux amas d'expressions frivoles
> Sont d'un déclamateur amoureux de paroles.

In Agamemnone declamatio ita vitiosa sæpius est, ut eum prope habueris pro insuavi quadam Thyestis imitatione. Quemadmodum in hoc umbra Tantali, sic in illo prolequitur umbra Thyestis, gaudetque sceleribus quæ patratura est Atrei domus. Quæ inepte effutit, partim ex Thyeste deprominitur. Conf. 16-24 cum Thyest. 6-14; v. 8 cum Thyest. 667. — *Brumoy* (*Théât. des Grecs*, tom. IV, pag. 159, *édit. nouv.*) OEtæum quoque Herculem Thyestis auctori edsignat.

(1) Hæc tragœdia, in qua exhibetur Nero uxorem repudio dimittens (vid. Tacit. Ann. XIV, 60) et suis partibus fungitur Philosophus Seneca,

Digitized by Google

Poesis apud Romanos sese eloquentiæ adjunxerat. Antequam Græcorum artes noscerent, jam nonnullos facundiæ laude excellentes habuerant; at postquam illæ Romæ demum invaluerunt, dicendi facultas ad summum ascendit. Ex omnibus Græciæ opibus, ea videntur sibi primum vindicavisse Romani, quæ ad efficiendum et instruendum oratorem prodessent (1). Hac via apud eos progressæ sunt litteræ. Unde factum est, ut tamdiu solummodo sinceritatem retinuerit poesis, quamdiu suam auctoritatem dignitatemque servavit eloquentia. Tanta scilicet alteri cum altera intercedebat conjunctio, ut poesis latina, etiam quum maxime floruit, habitum quemdam oratorium omnino exuere non potuerit.

Occidente igitur eloquentia, occidit et poesis; quod jam in celebratissimo illo Augusti sæculo evenit, quo nullus cœpit inclarescere paulo insignior et sani judicii poeta (2). Erraret enim, si quis decus et fortunam eloquentiæ æstimare vellet ex scholarum numero, ubi oratoriæ artis præcepta ediscebantur; quæ quidem mirum in modum tunc præsertim multiplicatæ sunt, quum vox eloquentiæ in gravissimis reipublicæ deliberationibus non jam audiretur. Præceptores discipulorum aut auditorum suffragia sibi conciliare studebant (3), quod assequi nonnisi juvenili quodam dictionis cultu pote-

videtur *cento* quidam fuisse tragœdiarum Senecæ adscriptarum; sed inter ejus opera minime debet numerari. In ea distincte significatur (v. 732) nex illa Neronis ab ipso sibi illata, ut debitæ pœnæ se eriperet.

(1) Tullius, quum in oratione pro Archia poeta, cap. 6, studia litteraria quibus vacat excusare velit, eis eloquentiam foveri causatur: « Atque hoc adeo mihi est concedendum magis, quod ex his studiis hæc quoque crescit oratio et facultas, quæ quantacumque in me, numquam amicorum periculis defuit. »

(2) Virgilius quidem, Horatius et Varius imperante Augusto florebant; sed superiore ætate instituti et ad poesim accincti fuerant.

(3) Describit vivide Quintilianus (Inst. II, 2, 9-14) quomodo sese gerere, vel inter se, vel erga præceptorem, solerent qui declamationi studebant.

Digitized by Google

rant; nec ea res minus, quam mutata reipublicæ forma, non solum eloquentiam corrupit, sed publicum, ut ita dicam, judicium, quum in istius generis scholis instituerentur quicumque vel genere, vel divitiis valerent. At quemadmodum, liberæ temporibus civitatis, ne intumesceret eloquentia, hoc ipsum obstiterat, quod illa in publicis rebus agendis utebantur Romani, sic ipso fori usu tunc additæ orationi ampullæ. Ubi studia latius propagata sunt, ait scriptor egregius, cujus non ipsa omnino verba, sed sententiam afferimus (1), arctior visa est prisca disciplinæ ratio. Novis et exquisitis eloquentiæ itineribus opus esse existimatum est, per quæ orator fastidium aurium effugeret. Illa dicendi copia qua prius gaudebat Ciceronis, Hortensii, Cæsaris eloquentia, jam nihil, quo sese effunderet, habuit in novo negotiorum genere, quæ tunc publice agebantur; et judices oratorem a proposito digredi ausum admonebant

(1) Auctor dialogi de causis corrupt. eloq. cap. XIX-XX : « Novis et exquisitis eloquentiæ operibus opus est, per quæ orator fastidium aurium effugiat... Judices oratorem alio transgredientem revocant et festinare se testantur..... Præcurrit hoc tempore judex dicentem; et nisi aut cursu argumentorum, aut colore sententiarum, aut nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus est, aversatur dicentem. Vulgus quoque assistentium et affluens et vagus auditor assuevit jam exigere lætitiam et pulchritudinem orationis. Jam vero juvenes... referre domum aliquid illustre et dignum memoria volunt; traduntque invicem et sæpe in provincias et colonias suas scribunt, sive aliquis arguta et brevi sententia effulsit, sive locus exquisito et poetico cultu enituit. Exigitur enim jam ab oratore etiam poeticus decor ex Horatii et Virgilii et Lucani sacrariis prolatus. » Non recte quisquam objiciat ætatem carpi paulo posteriorem. Sani enim judicii fieri inclinationem, et quibus ea subrepat causis, non primo statim initio intelligitur; præsertim, si quæ invalescunt vitia speciosum aliquid et splendidum præ se ferant, qualis foret declamatoria poesis, aut poetica declamatio. Tunc quidem necesse est, ut malum prius multum procedat, quam caliginem quisquam excutiat. Quod igitur animadverti et reprehendi ultimis sæculi annis cœpit, medio sæculo, non ita palam, sed exstitisse tame videtur.

Digitized by Google

se non ideo consedisse, ut vana et supervacua audirent. Itaque cogebatur orator argumenta sua quam celerrime percurrere, aut sententiarum descriptionumve nitore et cultu judicum animos trahere. Instabiles et vagi auditores majorem oratoribus cupidinem injiciebant, ut in singulis orationis partibus enitescerent. Juvenes præsertim, quibus his etiam temporibus eloquentia curæ erat, breves et acutas orationum sententias excerpebant, quas non Urbi solum, sed et provinciis traderent. Eadem diligentia loca sectabantur poesi cognata: nam ornamenta poetica in soluta oratione quærebantur; et tunc imprimis placebat orator, quum Horatii et Virgilii et Lucani sacraria diripuerat.

Quum ita saperent Romani, quo tempore scriptæ videntur tragœdiæ Senecæ adscriptæ, quam ad rationem illæ æstimandæ sint, satis patet. Fuere quos sua opinio ita decepit, ut eas Græcorum tragœdiis non æquarent solum, sed et anteponerent. Verum portento propius fuerit, si qua ætate in pravum adeo deflexerat ars illa unica quæ studiose colebatur, communi vitio caruisset poesis, hactenus eloquentiæ consociata.

Senecæ poemata (quæ sic appellabimus brevitatis causa) tragœdiarum quidem nomen et exteriorem formam usurpant; sed nihil aliud per se fuisse videntur quam rhetoricæ quædam exercitationes, scenæ neutiquam destinatæ. Non sine emolumento oratori esse poterat, ad artem suam felicius excolendam, si poesi dramaticæ assuesceret, et in ea quid posset experiretur. Neque hæc rhetoribus omissa cura. Sæpe in scholis tractanda proponebantur, quæ vel ex propriis tragicarum fabularum argumentis desumpta fuerant, vel ad illarum imitationem efficta (1). Sed ex his

(1) « Sint ergo et ipsæ materiæ, quæ fingentur, quam simillimæ veritati. Nam magos, et pestilentiam, et responsa et sæviores tragicis novercas aliaque adhuc magis fabulosa frustra inter sponsiones et interdicta quæremus. Quid ergo? nunquam hæc supra fidem, et poetica (ut vere dixerim) themata, juvenibus pertractare permittemus, ut exspatientur

Digitized by Google

exercitationibus ad condendas uno contextu tragœdias facile ducebantur juvenes, non alio tamen quam rhetoricæ artis respectu.

Potuit et aliud adhiberi, quod in veris orationum vel disputationum retractandis argumentis fieri solebat. Quemadmodum enim materia declamationum ponebatur, quam olim celeberrimus aliquis orator tractaverat, sic, in his poeticis et rhetoricis exercitationibus, cum tragicis veteribus certatio quædam, ut verisimile est, instituebatur. Eumdem fere utraque res exitum habuit. Orator, aut poeta, qui primus argumentum occupaverat, minimas materiæ partes et quasi frustula successori relinquebat; et quo majore ingenio et sagacitate inclaruerat, eo certius existimabatur quæ præcipua et meliora erant præripuisse. Frangitur autem magis quam intenditur animus (1), dum nititur et contendit ut eadem novis verbis proferat : verum et naturalem animi impetum excipit ardor quidam arcessitus; sublimitatem decoremque, inflata quædam tumidaque magniloquentia et frigida arte compositæ orationis argutiæ.

Si Senecæ tragœdias ita conditas fuisse arbitremur, ut singula congererentur quæ splendidis acutisque sententiis, amplis descriptionibus liberisque declamationibus serendis occasionem darent, eas hoc ornamentorum genere non carere fatendum, quæ auctores, quo scriptæ sunt sæculo, avidius sectabantur. Omnia ad perstringendam lautis et copiosis descriptionibus animorum aciem, ad capiendas congestis sententiis mentes, et vario rhetoricorum artificio-

et gaudeant materia, et quasi in corpus eant? Erat optimum.» (Quintilian. II, 10, 4.) Conf. dial. de Causis corrupt. eloq. cap. 35. Petron. cap. 1. Idem testatur Juvenalis, Sat. VII, v. 150 :

> Declamare doces, o ferrea pectora Vetti,
> Quum perimit sævos classis numerosa tyrannos.

(1) Wolf in Proleg. ad Demosth. orat. adv. Leptin. p. 39.

Digitized by Google

rum apparatu percellendas accommodantur; minime autem ad movendas; quod quum tragœdiæ proprium sit et præcipuum, neutiquam tamen curavisse Seneca videtur. Hoc enim inter rhetorem et poetam differt, ut ille, cæteris neglectis, sibi tantum et ingenio suo admirationem quærat; hic contra id unum spectet, ut animos legentium spectantiumve ipsa fabula detineat, scriptoris et ejus ingenii oblitos. Nemini dubium esse potest, in tragœdiis Senecæ rhetoricam industriam præsertim spectari: unde sæpe fit, ut ingenium ejus simul laudare, et dramaticam compositionem severius notare cogamur.

Non igitur eum dramaticæ artis ignarum fuisse, sed ad finem quem sibi proposuerat respiciendum putamus, ut omnino intelligatur, cur tam frequenter ea neglexerit, quæ ad similitudinem veri servandam et promovendos tragicos affectus necessaria videntur. Aliquid in texendis fabulis plerumque claudicat. In unum singula male coeunt; et quæ in singulis tragica occurrunt, admiratione quidem aut terrore, sed numquam teneriore motu animos implent. Monologiæ, narrationes descriptionesque prolixæ sunt et enormes; omniaque in eis, nulla propositi habita ratione, rhetoricis ornamentis cumulatim onerantur. Nulla rerum quæ eveniunt apta præparatio: sejunctæ scenæ et nullo vinculo connexæ: superveniendi aut egrediendi causæ personis numquam satis observatæ. Hæc omnia pro supervacuis omittit poeta, quippe qui alio tendit ac nititur. Immo fieri potuit, ut ad assequendum quod sibi proposuerat, non parum profuerit quædam ex industria negligi. In rhetoricis exercitationibus, assiduo conatu opus erat, ut quam maximo semper sui specimine ingenium splenderet: necesse videbatur, unamquamque scenam, unumquodque fere verbum admiratio et stupor sequerentur. Inde in toto opere, a capite ad calcem, eadem dicendi contentio. Nusquam, nisi fors ita tulerit, explicantur agentium mores inge-

Digitized by Google

niumque, nusquam cupiditates apte adhibentur, nusquam crescit exspectatio continua rerum gradatione.

Omnia, repetam enim, in his tragœdiis ad injiciendam admirationem, minime autem ad movendos animos videntur accommodata. Huc spectat rerum, personarum, dictionis compositio. Multa supra naturam, contra naturam nonnulla: color scribendi plerumque fucatus. Duæ tantum tragœdiarum species, vel horrentes umbras, vel scintillantia lumina præferentium.

Quæ Senecæ tractata sunt argumenta, jam in scenam protulerant græci poetæ; et in plerisque suis fabulis habuit, quos imitaretur: quumque illorum opera nec nobis exciderint, ex ipsa comparatione possumus colligere, quibus approbetur nos de tragicis Senecæ virtutibus recte sensisse. Ut æquius juxta et efficacius agamus, varia omnino et diversi generis afferemus exempla.

Initium ducetur ab Hippolyto, quem Noster ex Euripidis tragœdia effinxit, una inter ejus absolutissimas. In græco dramate inducitur Hippolytus, dum redit e venatione floreamque corollam aræ Dianæ pro domo exstructæ imponit. Proxima Veneris ara illi neutiquam advertitur. Ab uno comitum admonitus, ne cultum deæ velit omittere, id in occasionem arripit, ut palam profiteatur quanto in contemptu eam habeat, quæ noctu tantum colitur. Scena brevis et summæ operis accommodata (1); sed quæ latino poetæ humilior videatur. Hippolytus igitur in Seneca exhibetur

(1) Si quis de hac scena pro nostri temporis æstimatione judicium facere voluerit, ea forsan videbitur supervacua: non enim in illa magis ingenium et affectus Hippolyti declarantur, quam in sequentibus, aut in ipso prologo. Sed, ut suum Euripides propositum assequeretur, Hippolytus amoris deam statim ab initio ferocioribus insectaretur verbis oportuit. Ferocitas illa, quanquam et virtuti juncta, et ab ea, ut ita dicam, orta, non culpa carere antiquis videbatur: unde in ea tragœdia hac cladis causa premitur Hippolytus.

Digitized by Google

cum multis in venationem exiturus, et venandi munera suis partitur. Eos scilicet in cunctas Atticæ partes dimittit, se geographiæ ac mythologiæ scientissimum hoc initio professus. Locorum naturam et singula venatici laboris poeticis coloribus describit, atque in fine Dianam prece adorat, sed grandioribus quam apud Euripidem verbis. Quid de amore sentiat nihil significatur; at, peracta prece, Hippolytum excipiunt Phædra et ejus nutrix.

Scenam orditur Phædra longissimo de Thesei infidelitate conquestu (1), qui infernas adiit sedes, ut illicitæ libidini satisfaceret. Sed multo magis miserum queritur amorem, quo intima torquetur:

Juvat excitatas consequi cursu feras,
Et rigida molli gæsa jaculari manu.
Quo tendis, anime? quid furens saltus amas?
Fatale miseræ matris agnosco malum.
Peccare noster novit in silvis amor.
Genitrix, tui me miseret: infando malo
Correpta, pecoris efferi sævum ducem
Audax amasti: torvus, impatiens jugi,
Adulter ille, ductor indomiti gregis;
Sed amabat aliquid. Quis meas miseræ deus,
Aut quis juvare Dædalus flammas queat?

Jam ex his patet non eumdem esse in græco et in latino poeta Phædræ amorem; utpote in illo divinitus immissum, et infelicis Phædræ pectori, ut venenum quoddam, injectum. Phædra suum agnoscit scelus, et nihil omittit, ut turpe jugum excutiat; postquam autem se frustra contendere intelligit, tunc mori statuit celatumque amorem secum abolere. Sed quod omnibus occultum esse velit, cogitur tandem confiteri, eliciente arcanum nutricis pietate; qua

(1) Hoc videtur ab altero Euripidis Hippolyto assumptum, qui designabatur nomine Ἱππολύτου καλυπτομένου. Namque Phædra ibi querebatur se flagitiosis Thesei amoribus ad insanum ardorem propulsam.

Digitized by Google

quidem in scena præclarissime pugnant et luctantur hinc verecundus pudor, illinc violenta et sui impotens cupiditas. Vid. Euripid. Hippol. v. 337 et seqq. in quibus non tam aperit amorem, quam maternæ sortis miseratione innuit. Hoc tantum significat, se quoque desperato amore torqueri; et in ea recordatione parumper commorata, sororis fatum eodem consilio miseratur. Nullam delicatiori stylo scenam descripsit Euripides. Quanto asperius et indecentius Seneca, apud quem Phædra, nulla quidem de causa, sed ultro et quasi libens in sorte genitricis Pasiphaes hæret commemoranda, eamque felicem profitetur, quod, quæ nefarie moliebatur, assecuta fuerit!

Videtur romanus rhetor græcam Phædræ imaginem, ut quæ magna lineamentorum specie et excitatiori colorum luce careat, fastidivisse. Pro feminea igitur natura, qua efficitur, ut ejus vel nocentis, quasi vis quædam cælestis impulerit, misereamur, masculam indidit audaciam, quæ, effrenata quo rapit cupiditas, sequitur, ad id unum intenta, ut furorem expleat. In græco poeta Thesei uxorem conatur nutrix verbis erigere, desperatione amentem lethumque sibi minitantem: culpam in Venerem transfert, cujus numini non resisti posse asseverat. Romanus contra, mutatis partibus, nutricem inducit Phædræ amori adversantem, Phædra eum posse edomari negante; quo datur longis sermonibus, descriptionibus splendidis, acutisque accersendis sententiis occasio. Post diuturnam concertationem, Phædra, conversa ex inopinato mente, pudori suo parcere et mori statuit: quod ex industria, ut videtur, affingit, nutricem in sententiam suam hac doloris significatione tractura. Saltem ita se res habet, decernitque nutrix Hippolyti animum aggredi amori inexpugnabilem.

His diversissimis itineribus, quo cuique pervenire destinatum, pergitur. Græcus pudoris cupiditatisque certamen, Romanus cupiditatis contra vim externam pervicacis con-

Digitized by Google

tentionem depingit. In illo Hippolyti animum nutrix pertentat scrutaturque, insciente Phædra, quæ, quum superveniat, ultima colloquentium verba excipit, cognoscitque spem juxta et honorem sibi periisse. Scenæ quibus ea continentur, ita sunt dimensæ, ut nihil redundet. Seneca cursum circumducit, sed quo facilius in descriptiones declamationesque, quibus gaudet, incidat. Exhibetur Phædra toro reclinis, amictusque describit, quibus se gratiorem Hippolyto fore arbitratur :

Removete, famulæ, purpura atque auro illitas
Vestes : procul sit muricis Tyrii rubor,
Quæ fila ramis ultimi Seres legunt :
Brevis expeditos zona constringat sinus.
Cervix monili vacua ; nec niveus lapis
Deducat aures, Indici donum maris.
Odore crinis sparsus Assyrio vacet :
Sic temere jactæ colla perfundant comæ
Humerosque summos ; cursibus motæ citis
Ventos sequantur : læva se pharetræ dabit ;
Hastile vibret dextra Thessalicum manus.
Talis severi mater Hippolyti fuit.
Qualis, relictis frigidi Ponti plagis,
Egit catervas, Atticum pulsans solum,
Tanaitis, aut Mæotis, et nodo comas
Coegit emisitque, lunata latus
Protecta pelta ; talis in silvas ferar.

Illa quidem descriptio, quemadmodum vel in epico carmine, propter singula minutatim recensita, prolixior subtiliorque videretur, ita loquenti Phædræ attributa, iners est omnino et insuavis. Quis satis fore non existimet, si spectantibus ea sese ostenderit, ut sigillatim enarrat, vestitam, aut paucis saltem quem eligat cultum indicaverit? Talia destinantem scenæ merito Senecam fastidiremus, qui in vitium imprudens lapsus fuerit, tironibus etiam facile notandum. Quid enim apertius, quam feminam violenta cupiditate exagitatam, et decretorium aliquid jamjam ausu-

Digitized by Google

ram, suimetipsius descriptionem in tenuissimis usque persequi non posse?

Postquam Phædra se pro descriptione ornatam spectantibus exhibuit, egreditur scena, manente nutrice et Hippolytum exspectante. Quem venientem longa excipit oratione, in qua sæpe usurpatam tritamque sententiam, non sine magno artis dialecticæ apparatu, explicat, juventute fruendum et præcipuum esse in amore juventutis fructum. Hippolytus, eodem usus dicendi genere, longiori etiam oratione nec minus poeticis coloribus, venaticæ vitæ præstantiam adumbrat. Aliud deinde, commune vulgatumque, suscipit verbis amplificandum: contendit enim statim atque homines sylvas reliquere, irrupisse scelera, omnibusque malis initium a feminis datum. Vix inter se cohærent sententiæ; et satis apparet laboravisse et exsudasse poetam, ut diffusum eloquentiæ suæ tenorem ad poesis dramaticæ normam redigeret.

Mox ad sequentem scenam revertar, in qua Phædra animi sensus aperit Hippolyto. Satis erit ad assequendum quod mihi nunc destinatum est, si quædam ex ejusdem tragœdiæ fine excerpta afferam. In utroque poeta, falsa novercæ criminatione Hippolytus premitur, sed aliter in altero. Eum in scenam referri morientem græco placuit, et a Diana purgatum, insontem Theseo approbari: quæ quidem adeo suaviter adumbrantur, ut innocentis Hippolyti et pœnitentis patris aspectu valde permoveantur animi. Seneca autem, qui mavult ipse loqui, non Hippolytum quidem (1), sed membra ejus misere discerpta in scenam reducit, a famulis

(1) Forsan et in Euripidis Hippolyto καλυπτομένῳ afferebatur in scenam velatum Hippolyti corpus (vid. Musgrav. de fragm. Euripid. Alias alii sic inscriptæ tragœdiæ causas afferunt). Constat saltem non potuisse græco poetæ immania illa placere, quæ proferre palam Seneca non dubitavit.

Digitized by Google

ægre collecta. Quæ postquam ante pedes Thesei aggesta sunt, exclamat ille:

Hippolytus hic est? crimen agnosco meum.
Ego te peremi: neu nocens tantum semel
Solusve fierem, facinus ausurus parens,
Patrem advocavi: munere en patrio fruor.
O triste fractis orbitas annis malum!
Complectere artus, quodque de nato est super,
Miserande, mæsto pectore incumbens fove.
Disjecta genitor membra laceri corporis
In ordinem dispone, et errantes loco
Restitue partes. Fortis hic dextræ locus;
Hic, læva frenis docta moderandis manus
Ponenda. Lævi lateris agnosco notas.
Quam magna lacrymis pars adhuc nostris abest!
Durate trepidæ lugubri officio manus,
Fletusque largos sistite arentes genæ,
Dum membra nato genitor annumerat suo,
Corpusque fingit. Hoc quid est forma carens,
Et turpe multo vulnere abruptum undique?
Quæ pars tui sit dubito, sed pars est tui.
Hic, hic repone, non suo, at vacuo loco.

Quum adeo horrenda sit hæc scena et inusitatæ immanitatis, quis credat eam ideo scriptam, ut spectanda proponeretur?

Quemadmodum in Hippolyto Seneca indolis illius vere femineæ imaginem consulto removit, quam jam adumbraverat mollissimus tenerrimusque poetarum Euripides; sic in Œtæo Hercule, Dejaniræ personam, unam inter insigniores quas Sophocles descripsit, omnino deformavisse videtur, ut rhetoricam exercitationem adjuvaret. Quod in Sophocle acerrimum est et violentissimum, invalidum et enerve existimavit romanus declamator: vehementioribus illi affectibus opus fuit, ut colores suos pleniori stylo profunderet: Dejaniram igitur, quæ patientius agit in Sophocle, insana furentem zelotypia exhibet.

Digitized by Google

Quædam ex Senecæ tragœdia afferam, quibus approbetur quantopere a græco poeta se removeat, veroque ablegato tragœdiæ robore, splendidam tantum sublimitatem sectetur. Vix Dejanira captivam Iolen conspicit, sævo uritur dolore, quem nutrix his depingit versibus:

Ut fulsit Iole, qualis innubis dies,
Purumve claris noctibus sidus micat,
Stetit furenti similis, ac torvum intuens
Herculea conjux, feta ut Armenia jacens
Sub rupe tigris, hoste conspecto exsilit,
Aut jussa thyrsum quatere, conceptum ferens
Mænas Lyæum, dubia quo gressus agat,
Hæsit parumper: tum per Herculeos lares
Lymphata rapitur; tota vix satis est domus.
Incurrit, errat, sistit: in vultus dolor
Processit omnis.

Quum hanc descriptionem aliquantum extendit, ipsa venit Dejanira, nova et inaudita infido conjugi supplicia imprecans:

Quamcumque partem sedis æthereæ premis,
Conjux Tonantis, mitte in Alcidem feram,
Quæ mihi satis sit. Si qua fœcundum caput
Palude tota vastior serpens movet,
Ignara vinci: si quid excessit feras,
Immane, dirum, horribile, quo viso Hercules
Avertat oculos, hoc sinu immenso exeat.
Vel si feræ negantur, hanc animam precor
Converte in aliquid: quodlibet possum malum
Hac mente fieri. Commoda effigiem mihi
Parem dolori: non capit pectus minas.
Quid excutis telluris extremæ sinus,
Orbemque versas? quid rogas Ditem mala?
Omnes in isto pectore invenies feras,
Quas timuit: odiis accipe hoc telum tuis.
Ego sum noverca: perdere Alcidem potes.
Profer manus quocumque. Quid cessas dea?

Digitized by Google

Utere furente. Quod jubes fieri nefas?
Reperi. Quid hæres? ipsa jam cesses licet,
Hæc ira satis est.

Eas frigidas declamationes ulterius persequitur, et, quasi furore suo gaudeat, se ipsa ad accendendas iras exstimulat, si earum ardorem vel tantulum imminui judicaverit. Vult impense nefas patrare; et interrogante nutrice : *Perimes maritum?* respondet, *Pellicis certe meæ.*

Eo gravius peccant, quarum aliquid speciminis dedimus, declamationes, quod nihil omnino efficiunt. Furor iste immodicus non plus proficit quam Sophocleæ Dejaniræ patientia. Postquam enim omnes audendi sceleris modos ordine recensuit, decrevitque Herculem de medio tollere, hoc meminit quod arcana vi potentissimum a Nesso accepit, et uti statuit, ut sibi amorem conjugis, si possit, reconciliet. Eadem sequuntur, quæ in Sophoclis tragœdia; sed ubi audivit Dejanira quam intulerit pestem venenata vestis, rursus in furias agitur, accidisse indignata, nec ipsa auxiliante, quod priore voto occupaverat. Ut in græco poeta, sed apparatius jactantiusque, se interimit. Hæret enim dubia, quam satis horrendam necem sibimet ipsa inferat. Nunc per artus suos ensem exigere, nunc ab ætherea rupe ferri placet, ut partem sui omne saxum retineat, et totum montis latus suo rubeat sanguine. Denique illi in mentem venit unam non satis fore mortem. Gentes igitur adesse jubet terrarumque orbem universum, ut saxa et incensas faces jaculentur (1).

(1) In cæteris tragœdiis similia invenias. Quum agnovit scelera OEdipus, se occidere statuit; sed unam simplicemque mortem non satis fore existimat:

Iterum vivere, atque iterum mori
Liceat: renasci semper, ut toties nova
Supplicia pendas. Utere ingenio miser.

Digitized by Google

Si in femina ita efferatur impetus animi, quo declamatorii furoris progredietur virilis ardor? qualis erit rabies Herculis, ita bacchante Dejanira?

Mihi constat, neque aliter existimaturos opinor quicumque Sophocleum opus legerint, a græco poeta Dejaniræ dolorem ita fuisse temperatum, ne Herculis ærumnas in majus augere cogeretur, aut colorem corrumperet, qui, ut pulchræ tabellæ, sic pulchro poemati modestius affundi debet. Tanta humanitas, in Trachiniis, quanta magnitudo, Herculi attribuitur. Doloris sui sensu non caret, nec abstinet questibus: ubi vero se premi oraculo cælesti intelligit, semetipsum adhortatur, et tolerantius cruciatus patitur suos. Apud Senecam, furit et se effert superbius. Illic in verbis ejus sublimitas, et inaffectatæ eloquentiæ robur: hic effusus extra modum tumor, et quædam rhetoricæ declamationis intemperantia.

Abunde probant quæ attulimus exempla longe inferiorem in exprimendis affectibus substitisse latinum tragœdiarum scriptorem, neque vel æmulum Græcorum haberi posse, qui aliud omnino atque illi sequatur. Studuisse enim videtur, ut personas suas enormi proceritate attolleret, et veri fines, intra quos tam felici cura illi sese continuerant, consulto excederet (1). Pauca tantum, et eadem singula

(1) Nemo vir majori audacia, ferocitate et superbia exsultat, quam Megara in Hercule furenti. Lycum nuptias offerentem non modo dedignatur; sed acerba superaddit convicia, quamvis multa habeat et sibi et liberis metuenda. (V. 380-397.) Vim Lyco minitanti respondet: *Cogi qui potest, nescit mori.* In Troadibus, non secus moritur Polyxena atque gladiator, qui adversarios simul et mortem contemnit (v. 1151):

Audax virago non tulit retro gradum;
Conversa ad ictum stat truci vultu ferox.
Tam fortis animus omnium mentes ferit.
Novumque monstrum est, Pyrrhus ad cædem piger.
Ut dextra ferrum penitus exacta abdidit,

Digitized by Google

sparsaque, ab intimo et genuino sensu fluxere : si ad rerum summam attenderis, cuncti videntur affectus, dum e pectore in os prodeunt emittendi, in vapores, ut ita dicam, solvi, quo latius turgescunt, eo minus ponderis habituros. Plerumque apud Senecam affectus cupiditatesque ita loquuntur, ut semet esse negent.

Quamvis hoc unum sufficiat, ne possit Seneca cum Græcis de palma contendere, est tamen et aliud, quo ei antecellant. Itaque parte quam adhuc exploravimus egressi, quæ sit ejus in inveniendis disponendisque rebus solertia, servata cum Græcis collatione, perpendamus.

Dispositio fabulæ in Sophocleo Œdipo a criticis, ut imitatione dignissima, jure laudata est; Œdipus omnibus antiquitatis, quæcumque exstant, tragœdiis facile hac laude præstat. Tractavit eamdem fabulam Seneca : sed quum in componendis rebus quædam emendare non dubitaverit, ex his ipsis certe poterit colligi, quid judicii et doctrinæ habuerit, quatenus in illo tragica facultas spectetur. Quod quidem diligenter ponderatum ad æstimationem de poetico illius ingenio faciendam plurimum conferet.

Œdipi latini expositio duabus primi actus scenis continetur. Neque usus est poeta notabili Sophoclis arte, qui,

> Subitus recepta morte prorupit cruor
> Per vulnus ingens, nec tamen moriens adhuc
> Deponit animos : cecidit, ut Achilli gravem
> Factura terram, prona, et irato impetu.

Hæc extrema declamatorem produnt, dum contra in Euripide notissimum illud, καὶ θνήσκουσ' ὅμως πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν (*Tum quoque jam moriens, ne non procumbat honeste, Respicit.* Ovid. Fast. II, 833), poetam declarat veræ naturæ et ingenii splendide feminei feliciter imitatorem. Immo Seneca stoicam illam superbiam, quæ virum quidem decet, sed perraro in feminam apte cadit, puero Astyanacti induit, qui solus non flet in flentium turba, et *sponte desilit in media Priami regna* (v. 1102).

Digitized by Google

dum Thebanos inducit suam ab Œdipo salutem efflagitantes, manifestius quid hoc dramatis initio agatur declarat, spectantium animos ad exitum fabulæ præparat, et statim ostendit quanto amore Œdipum prosequantur Thebani, quantasque spes in illo reponant, ipso nesciente se pestem urbi afflavisse. Contra in Annæo, Œdipus longissima oratione rem aggreditur, quæ quidem quo spectet difficile dictu est. Describit enim miserrimam urbis vastitatem, et quibus de causis Thebas migraverit, enarrat; oraculum præcipue, nec summatim, commemorat, quo sibi prænuntiatum est, se violentas manus illaturum patri et conjugio matris fruiturum : licet sibi innocens ipse videatur, metuit tamen ne quid mali accidat, nec dubitat quin ipse corruptionem cæli secum invexerit. Optat mori, et fugere, *vel ad parantes*, destinat.

Quum ita in prologo semetipsum criminetur Œdipus, tota fabulæ vitiatur dispositio. Enodatur fere αἴνιγμα statim ab initio, quod tanta solertia judicioque paulatim explicat Sophocles, et quid ferat oraculum, quo pestis auctor arguitur quicumque Laium occidit, fit palam omnibus, simul ac auditum est.

Quam veris parum similes sint Œdipi sensus hic rursus notare non operæ pretium existimo. Quid enim naturæ tam adversum esse potest, quam si quis, cui scelus quidem minantur Superi, sed nihil, ut id caveret, omissum est, se nocentissimum tamen, propter hanc solam deorum comminationem, et aeris vitiatorem ipse declaret, et exitialem populis, quos singulari amore et summa regit prudentia?

In Senecæ, ut in Sophoclis, tragœdia, missus est Creon, qui Apollinis oraculum consuleret; verum hoc in græco poeta expresse denuntiatum est, ut quod ad rem agendam non parum momenti sit habiturum; in latino, uno tantum versu (v. 109) et quasi obiter memoratur. Redux Creon jubere deum nuntiat, ut mors Laii expietur. Quis fuerit

Digitized by Google

regis peremptor rogante Œdipo, describit Creon et emissi oraculi apparatum, et sacerdotis furorem, et multa alia quæ animos vana rerum ambage tenent et fatigant. Tandem quæ subjecit Pythia referuntur, interpretationem oraculi adjutura. Designatur minime dubiis verbis Œdipus: profugus et hospes appellatur: dicitur regis cæde madere et conjugio parentis pollui. Hæc sane ulterius quæri prohibeant, et tragœdiam secundus actus claudat, nisi poetæ placuisset densissimam Œdipi animo caliginem offundere. Quid enim ille magis debuit, quam Pythiæ verba cum oraculo, quod ipse modo minutatim memoraverat, componere?

At Annæanus Œdipus nec sacerdotis verba, nec factam a Creone loci descriptionem, quo interfectus est Laius, videtur attendere. Attamen ea descriptio tanta adumbratur cura, ut potuerit statim Œdipus viæ meminisse Delphos ducentis, qua senem olim occiderat. Quo demum pacto hoc explicari, aut excusari queat, nisi in scribendis tragœdiis semet semper ipsum, fabulam numquam Seneca respexerit?

Mirum magis ac magis, dum scenæ scenis adduntur, quam sedato et oblivioso sit Œdipus animo. Tiresias, qui recte in græco poeta certis accitur jussis, arcanum oraculi sensum excussurus, apud Nostrum non advocatus colloquentibus intervenit, haud nescius tamen quid modo acciderit. Quantum in Sophocle ad rem conferat, adesse Tiresiam, et oraculum ne interpretetur recusare, et exprimi ab invito interpretationem, non hic commemorandum. Sed hæc non omnino omittere debui; quippe quæ mutavit Seneca, ut propositi tenax, sic artis dramaticæ immemor. Nihil apud eum affert Tiresias, quo perplexa oraculi expediantur. Ut deorum aperiantur consilia, sacrificium parat, et victimam jubet immolari, cujus exta minutatim describuntur, coram explorata. His tamen nihil proficitur, nec quid significent Superi magis notum, quam prius fuerat: materiæ enim consulto parcit poeta, ut supersint quæ

Digitized by Google

sequenti actu describat. Tentat rursus Tiresias quid possit, et in propinquo nemore Tartarea vocat numina. Intelligitur tandem, tam multiplici insudato labore, oraculo OEdipum designari : quod sane spectantium quilibet jampridem edixisset.

Quæ sequuntur in tragœdia latina, magna ex parte imitanda præbuit Sophocles; nisi quod, in Nostro, OEdipum interpretationi a Tiresia allatæ tam pertinaciter repugnare minime ex antecedentibus posse credideris. Suspicante demum OEdipo, Laium a se interfectum, adest Corinthius senex, mortuum Polybum nuntians. Mire quidem nuntio utitur Sophocles, quum ea ipsa re vanitatem oraculi arguat Jocasta, qua vox adyti vera probatur. Hoc omitti Senecæ placuit; et qui moram sibi indulgere solet, si in describendam regionem, aut depingendos affectus, aut concinnandas sententias incidit, tanta nunc celeritate progreditur, ut judicandum nobis sit, utrum insignem poetæ græci solertiam, quod vix quisquam existimet, neutiquam animo ceperit, an sciens et de industria neglexerit, ad alias artes conversus.

De Seneca hactenus ita tulimus judicium, ut ad græcos semper poetas respexerimus; quibuscum ab eodem loco profectus est, sed diversum iter facturus. Jam ipsum intuebimur, omni sublata collatione; et ideo eligetur ejus fabula, cujus nullum græca antiquitas exemplar reliquit, et cui singulare latini poetæ ingenium quam maxime eminet impressum.

In Thyeste, de quo hic agitur, nonnulla occurrunt laude dignissima, sed pleraque falsa tument magnitudine.

Præmittitur quædam prologi forma, colloquentibus Tantalo et una furiarum, quæ ab inferno carcere in Atrei ædes eum traxit. Inscius quæ sibi parentur, Tantalus varia super ea re absone conjicit:

Sisyphi numquid lapis
Gestandus humeris lubricus nostris venit?

Digitized by Google

Aut membra celeri differens cursu rota?
Aut pœna Tityi, qui specu vasto patens
Visceribus atras pascit effossis aves?

Postquam plura conjectura attigit, judices obsecrat Tartareæ sedis, ut addant, si quid ad pœnas possint, quod custos diri carceris et Acheron horreant, ad cujus metum ipse quoque tremat. Hæc omnia Tantali rhetorico fastu putida mihi videntur. Quid enim est, cur ille sibi tantopere irascatur? Si præsentis pœnæ impatientia torquetur, mortem optet: sed dementis est majora sibi imprecari mala, nisi hinc inciderit magna et elata vis pœnitendi, illinc magna et elata parcendi cupido.

Postquam dicendi finem fecit Tantalus, incipit furia, quæ domo Atrei imminent scelera, teterrimum in modum referre: imagines imaginibus accumulat, acrioresque libens colores sententiis affundit. Expavescit ad tantæ immanitatis speciem Tantalus, et inferos ocius vult repetere. Sed a furia inhibetur:

Ante perturba domum (inquit),
Inferque tecum prælia, et ferri malum
Regibus amorem.

Renuit Tantalus; sed, cogente furia, domum nepotis ingreditur, imperata exsecuturus. Ita quidem furoribus Atrei locus datur, atque, ut animadvertit Lessingius (1), præpa-

(1) Biblioth. theatr. II, 100. Habet aliquid Hercules furens loco haud absimile quem hic reprehendimus. In prologi fine, Juno adversus Herculem furias concitat. Recte hactenus et apte. Quid autem est, cur optet seipsam a furiis versari?

Ut possit animo captus Alcides agi,
Magno furore percitus, nobis prius
Insaniendum est. Juno, cur nondum furis?
Me, me, sorores, mente dejectam mea
Versate primam.

Digitized by Google

rantur in prologo, quæ fiant in dramate. Sed unde ipse exstitit prologus? quæ agit furia, qualia jam æstimari debent? quo pacto possit umbra Tantali tot et tam vehementes motus animo Atrei injicere? quin potius furiæ id muneris attributum est, ad efficienda quæ mandat satis superque præsenti? Ego quidem nihil habeo quod respondeam et excusem: sed videntur ea Senecæ placuisse, tum propter magnam explicandæ rhetoricæ opportunitatem, tum subtilioris cujusdam artificii causa. Non enim illi satis fuit, qui omnia in majus extollere et amplificare solebat, si Atreus inaudita patraret scelera: voluit nepotem ad illa perficienda ab avo instigari.

Quid furiæ interventu actum sit, secundi statim actus initio ostenditur, tunc primum incipiente fabula. Prodit, uno satellitum comitante, Atreus, et, præmissa monologia, ad exigendam a Thyeste fratre ultionem se adhortatur. Jam insane furit Atrei rabies in his rerum primordiis, neque expleri potest, nisi ultima aggrediatur:

> Age, anime, fac quod nulla posteritas probet,
> Sed nulla taceat. Aliquod audendum est nefas
> Atrox, cruentum; tale, quod frater meus
> Suum esse mallet: scelera non ulcisceris,
> Nisi vincis.

Satellite autem judicium populi objiciente, refert:

> ..... Maximum hoc regni bonum est,
> Quod facta domini cogitur populus sui
> Tam ferre, quam laudare.

Tum satelles:

> Quos cogit metus
> Laudare, eosdem reddit inimicos metus.
> At qui favoris gloriam veri petit,
> Animo magis quam voce laudari volet.

Respondet epigrammaticis versibus Atreus:

> Laus vera et humili sæpe contingit viro:
> Nonnisi potenti falsa. Quod nolunt, velint.

Digitized by Google

Fatendum prorsus, non multum in exprimendis affectibus exsudaturos poetas, si tam aperte et impudenter loquantur, qui nefaria moliuntur.

Scelera demum Atreus, quibus ipsum offendit Thyestes, attingit; apta quidem, at sera commemoratione. Interrogat Atreus satellitem, qua pœna Thyestem plectat. Nonnulla rejicit consilia, et spectantis animum longa exspectatione detinet, ut epigrammatico tandem verbo nodum solvat. Ut vindictam expleat, nec ferro, nec igne, nec quibuslibet armis utetur : ipso utetur Thyeste. Quod quidem non acumine careat; sed ideo minus efficax, quia longiori verborum circuitu præparatum et quasi præmunitum est (1).

Effertur deinde Atreus quodam animi impetu, et ad concipiendum hoc sceleris monstrum, quod modo admissurus est, quasi præceps fertur. Recordatur, quam ultionem a perfido marito Procne exegerit; sed iræ ejus non sufficit tanta vindictæ immanitas : non vult adhibere, quod ipse non excogitaverit (2). Laceret Thyestis liberos comedatque : natis suis mandata dare statuit, quæ patruo ferant, ut in

(1) SAT. . . . Quid novi rabidus struis?
ATR. Nil quod doloris capiat assueti modum.
Nullum relinquam facinus, et nullum est satis.
SAT. Ferrum. ATR. Parum est. SAT. Quid ignis? ATR. Etiamnum parum est.
SAT. Quonam ergo telo tantus utetur dolor?
ATR. Ipso Thyeste.

Jam antea gladium satelles eligendum censuerat (v. 245, *ferro peremptus spiritum inimicum exspuat*). Ad quod respondet Atreus, scholasticorum tyrannorum more :

De fine pœnæ loqueris, ego pœnam volo.
Perimat tyrannus lenis; in regno meo
Mors impetratur.

(2) . . . . . Fateor; immane est scelus,
Sed occupatum : majus hoc aliquid dolor
Inveniat.

Digitized by Google

regnum revertatur, precaturi. Suadet satelles legat alios tristis consilii ministros, ne suos ipse fallaciam doceat. Quid respondeat Atreus, attendite:

> Ut nemo doceat fraudis et sceleris vias,
> Regnum docebit. Ne mali fiant, times?
> Nascuntur istud.

Attamen suspensus paulisper hæret, an moneri debeant nati, quam ob causam ad patruum mittantur. Quæ super ea re habetur, deliberationem hic referri operæ pretium est, propter singularem et propriam poetæ scribendi insolentiam:

> Quid enim est necesse liberos sceleri meo
> Inserere? per nos odia se nostra explicent.
> Male agis, recedis, anime: si parcis tuis,
> Parces et illi: consilii Agamemnon mei
> Sciens minister fiat, et patri sciens
> Menelaus adsit: prolis incertæ fides
> Ex hoc petatur scelere. Si bella abnuunt,
> Et gerere nolunt odia, si patruum vocant,
> Pater est. Eatur. Multa sed trepidus solet
> Detegere vultus: magna nolentem quoque
> Consilia produnt: nesciant quantæ rei
> Fiant ministri.

Nonne videtur poeta, dum tantam ingenii solertiam calliditatemque Atreo suo attribuit, hoc solum destinavisse, ut ille se quam sceleratissimum, quamdiu in scena moratur, exhibeat? Alioquin nihil omnino tales juvarent scenæ, quibus peractis non propius ad finem perductum est drama, quam quum agi inciperet. Quid magis adversum naturæ inveniri possit, quam si quis, magnum aliquid molitus, ad minora et insulsa descendat, quæ pensitare et subtiliter in utramque partem agitare curet?

Postquam Atreus omnia constituit, quæ ad rem conficiendam attinerent, procedit cum liberis Thyestes, tertii

Digitized by Google

actus initio. Odit Atreum (vid. v. 412), nec tamen ad eum reverti dubitavit! Nunc tantum, quum jam fratris ædes tangat, fluctuat incertus, utrum fugere debeat, an manere! Multa, et eadem splendida magis quam tempori et loco accommodata, de obscuræ fortunæ bonis disserit (1). Deinde quam sit Atreus averso in fratrem animo describit; æternas ejus inimicitias fore; nullum reconciliandæ gratiæ sperari locum:

> Amat Thyestem frater? æthereas prius
> Perfundet Arctos pontus; et Siculi rapax
> Consistet æstus unda, et Ionio seges
> Matura pelago surget; et lucem dabit
> Nox atra terris: ante cum flammis aquæ,
> Cum morte vita, cum mari ventus fidem
> Fœdusque jungent.

Hæc et alia ejusmodi, quæ non unam tantum ob causam jure reprehendantur, veri certe speciem quam maxime rebus adimunt. Quo Thyestes pacto audeat ad fratrem redire non satis cernitur, quum tot ipsi minentur mala Atrei nequitia et effrenata vindictæ cupiditas. Quale dicemus esse judicium poetæ, qui subjicit ipse spectantibus et diligenti

(1) Quem in modum communes ejusmodi locos tractet Seneca paucis ostendamus:

> ..... O quantum bonum est
> Obstare nulli! capere securas dapes
> Humi jacentem! scelera non intrant casas,
> Tutusque mensa capitur angusta cibus.
> Venenum in auro bibitur. Expertus loquor.....
> Non vertice alti montis impositam domum,
> Et eminentem civitas humilis tremit;
> Nec fulget altis splendidum tectis ebur;
> Somnosque non defendit excubitor meos:
> Non classibus piscamur, et retro mare
> Jacta fugamus mole.....
> Sed non timemur: tuta sine telo est domus.

Digitized by Google

cura proponit, quam multa Thyestem Mycenis procul retinere debuerint?

Venit Atreus, et, viso Thyeste, nefario gaudio perfunditur. Sed, priusquam fratrem salutet et instituta persequatur, non potest quin arcanos animi sensus proferat:

Vix tempero animo, vix dolor frenos capit.
Sic quum feras vestigat, et longo sagax
Loro tenetur Umber, ac presso vias
Scrutatur ore; dum procul lento suem
Odore sentit, paret, et tacito locum
Rostro pererrat; præda quum propior fuit,
Cervice tota pugnat, et gemitu vocat
Dominum morantem, seque retinenti eripit.

Pulchra sane hæc et splendida videbitur imago, si oblitus fueris, quis et quibus in rebus eam adhibeat.

Fraternis blanditiis decipitur Thyestes, et ejus mactantur liberi. Narratur a nuntio cædes, audiente choro. Ea quidem sic narrantur, ut pleraque formidinem quamdam et horrorem animis injiciant; sed potentius legentes commoverentur, si poeta minus sibi indulsisset, et modum in singulis adumbrandis servasset. Cupidus audiendi sceleris chorus, quod immane et inauditum prædixit nuntius, enarrandi moras increpitat; *effare ocius*, inquit. Nuntius, quum pensi non habeat quid a se petatur, incipit de Pelopis domo multa commemorando, quæ nihil omnino novum audientes doceant, Mycenis natos. Dein ingens describitur porticus, ne omissis quidem variis marmorearum columnarum maculis; mox vagatur narratio in depingendo nemore; vix sufficiunt quadraginta versus, quum omnium arborum, et longa quidem, incidat mentio (1). Post tantam exordii diffusionem,

(1) Videtur Horatius ad similem aut nemoris, aut aræ descriptionem

Digitized by Google

res ipsa tandem narratur, quæ sola narrari debuerat. Prolixus item Noster, et copiosus, et in horrificis serendis imaginibus multus est, dum cædem refert, in qua peragenda Atreus, exquisita, ut videtur, sæviendi licentia, sacrorum ritus et ordinem servat. Omnia in rerum natura moventur; solus sibi constat immotus Atreus. Tarde persequitur scelus, ut diutius furore suo fruatur. Hic rursus Atrei rabies ultra modum gratuito extenditur. Quum enim propter veteres injurias sese vindicare a fratre velit, satis est iræ factum, si liberos ejus occiderit: quæ sequuntur non ipsa res tulit, sed poeta minime probabili additamento subjunxit (1).

Summa est quinto actu Nostri industria, tremenda excogitantis. Natorum corporibus epulatus est Thyestes, et Atreus nefarium facinus sibi gratulatur (2). Quod quidem, si talem recipiat nequitiam humanum pectus, apte et vi quadam Æschylea exprimitur, nisi quod græcus poeta sententias minutatim explicare et contorte dicere non solet. Ut plenius

in tragœdia, forsan in quadam Iphigenia, adumbratam spectavisse, quum diceret (ad Pison. v. 14):

Inceptis gravibus plerumque et magna professis,
Purpureus late qui splendeat, unus et alter
Assuitur pannus; quum lucus et ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus.

(1) Gratuitum et sine utilitate scelus odimus increduli, ut quod sit contra morem ordinemque. Tullius in orat. pro Roscio Amerino, c. 30: «L. Cassius, ille, quem populus romanus verissimum et sapientissimum judicum putabat, identidem in causis quærere solebat, *cui bono fuisset*. Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere.»

(2) Vs. 885. Æqualis astris gradior, et cunctos super
Altum superbo vertice attingens polum.
Nunc decora regni teneo, nunc solium patris.
Dimitto superos: summa votorum attigi.
Bene est, abunde est; jam sat est etiam mihi.

Digitized by Google

gaudeat Atreus, domus portas reserari jubet, et apparet interior Thyestes, mensæ accumbens, satur et gravatus vino. Ille (quod laudandum et tragœdia vere dignum nemo non fateatur), quamvis posuisse fratrem inimicitias non dubitet, aliquid tamen sibi præsagit mali, nec lætis rebus audet credere :

Quid me revocas, festumque vetas
Celebrare diem? quid flere jubes
Nulla surgens dolor ex causa?
Quis me prohibet flore recenti
Vincire comam? prohibet, prohibet.
Vernæ capiti fluxere rosæ;
Pingui madidus crinis amomo
Inter subitos stetit horrores;
Imber vultu nolente cadit.
Venit in medias voces gemitus;
Mæror lacrymas amat assuetas,
Flendi miseris dira cupido est.
Libet infaustos mittere questus.
Libet et Tyrio saturas ostro
Rumpere vestes : ululare libet :
Mittit luctus signa futuri
Mens, ante sui præsaga mali (1).

Accedit Atreus, poculum gerens, mistumque vino nepotum sanguinem : hoc, inquit, habeat frater reconciliatæ concordiæ pignus. Gaudet Thyestes, et illi gratias agit; sed, ut augeatur voluptas, cupit suos adesse natos; mox adfuturos Atreus non sine improba ludificatione pollicetur. Quæ quidem fortius et audacius excogitata scriptaque non diffiteor; sed et horrenda esse potius, quam tragica existimo (2),

(1) Hæc meminisse videtur Gœthe (Iphigenia in Taur. v. 24.)

(2) In græca tragœdia, quam, ut verisimile est, Seneca ante oculos habuit, hoc coram spectantibus actum non crediderim. Non induci in scenam debuit, aut Thyestes accumbens mensæ, aut Atreus horrificum manu poculum gerens. Hæc omnia, si tragici apud Græcos ingenii quidquam novi, non potuerunt a nuntio non narrari.

Digitized by Google

et intempestiva cæteroquin loquacitate corrumpi. Capiente poculum Thyeste, monstra apparent minantia, quæ ipse verbis adumbrat, præpostera descriptione : quid enim ea proficitur aliud, quam ut audientium, qui agentibus tantum attendere omnino deberent, alio convertantur animi. Quid audeat Atreus, quid patiatur Thyestes, hoc vere dignum quod stupeamus, hoc prodigium majus, quam quæ cælum aut terra signa ostenderit.

Est tamen in Thyestis oratione quod non immerito laudetur. Inter trepidantis portenta naturæ, exclamat ille, falsa amicitiæ fraternæ specie adhuc deceptus : *quidquid est, fratri, precor, natisque parcat.* Fratri precatur, qui suorum ei bibendum sanguinem præbet, natisque quorum carne pastus est.

Vix exhausto poculo, fit certior Thyestes de fratris scelere. Quæ prima eduntur verba, visis obtruncatæ prolis capitibus, felicissimæ sunt brevitatis : *Agnosco fratrem.* Sed quæ sequuntur, tragœdiæ usque ad finem, declamatione corrumpuntur. Thyestes rhetoricas spargit sententias, quæ in tali rerum articulo, tantaque peracta cæde, spectantibus fastidium jure moveant. Acuta librare antitheta vacat, et longam versuum seriem continuare, rudi interdum et nullo prope judicio :

Volvuntur intus viscera, et clausum nefas
Sine exitu luctatur, et quærit viam.
Da, frater, ensem : sanguinis multum mei
Habet ille : ferro liberis demus fugam.
Negatur ensis ? pectora illiso sonent
Contusa planctu. Sustine, infelix, manum ;
Parcamus umbris. Tale quis vidit nefas ?
Quis inhospitalis Caucasi rupem asperam
Heniochus habitans ? quisve Cecropiis metus
Terris Procrustes ? Genitor en natos premo,
Premorque natis.

Digitized by Google

In plerisque Senecæ tragœdiis eadem est atque in Thyeste rerum dispositio. Omnia videntur reperta, ut multa describendi et multa loquendi poetæ suppeditetur occasio. Totus effluit quartus Medeæ actus, dum magicæ narrantur artes, quibus pereat Creusa; atque, inter hæc, nonnulla ita scribuntur, ut nihil absonum magis et insulsum reperiri queat. Postquam Medea omne serpentum genus carmine evocavit:

Parva sunt, inquit, mala,
Et vile telum est, ima quod tellus creat:
Cælo petam venena. Jam nunc tempus est
Aliquid movere fraude vulgari altius.
Huc ille vasti more torrentis jacens
Descendat anguis; cujus immensos duæ
Major minorque sentiunt nodos feræ;
Major Pelasgis, apta Sidoniis minor:
Pressasque tandem solvat Ophiuchus manus,
Virusque fundat. Adsit ad cantus meos
Lacessere ausus gemina Python numina;
Et hydra, et omnis redeat Herculea manu
Succisa serpens, cæde se reparans sua.

In eadem tragœdia, Medea scelerum sæpe memoriam libens retractat, nunc excusationis, nunc venditationis, nunc et ad nova scelera exstimulandi animi causa. Sic quoque in Troadibus temere congeruntur descriptiones, vanæ quidem et prolixa rerum enarratione laborantes (1); qualis

(1) Ut sibi det ipse locum descriptiones serendi, Seneca inepta prorsus et absurda personis suis attribuit. Postquam Megara, in Hercule furente, egregia conjugis facinora narravit, speravitque illum ad superos ex inferis sibi viam facturum, memor itineris flumini Peneo, scissis montibus, ab ipso dati, non solum quas affert Amphitryo consolationes rejicit incredula, sed ipsa addit:

Demersus ac defossus, et toto insuper
Oppressus orbe, quam viam ad superos habet?

Postquam Hercules ad lucem ex inferis emersit, jam pœnas a Lyco

Digitized by Google

est Achillis e tumulo exsurgentis, commemorante Talthybio; qualis est Astyanactis e turri demissi. Non satis habet poeta affusam plebis turbam generaliter referre; cuncta depingat oportet, vel minutissima:

His collis procul
Aciem patenti liberam præbet loco;
His alta rupes, cujus e cacumine
Erecta summos turba libravit pedes.
Hunc pinus, illum laurus, hunc fagus gerit,
Et tota populo silva suspenso tremit.

Atque hunc fore otiosæ descriptioni finem frustra speraveris: pergit poeta, omnis modi impatiens:

Extrema montis ille prærupti petit,
Semiusta at ille tecta, vel saxum imminens
Muri cadentis pressit: atque aliquis (nefas)
Tumulo ferus spectator Hectoreo sedet.

Ita in hac tragœdia plerumque describitur.

Possit quidem dramaticæ artis scientissimus poeta longius interdum in describendo procedere, quodam ingenii impetu abreptus, et supervacua quandoque ornamenta narrationibus addere; quanquam, qui dramatica facultate præter alios excellunt, hoc vitii genere carere solent, dummodo libere et ingenue scribant, neque alienis trahantur exemplis. At poeta, qui semper hac scribendi parte oberrat, qui hoc amat et sibi gratulatur, dramaticæ industriæ gloriam frustra affectet. Quædam sunt poeseos genera, in quibus

exacturus, in scena cum Theseo consistit Amphitryo, quo rogante, coram ipso et reliqua Herculis familia, longa et horrenda quidem proponitur inferorum descriptio. Non solum de futuro petendæ ultionis exitu minime sollicitus videtur, quod forsan ita possis interpretari, quasi invictæ Alcidis virtuti confidat, sed ne ea quidem quæ ante acta sunt, meminit. Gaudio certe, pietate, admiratione, quum tanta et tam repentina rerum facta sit commutatio, non autem vano audiendi studio moveri debet Herculis familia.

Digitized by Google

minus perspicaces oculi, si parum judicii subest, non agnoscunt. At in dramatica poesi, si defecerit judicium, nihil est quo succurri possit.

Ut fusus ultra modum in descriptionibus Seneca, sic in adhibendis sententiis immodicus. Quibus quidem assueverat olim græca tragœdia, eas usurpante potissimum Euripide, qui sæpe (fatendum enim) philosophus videri maluit, vitæ humanæ judex et explorator, quam peritus dramatis artifex. Sed tantum inter Senecæ et Euripidis sententias differt, quantum inter personas, propria dicendi forma in utroque signatas. Euripidis sententiæ, ut ejusdem multa alia, ad modesti et inaffectati sermonis familiaritatem propius accedunt; quæ contra in Seneca quamdam superbiæ Stoicæ speciem præferunt, vel quod stricte et concise exprimuntur, vel quod ita loquuntur personæ, ut propriam opinionem in universalem sententiam convertant, quasi ex præscripto certæ rationis vitam instituerint, et communis disciplinæ præcepta semper in agendo attendant et reputent. Sic Lycus, occupata tyrannide, quum metuat ne sibi eripiatur regnum quod invadit, et ideo Megaram sibi velit nuptiis jungere, de origine sua et incerta occupati solii possessione disserit:

> ..... Qui genus jactat suum,
> Aliena laudat. Rapta sed trepida manu
> Sceptra obtinentur: omnis in ferro est salus.
> Quod civibus tenere te invitis scias,
> Strictus tuetur ensis: alieno in loco
> Haud stabile regnum est.

Mox timet, ne invitæ conjugio Megaræ potitus, invidia et populari sermone prematur: sed confirmatur hoc tyrannidis adagio:

> Ars prima regni posse te invidiam pati.

Sæpe dialogus sententiis totus continetur. In Agamemnone

Digitized by Google

statuit Clytemnestra fortunam et casum sequi. Quod illi dissuadet nutrix :

> Cæca est temeritas, quæ petit casum ducem.
> CLYT. Cui ultima est fortuna, quid dubiam timet?
> NUTR. Tuta est latetque culpa, si pateris, tua.
> CLYT. Perlucet omne regiæ vitium domus.
> NUTR. Piget prioris, et novum crimen struis!
> CLYT. Res est profecto stulta, nequitiæ modus.
> NUTR. Quod metuit, auget, qui scelus scelere obruit.
> CLYT. Et ferrum et ignis sæpe medicinæ loco est.
> NUTR. Extrema primo nemo tentavit loco.
> CLYT. Rapienda rebus in malis præceps via est.

Etiamsi tragœdias Senecæ nihil aliud esse crediderimus quam rhetoris exercitationes, qui, nullo tot legum quas sibi vindicat poesis dramatica respectu, argumenta tantum declamandi quærebat, nobis pronuntiandum erit rem æque æstimantibus, eum impensius elaborasse, atque, ut ita dicam, exsudasse, ut splendidam et inexhaustam ingenii venam ostenderet; ipsa peccare, quæ bona sunt, quod plura justo congerantur; versari, quod forsan in scholis edoctus erat, ultro citroque sententias, nulla, quamcumque recipere queant, forma et facie cariturâs; singulas evolvi producique imagines; et nihil eorum omitti in quæ incidere potuerit scribentis cogitatio. Quum audito, quod nepotes admissuri sunt, scelere, expavescit Tantalus, et jam pedem movet ad Acheronta reversurus, petit Megæra quo ruat præceps. Potuit ille respondere, *ad notos et jam exantlatos labores;* nec plura requirebantur. At Noster, ut brevitatis in premendo cujusque sententiæ contextu curiosus, sic in producendo sententiarum tenore multus nimiusque, rem frustillatim dividit, et singula Tantali supplicia depingit. Nec satis : quum enim ipse sibi videatur Tantalus ad infernæ sedis hospites remeasse, et pœnarum socios compellare, Seneca non justam putet operam absolvisse, nisi et socios enumeret, et pœnas describat.

Digitized by Google

Hisce poeticis amplificationibus ita scatent ejus tragœdiæ, ut in majore earum parte nihil aliud habeatur. His deteritur et corrumpitur quidquid magnum habent et sublime; dumque toties in minuta subtiliaque discurrunt, e summa laude ad mediocrem famam existimationemque descendunt (1). Poeta legentes tam longo deducere solet itinere, ut viæ labor vel per flores euntibus fastidium pariat; fœcunditatem quidem ejus ingenii, sed non sine tædio et oscitatione, admirantur (2).

(1) Hoc vitium et quæ secum afferat apprime describit *Johnson*, in vita poetæ *Cowley*: « The fault of Cowley and perhaps of all the writers of the metaphysical race, is that of pursuing his thougths to their last ramifications, by which he loses the grandeur of generality; for of the greatest things the parts are little; what is little can be but pretty, and by claiming dignity becomes ridiculous. Thus all the power of description is destroyed by a scrupulous enumeration; and the force of metaphors is lost, when the mind by the mention of particulars is turned more upon the original than the secondary sense, more upon that from which the illustration is drawn than to which it is applied. » Nulla magis ostendit Senecæ tragœdia, quam Thebais (Phœnissæ), quousque unius sententiæ amplificationem producere valeat. In trecentis versibus, quibus primus constat actus, duæ tantum continentur sententiæ, quum hinc OEdipus se velle mori dictitet, quod vita sibi gravis videatur, illinc Antigone se vel morienti patri non defuturam profiteatur.

(2) Hoc manifestum ex una comparatione fieri potest. In Sophoclis Trachin. hæc loquitur Dejanira:

Ὁρῶ γὰρ ἥδην, τὴν μὲν ἕρπουσαν πρόσω,
Τὴν δὲ φθίνουσαν· ὧν ἀφαρπάζειν φιλεῖ
Ὀφθαλμὸς ἄνθος, τῶν δ' ὑπεκτρέπειν πόδα.

Ea videtur Seneca ante oculos habuisse, quum in Hercule OEtæo Dejaniram inducit quæ sequuntur dicentem:

Ut alta sylvas forma vernantes alit,
Quas nemore nudo primus investit tepor:
At quum solutos expulit Boreas Notos,
Et sæva totas bruma decussit comas,

Digitized by Google

Quum fœcunditas ubertasque, quas enixe expromit Seneca, cum judicio non sint conjunctæ, cujus ea lex est, ut agentium animos affectusque sibi poeta assumat, non est mirandum, si sublimitas ejus in tumorem, copia dicendi in licentiam abeat. Fatendum tamen est, tam multa in arte rhetorica experienti et assidue ad nova et splendida summa vi nitenti speciosas interdum succurrere imagines, grandesque sententias et felicissimæ brevitatis verba. Sed bona malaque ita plerumque miscentur, ut difficile admodum separari queant, et bona modo malis obscurentur, modo mala a bonorum societate falsum et immeritum mutuentur decus.

Acuta quidem, ut exemplo utar, et inopinata hæc Junonis verba victori Herculi irascentis :

Superat et crescit malis,
Iraque nostra fruitur : in laudes suas
Mea vertit odia : dum nimis sæva impero,
Patrem probavi : gloriæ feci locum.

Ea placent hactenus, licet jam curiosius unum et idem retractantia; sed hoc ipsum toto fere prologo recantatur, quasi gratum Junoni foret hostem pro maximo, pro potentissimo, pro insuperabili laudari.

Fulgentius autem in Nostro elucent brevia quædam et

Deforme solis adspicis truncis nemus :
Sic nostra longum forma præcurrens iter,
Deperdit aliquid semper et fulget minus,
Nec illa Venus est. Quidquid in nobis fuit
Olim petitum, cecidit et partu labat;
Materque multum rapuit ex illo mihi.
Ætas citato senior eripuit gradu.
Vides, ut altum famula non perdat decus?
Cessere cultus penitus, et pædor sedet;
Tamen per ipsas fulget ærumnas decor,
Nihilque ab illa casus et fatum grave
Nisi regna traxit. Hic meum pectus timor,
Altrix, lacessit.

Digitized by Google

plena robore responsa, quæ uno sæpe verbo continentur, et, celebratissimi illius laconismi modo, mire ad vim animi declarandam valent, majorem fortuna. Illæ quidem concisæ et abruptæ dicendi formæ apud Græcos non reperiuntur, quos parum juvisset adumbrata Spartanæ ferociæ imago; sed eas arripuere et scenæ intulere recentiores, ad imitationem Senecæ, ut nonnulla alia, compositas. Cujus est generis vox Thyestis modo citata, *agnosco fratrem.* In Hercule furente, quum Lycus Megaram frustra ad nuptias invitaverit:

> Effare (inquit), thalamis quod novis potius parem
> Regale munus?

Illa autem:

> Aut tuam mortem, aut meam.

In Medea, secum deliberat Jasonis uxor, qua arte sese ab infido conjuge vindicet. Varias enumerat pœnas:

> ..... Per urbes erret ignotas egens,
> Exsul, pavens, invisus, incerti laris.
> Me conjugem optet; limen alienum expetat,
> Jam notus hospes: quoque non aliud queam
> Pejus precari, liberos similes patri,
> Similesque matri. Parta jam, parta ultio est.
> Peperi.

Digna hæc ultima, quæ admiremur; sed superiora inani declamatione tument. Non decet, quæ violatam a sponso fidem queritur, eam de se ipsa ita loqui, ut nequitiæ monstrum aliquod et portentum videatur. Egregia sane et firmissimi confidentissimique animi interpres in secundo ejusdem tragœdiæ actu vox occurrit, quum nutrice Medeæ suadente, ut, omni destituta auxilio, tacita injuriam ferat, et dicente,

> Conjugis nulla est fides,
> Nihilque superest opibus e tantis tibi,

Digitized by Google

refert illa :

Medea superest.

Id laude dignissimum : sed iis quæ subjiciuntur corrumpitur magis, quam ornatur sententia :

Hic mare et terras vides
Ferrumque et ignes et deos et fulmina.

Par est brevitate in Hippolyto quod a Phædra Theseo respondetur. Rogante enim illa conjugem, privigni accusandi causa, ut mortem sibi permittat, interrogat Theseus quod sit luendum morte delictum. — *Quod vivo*, respondet Phædra. Id subtile et accersitum judicamus ; nisi quis excuset, quod ficte et composite agat Phædra ; sed ipsa excusatio subtilis et accersita videatur.

Multa apud nostrum poetam invenias, quibus apte exprimitur virtutis, audaciæ, doloris, superbiæ effusa, ut ita dicam, intemperantia, omniumque cupiditatum extrinsecus furentium, quæ ingenium erigunt sollicitantque, et quæ vel sola ingenii intentione apprime queant affingi. Contra vix ulla sunt, quibus mansuetudinis, patientiæ, amoris adumbretur imago. Scilicet non poterat Seneca, suapte natura et peculiari cæteroquin consilio ad alia propensus, in ejusmodi affectus sæpius incidere.

Afferam tamen, quæ, ut lucida sidera, in hoc nebuloso fulgent cælo. Audita morte Hippolyti, Phædra mori statuit, et in novissima exclamat querela :

Quo tuus fugit decor,
Oculique, nostrum sidus? exanimis jaces?
Ades parumper, verbaque exaudi mea.
Nil turpe loquimur : hac manu pœnas tibi
Solvam, et nefando pectori ferrum inseram,
Animaque Phædram pariter ac scelere exuam;
Et te per undas, perque Tartareos lacus,
Per Styga, per amnes igneos amens sequar.

Digitized by Google

In Troad. quoque nonnulla ejusmodi occurrunt, describente Nuntio funebrem immolandæ Polyxenæ apparatum :

> Stupet omne vulgus; et fere cuncti magis
> Peritura laudant. Hos movet formæ decus,
> Hos mollis ætas, hos vagæ rerum vices.
> Movet animus omnes fortis, et leto obvius.
> Pyrrhum antecedit. Omnium mentes tremunt :
> Mirantur, ac miserantur.

Quum æquitatis sit, quidquid est boni in malo et illaudato opere notari, duas afferam scenas, in quibus Seneca plus dramaticæ solertiæ, quam solet, ostendit, ne cum minus probatis, quæ laudatione digna sunt, permiste fastidiantur. Eas libentius exscribam scenas,quod ab ipso inventæ et dispositæ videntur : unde facile conjicietur quid in alio sæculo, communi omnium judicio ingenium in diversam partem rapiente, exsequi et præstare potuisset.

Altera est Hippolyti. Statuit Phædra experiri, quid valeant blanditiæ ad alliciendum, inexpugnabilem amori, privigni animum. Propius ad illum accedit, et cum illo clanculum colloqui liceat, petit. Respondet ille amice, et eam matris nomine appellat. Tum Phædra :

> Matris superbum est nomen et nimium potens ;
> Nostros humilius nomen affectus decet.
> Me vel sororem, Hippolyte, vel famulam voca;
> Famulamque potius : omne servitium feram.

Aptum hoc et mire naturæ accommodatum; sed quæ subjicit poeta egregiam illam dicendi simplicitatem vana et frigida pompa corrumpunt. Quod sibi destinavit animo, Phædra persequitur: præsidium ab Hippolyto rogat, ut quæ vidua sibi videatur, nec posse ab inferis reverti Theseum existimet. Spondet Hippolytus se quidquid jusserit pietas facturum; parentis sui ipse supplebit locum. Quibus mota vocibus, vix sese Phædra continet, quin amorem fateatur.

Digitized by Google

Sed Hippolyto non intelligitur, qui, dum illa insanis sibi pectus flammis uri declarat, putat eam casto Thesei amore furere. Tum Phædra :

Hippolyte, sic est : Thesei vultus amo
Illos priores, quos tulit quondam puer,
Quum prima puras barba signaret genas,
Monstrique cæcam Gnosii vidit domum,
Et longa curva fila collegit via.
Quis tum ille fulsit ! presserant vittæ comam,
Et ora flavus tenera tingebat pudor.
Inerant lacertis mollibus fortes tori ;
Tuæve Phœbes vultus, aut Phœbi mei ;
Tuusque potius : talis, en, talis fuit,
Quum placuit hosti. Sic tulit celsum caput.
In te magis refulget incomptus decor,
Et genitor in te totus : et torvæ tamen
Pars aliqua matris miscet ex æquo decus.
In ore Graio Scythicus apparet rigor.
Si cum parente Creticum intrasses fretum,
Tibi fila potius nostra nevisset soror.
Te, te, soror, quacumque siderei poli
In parte fulges, invoco ad causam parem.
Domus sorores una corripuit duas ;
Te genitor, at me natus. En, supplex jacet
Allapsa genibus regiæ proles domus.
Respersa labe nulla, et intacta, innocens ;
Tibi mutor uni. Certa descendi ad preces.
Finem hic dolori faciet, aut vitæ dies.
Miserere amantis.

Hæc quidem, in quibus amor tam felici se prodit impetu, longa forsan videantur. Sed festinari vetat Phædræ consilium : tempore illi opus est, ut ea fateri audeat, quæ quantavis verborum præmunitione levata et temperata, austerum juvenem satis superque motura sint (1).

(1) Partem hujus scenæ transtulit *Racine* in suam Phædram, act. II, scen. 5. Verum in imitatore, ut mihi videtur, magna vis

Digitized by Google

Altera est Troadum scena, de qua mentionem faciam. Somnio territa Andromache, ne quid secus filio eveniat, eum in paterno tumulo abscondit. Vix peracta fraude, adest Ulysses Græcis deliberatum et constitutum esse nuntians, Hectoris natum, quem metuunt, occidere. Fingit Andromache nescire se, quæ Astyanacta sedes habeat. Sed dolum odoratur Ulysses, pavidamque urget matrem : at illa prolem obiisse Hectoris declarante, fluctuat incertus quid faciat : sed dum parat recedere, ecce animadvertit timere magis Andromachen, quam mærere. Redit igitur, et :

> Alios (inquit) parentes alloqui in luctu decet :
> Tibi gratulandum est, misera, quod nato cares,
> Quem mors manebat sæva, præcipitem datum
> E turre, lapsis sola quæ muris manet.

His perculsa fremit Andromache, et pavore Ulyssi suspicionem auget, qui comites ire celeres jubet, et abditum Astyanacta in lucem retrahere: quod si periit Astyanax, non posse aliter placari deos, quam diruto Hectoris tumulo et sparsis ejus cineribus. Anxia genitrix, et omni ex parte perterrita, statuit tandem invita, et obnixa diu (1), natum e latebris educere, si possit tum suis, tum pueri precibus

rebus adimitur, quod Phædra callidius quam ardentius agit, quum apud Senecam animi impetu præsertim rapiatur. Non enim iis usus est *Racine*, quæ in latino poeta Phædra, initio scenæ, præmittit, ut amorem suum innuat.

(1) Longius producitur hæc animi in diversas partes distracti fluctuatio, et, quod pejus est, res ipsa vano prorsus et irrito vertitur cardine. Quum enim minatus sit Ulysses se Hectorei tumuli solo æquaturum molem, qua absconditur Astyanax, hoc debuit in animum Andromaches venire, fore ut natus cum tumulo simul opprimeretur. Non potest igitur Astyanax mortem effugere : at possunt Hectoris cineres servari. Quod tamen Andromache minime intellexisse videtur; anxie enim in longa monologia, a versu 642, secum deliberat, utrum filii vitam, an carum conjugis cinerem tueatur.

Digitized by Google

animum Ulyssis flectere : frustra; rapitur enim Astyanax morti destinatus.

Ab instituta antiquæ tragœdiæ ratione recessisse Senecam, vel in eis quæ novissima laudavi, intelligent, qui tragœdiæ græcæ opera pernovere. Neque ideo carpenda censemus, professi contra ea nobis videri pulcherrima; notandum tamen hic existimamus in eis quoque apparere tanquam insignitas Annæani ingenii notas, sed feliciori, ut interdum fiebat, spiritu afflati, neque singulas tantum sententias, sed rei et inveniendæ et absolvendæ universitatem curantis. In declarando Phædræ amore, et cogenda fateri Andromache, quæ celari summopere velit, tantum eminet artificii et acuminis, ut, licet alium poetam ante oculos Seneca habuerit, ea negaturus sis præterquam a scriptore notæ disciplinæ fastidioso, et novitate rerum atque insolentia elucendi cupido, excogitari potuisse.

Tragœdias Senecæ rursus consideranti mihi, et iter relegenti quod in illis æstimandis lustravi, recte colligi sequentia videntur. Græcis tragœdiis, quas imitatus est Seneca, latinæ tragœdiæ non æquari, neque ut feliciter ad earum similitudinem expressæ laudari possunt, aut dramaticis poetis imitandæ proponi (1). Qui eas scripsit auctor, plus ingenii habuit quam judicii, et studio magis placendi ducebatur, quam vero et spontaneo animi ferebatur impetu. Caruit

(1) Huic nostræ opinioni non adversatur, quod singulas quasdam Senecæ vel scenas, vel sententias in sua opera *Corneille*, *Racine* et *Weisse* feliciter adsciverint. Potest enim vir magni ingenii spectatique judicii ubique reperire, quod sibi vindicet, nec sine fructu ipse adhibeat. Multa esse apud Senecam pulchra, et quæ serventur digna, non quisquam inficietur; sed artis est ea dignoscere. Ea est absolutorum operum conditio, ut bona in illis non multo quærantur labore, sed facile et statim discernantur, ut dominantia. Cæterum hoc affirmari potest, imitatione Senecæ illatum tragœdiæ apud recentiores declamationis usum studiumque, quo certe ars dramatica minime adjuta et promota est.

Digitized by Google

certe arte dramatica: licet enim in singulis quibusdam vel scenis vel vocibus inveniendis felix, et tragicum præcipue horrorem descriptionibus infundendi peritus, illa vi destitutus videtur, quæ varias fabulæ partes, apte connexas, in unum congregat et colligit, diversas apprime excogitat fingitque personas, et res ita componit, ut in agendo personæ recte, decenter, et vivide sese proferant. Tragœdiarum auctorem eas non scenæ destinavisse, verisimillimum; sed formam dramaticam elegisse, quæ rhetoricas exercitationes adjuvaret. Dubitari saltem non potest, eum rhetoricam magis artem, quam tragicam spectasse; et impensius, ut in se peritiamque suam oculos animosque converteret, quam in rem ipsam, dum singulas conderet tragœdias, studuisse; hanc igitur dramatis dispositionem semper quæsivisse, quæ longis orationibus, sententiis et descriptionibus locum daret. In descriptionibus præsertim quam splendidissime eminet proprium Senecæ ingenium: sed vel in eis quidquid sublime aut horrificum laudatur, ideo minus roboris habet, quod enixe laborat scriptor, ut fecunditatem suam non in componenda operis universitate, sed in singulis sententiis explicandis, promat et ostentet. Quum autem qui rhetoricas artes sectantur modum excedere soleant, et omnia in Senecæ ætate falsam tumidæ magnitudinis imaginem usurparent, cur non solum inter omnes animi affectus superbiam et furorem amet adumbrare, sed etiam speciosissimos in his adumbrandis colores adhibeat, facile intelligitur. Tragicæ compositionis incuriosus, nec temperari nec gradatim adaugeri animi impetum curat. Statim ab initio, ut legentem admiratione impleat, contendit, et ideo insanos impotentis cupiditatis æstus nonnunquam in exordium ducit. Ubique maxima dicendi pompa, quæ animos ab intentione remitti non patitur; elata quidem et grandis, sed quæ plerumque in inanem quemdam ventosumque tumorem excedat. Unum est fortasse, quod nos Senecæ opera doceant, nempe qua

Digitized by Google

subtilitate, quibus rhetoricæ artibus singulæ possint vel imagines, vel sententiæ minutissime et quasi in frusta dividi, et omni parte versari, et multiplici fronte per vices exponi. Sed ex iisdem simul ediscas licet, quot et quanta poetis, præsertim dramaticis, minetur artium illarum usus intemperantior. Nullus enim vates plura noxiæ ubertatis exempla, quam Seneca, præbuit, et quæ feliciter quidem invenerat, sed non satis parca et considerata manu temperare novit, sæpius depravavit abolevitque.

Hæc tragœdiarum quæ Senecæ attribuuntur æstimatio, multum diuque perpensis ejus operibus instituta, cum judicio convenit (quatenus patitur propositi conditio), quod Quintilianus de prosa ejus oratione ferebat (Inst. X, 1, 125): ipsis Critici verbis nostra claudatur disputatio: « Multæ in eo claræque sententiæ, multa etiam morum gratia legenda: sed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo perniciosissima, quod abundant dulcibus vitiis. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno judicio. Nam si aliqua contempsisset, si parum concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset, consensu potius eruditorum, quam puerorum amore comprobaretur. »

(Egregiam hanc dissertationem e germanica lingua in latinam ita transtuli, ut orationis elegantiam et romani sermonis lepores minime sectarer, sed ipsa, quæ de Seneca sensit vir judicio excellens, integra et incorrupta exponerem. J. P.)

Digitized by Google

HIERONYMUS AVANTIUS
VERONENSIS
DE
GENERIBUS CARMINUM
APUD
L. ANNÆUM SENECAM TRAGICUM.

DE CARMINE IAMBICO TRIMETRO.

Prima sedes ultra iambum et tribrachym recipit spondeum, et spondei dissolutiones, anapæstum et proceleusmaticum, et ipsum dactylum sæpissime; licet hoc neget interpres in fine (Troadis) sextæ tragœdiæ.

Secunda et quarta sedes iambo et tribrachy tantum serviunt : ideo contra interpretes jam constantissime assero, apud Senecam in iambicis trimetris nunquam inveniri anapæstum, neque in secunda, neque in quarta sede.

Tertia sedes admittit iambum, spondeum, dactylum et tribrachym. Anapæstum vero in loco tertio nunquam invenies; nisi dictio ipsa fuerit quatuor syllabarum; quod accidit versibus viginti, hoc uno prope Œdipeo versu excepto (1),

Inter senem juvenemque, sed propior seni.

Quintus locus uti sæpissime, immo semper, habet aut spondeum, aut anapæstum : ita iambum et dactylum nunquam assumit, nisi in novem versibus quorum ultimæ dictiones sunt quatuor syllabarum : *nepotibus*, *cacumine*, *Prometheus*,

(1) Exceptis et nonnullis aliis. Vid. Troad. vv. 631, 904. Med. vv. 522, 897. Hercul. Œt. v. 405, etc. etc. J. P.

Digitized by Google

Capharides, Polyxena, facinorum, et ter, *memoria.* Tribrachym quoque ter tantum usurpat in hac sede quinta, dictionibus itidem quadrisyllabis: scilicet, *Luctifica negat,* in Hippolyto; *pestifera movent*, in Hercule furente; *Luctifera gerens*, in Œdipo.

Sexta sedes semper habet unicum iambum; licet Massarius affirmans tribrachym in hoc ultimo pede, non modo adducat illum versum tragœdiæ Herculis furentis,

Ut sæpe puppes æstus invitas recipit;

ubi profecto, si vetusta exemplaria consulueris, *rapit,* non *recipit*, est legendum; sed etiam citet illum versum,

Et fata vici: morte contempta redii;

ubi per synæresin est iambus, non anapæstus. Sic Ascensius Massario consentiens, non modo super dictione *Capharides* scribit esse spondeum in eodem sexto pede, verum etiam in fine Troadis tragœdiæ sextæ dicit legendum esse, *Virginibus teneris*, ut sit anapæstus in ultima trimetri. Ego autem jamdiu scripsi, omnes versus trimetros undequaque probabiles et sinceros inveniri apud Senecam, penes quem nullus est versus scazon, nullus exlex, seu κακόμετρος, nullus hypermeter, nullus hypercatalectus, nullus brachycatalectus, sed omnes meri acatalecti: etiam non constat ullus ex iambis omnibus, quod gravium tragicorum lex decernit. Immo Seneca noster sic fuit metrorum ac syllabarum observantissimus, ut cum Hieronymo Aleandro, literarum et religionis cultura viro venerando, libeat consentire, omnem Senecæ versum procul dubio depravatum esse, quem receptas scansionis normas transgredi offenderis.

Nego præterea collocari trochæum in aliqua sede versus trimetri; unde demiror improbam quorumdam audaciam clamantium trochæum esse in quinta sede horum trium versuum; quorum primus est in Thyeste, secunda tragœdia,

Digitized by Google

Leve est miserias ferre : perferre grave,

ubi syllaba *re* in *perferre* producitur, vi consonantium sequentis dictionis : ut etiam, *Frigida spatio refert*, et *Undique scopuli adstrepunt*. Vide quæ scripsi apud Catullum in dictione *Propontida*. Non tamen semper producitur hujusmodi syllaba : ut, *Unda flammas opprimat*.

Et sæpius omnes poetæ hanc finalem syllabam sequentibus consonantibus pro suo commodo recipiunt.

Secundus versus est in Medea tragœdia, in qua legitur, *perfidi sanguis inest*. Ubi dico spondeum esse in quinta sede, non trochæum; ut apud Tibullum canentem, *sanguis est tamen ille meus*.

Quin alias Catullus, Tibullus, Propertius, Ovidius, Ausonius, et alii poetæ usurpant de industria eam pentemimerim; sed Lucanus, Senecæ affinis, utrasque easdem dictiones mutuatus, scribit :

Dum sanguis inerat, dum vis materna.

Quin semel Maro, semel Valerius Flaccus, bis Lucretius, et bis Silius producit ultimam in *sanguis* : et legitur de Lucretia in antiquo epigrammate,

Sanguis ante virum, spiritus ante deum.

Tertius versus est in Hercule Œtæo, ubi scriptum erat, *si mille gemunt Urbes* : ubi legendum docui *nullæ*, non *mille*. Ut et in Ovidiana Sappho legendum præmonstravi,

..... Et nullæ dulce queruntur aves;

non *mille*, ut passim legebatur.

Itidem in Thebaide, tragœdia tertia (1), est ille versus,

Ionidesve, vel Mycenææ nurus,

in quo credunt esse trochæum in prima sede; quum certe

(1) Non in Thebaide, sed in Troad. v. 363.

Digitized by Google

sit iambus; quod et fatebuntur qui præter cæteros legerint Ovidium, Propertium, Horatium, et Martialem, sic scribentes. Ovid.

Non Latium norat, quam præbet Ionia dives.

Propert.

At tu seu mollis qua tendit Ionia; seu qua.

Horat.

Non attagen Ionicus jucundior.

Mart.

Ionicarum gustus attagenarum.

Et ipsi et alii vates sæpius eas primas syllabas in *Ioniæ* variant. Quin peritorum gratia dixerim, apud Virgilium in eo celebri versu, *Insulæ Ionio in magno*, excluditur et abjicitur in scansione diphthongus primæ dictionis; non autem adimitur ultima vocalis in sequente dictione *Ionio*, ut a plerisque omnibus est hactenus præceptum. Sic igitur scandatur iste versus, *Insul' Ioni' in ma.* ut, *Posthabita coluisse Samo. Quem Dardanio Anchisæ. Sub Ilio alto*, et alibi sæpissime. Non tamen hoc recenseo, quod nesciam diphthongum sæpe retineri, sequente vocali, ut, *Castaneæ hirsutæ. Ante tibi Eoæ Atlantides.* Et ipse Seneca in principio Troadis tragœdiæ sextæ, *Æacidæ armis:* sed ut primas syllabas in *Ionio* lubricas tester; neque unquam inveniri trochæum in Senecæ trimetris, nisi in versibus plane depravatis. Pyrrhichius quoque nullibi admittitur in hoc iambico, licet alii contendant esse pyrrhichium in fronte horum hemistichiorum: *Petiit ab ipsis: Abiit arenas: Rediit Achilles*, sed mirifice decipiuntur. Possem dicere inibi tribrachym esse, ut in Thyeste tragœdia secunda, *Quod ratio nequiit*, ut millies alias: potius tamen dicam in illis tribus esse iambum, quia *t* litera finalis sæpe producitur: Ovidius,

Ut monuit, cum voce abiit.

Digitized by Google

sed maxime in his dictionibus per synæresin coactis; unde non exploderem alteram vocalem, quam demunt alii in ipsis infra scriptis verbis, in quibus plane est iambus, non pyrrhichius: *Complexus abiit: Eversa periit: Petitque supplex:* saltem ut in temporibus sensus sit magis obvius.

Ille quoque fallitur, qui in secundo actu octavæ tragœdiæ (Agamemnonis) legens,

Et qui redire (quum periit) nescit pudor;

et in secundo Octaviæ legens, *Aliena telis: aut petiit*, credit esse anapæstum in quarta sede, qui tamen inibi nunquam invenitur; licet adolescentior cum cæteris omnibus deceptus fuerim. Ut præterea, quod sentio, exprimam, quando prima producitur, *Objice* scriberem potius, quam *Obice*, ut verbum a nomine statim dignoscatur. Legerem tamen et scriberem, *Per decem mensum graves*, pro *mensium:* nam ut apud alios Latinos auctores, sic et apud Senecam, scribuntur et leguntur hæ dictiones, ut metra deposcunt. Ut quum in Seneca legitur, *Tuque cælestum arbiter*, pro *cælestium*, et apud Catullum *Flos Veronensum*, pro *Veronensium*, in hujusmodi ego ectasi, aut molossum, aut creticum pedem exhorreo: ad quem confestim absque necessitate plerique concurrunt, tamquam ad solidissimam anchoram. Interim hæc sit nostra sententia, licet aliquando secus scripserit vir eruditissimus et amicissimus: at non semper idem est unius judicium. Unde quamvis hæc studia (quæ humanitatis appellant) rarissime, nec nisi coactus, revisam, multas tamen inventiunculas nostras alacriter damnavi: et (si acciderit) meipsum redarguens scriptorum meorum ingenuus ero exactor. Igitur repeto, in his, ut versui convenit, ita scribendum, nunc *legentium*, nunc *legentum:* ut annotavi in meo codice impresso in ædibus Aldi anno CIↃ IↃXVII.

Digitized by Google

SCHEMA TRIMETRORUM SENECÆ,

SECUNDUM OBSERVATIONEM AVANTII,

HUJUSMODI EST:

Sedes 1,	2,	3,	4,	5,	6, et ult.
- -	⏑ -	- -	⏑ -	- -	⏑ -
⏑ -	⏑ ⏑ ⏑	⏑ -	⏑ ⏑ ⏑	⏑ -	
⏑ ⏑ -		- ⏑ ⏑		⏑ ⏑ -	
⏑ ⏑ ⏑		⏑ ⏑ ⏑			
- ⏑ ⏑		⏑ ⏑ - (1)		- ⏑ ⏑ (2)	
⏑ ⏑ ⏑ ⏑				⏑ ⏑ ⏑ (3)	

(1) N. L.

(2) In novem versibus.

(3) In tribus versibus.

Digitized by Google

GEORGIUS FABRICIUS

CHEMNICENSIS

DE

RELIQUIS CARMINUM GENERIBUS.

De trimetris sane diligenter Avantius; sed quia in Choris carminum genera reliqua non attigit, videntur ea quoque exponenda, quum in tragicis inveniantur, quæ cum poetis cæteris non conveniant. Nam ut suam illi servent gravitatem, legitimis pedibus et vulgata compositione semper non sunt usi; videlicet,

Ut sermo pompæ regiæ capax foret,

secundum Terentianum. In quibus annotandis operam exiguam sumpsi, non exiguo futuram commodo iis, qui cum diligentia et attentione liberali in veterum scriptis versari solent.

DE IAMBICO.

I. Iambicum dimetrum catalectum, prima sede constat e spondeo aut anapæsto : duabus reliquis, iambo, cum superflua syllaba. E tali iambico integer Chorus est in Medea, ante actum quintum. Talis versus in Œdipo, 485 :

Ophioniaque cæde.

– – ⏑ – ⏑ – –
⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑

Digitized by Google

Ibidem impurus est ille, mutato altero iambo in spondeum:

Solenne Phœbus carmen.

II. Iambicum dimetrum acatalectum habet sedibus paribus iambum, imparibus spondeum, aut dactylum, aut anapæstum: hoc accinitur iambico trimetro, in Medea: interjicitur eidem in Agamemnone. Miscetur trochaicis et dactylicis unus, in eadem tragœdia,

Procella fortunæ movet.

⏑ – ⏑ – – – ⏑ –
– – – –

Impurus est ille in OEdipo,

Hederave frontem bacchifera.

Huic vicissim accinitur superius catalectum ibidem,

Aut fœta tellus impio
Effudit arma partu.

III. Iambicum dimetrum hypercatalectum fit, quum ad superius adjungitur pes trisyllabus in fine, nempe baccheus: e quo genere non constant Chori integri, sed aliis alibi, rarissime tamen, interponitur; ut in OEdipo,

Sensere terræ te Dacûm feroces.

Habet sede quarta etiam anapæstum; ut in Agamemnone,

Non urbe cum tota populos cadentes.

Ibidem,

Charusque Pelidæ nimium feroci.

In qua tragœdia tantum unus adhuc generis ejusdem legitur. Ut autem apud tragicos iambico dimetro pes trisyl-

Digitized by Google

labus additur, ita apud Comicos iambico senario; cujus e Varrone meminerunt, Charisius, Diomedes, Ruffinus: singuli adducunt hunc versum Terentii ex Hecyra,

Num si remittent quippiam Philumenæ dolores.

Sed nunc non alia persequi, præterquam tragici nostri, decretum est.

IV. Iambicum trimetrum brachycatalectum scazon, seu claudum, nescio an ulli alii, excepto Seneca, apud Latinos sit usitatum. Habet sede prima iambum aut anapæstum, secunda jambum, tertia spondeum, penultima iambum, ultima spondeum, et semel tantum anapæstum. In Œdipo,

Sonuit reflexo classicum cornu.

In Agamemnone,

Cum lege mundi Juppiter rupta.

Ibidem,

Jussitque Phœbum tardius celeres.
– – ⏑ – – – ⏑ – ⏑ ⏑ –
⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑ –

Hoc genus scazontis in duabus tantum tragœdiis legitur: nam alia exempla ego ignoro.

Interdum in eodem non fit collisio; ut,

Elisit ære, ante non linguas.

Interdum nulla elisio; ut in Œdipo,

Clamore primum hostico experti.

Sed hoc videtur fieri valde illepide.

Est et alterum scazon huic dissimile, in quo contra legem communem loco penultimo trochæus ponitur,

Timet aut minaces victoris iras.
Tacitumque murmur percussit auras.
Gemuitque taurus Dictæa linquens.
⏑ ⏑ – ⏑ – – – – ⏑ – –

Digitized by Google

Hæc autem rectius inter composita metrorum genera referuntur.

V. Iambicum trimetrum catalectum integrum, satis ab Avantio explicatum videmus, quod tamen e puris iambis non constat, sed pedum æqualium quasi temperamento conficitur. Tradit ex antiquis Grammaticis Victorinus, improbari versum ex iambis omnem compositum, nam ut sit amplior, et par tragicæ dignitati, interponi frequenter, locis videlicet imparibus, pedum dactylorum numeros, et moras spondeorum: quam sententiam approbat Terentianus. Quos autem trimetros Græci, eos Cicero et Quintilianus vocant senarios, et eorumdem imitatione Flavius Caper et Aruntius Celsus, Terentii interpretes. Causam nominis utriusque scite Terentianus reddit, suæ vir artis doctissimus,

Iambus ipse sex tantum locis manet,
Et inde nomen inditum est senario:
Sed ter feritur, hinc trimetrus dicitur,
Scandendo binos quod pedes conjungimus.

Annotarem et illa, ubi collisiones aut elisiones non fierent, vel hiantibus literis, vel sequente aspiratione: sed quum id in difficilioribus dicere jam cœperim, et in reliquis generibus sim repetiturus, studiosi id per se observabunt, quod a præceptionibus communibus dissidet, et libertatem illam vetustiorum refert.

VI. Iambicum trimetrum catalectum scazon, constat e solitis trimetri pedibus, iambo, spondeo, anapæsto: sed in fine loco iambi spondeum celebrat, quem tamen antecedit anapæstus aut iambus; cujus generis duo tantum versus sunt in Agamemnone,

Quum Dardana tecta Dorici raperent ignes.
– – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑ – – –
Fatale munus Danaum traximus nostra.
– – ⏑ – – ⏑ ⏑ – – ⏑ – – –

Digitized by Google

DE TROCHAICO.

I. Trochaicum dimetrum catalectum e trochæo, item spondeo, vel dactylo, vel anapæsto, demum trochæo et syllaba superflua componitur: quo utitur in Œdipo,

Sed quid hoc? postes sonant.

Item,

Pendet instabili loco
Quidquid excessit modum.
– ⏑ – – – ⏑ –
– ⏑ ⏑
⏑ ⏑ –

Chorus enim ille integer est ex hoc genere, quod et aliis Choris immiscetur, aut ad eorum extremum adhibetur. Unus versus hypercatalectus est in eodem Choro,

Vita, decurrente via.

Unus impropriam sedem habet, loco trochæi pyrrhichium, in initio,

Comes audacis viæ.

Sed dubito valde, num correcti sint hi ipsi loci.

II. Trochaicum dimetrum hypercatalectum, constat e trochæo, item spondeo, iterum trochæo, demum trochæo, vel spondeo, et syllaba abundante; ut,

Nullus hunc terror, nec impetus.

Item,

Sensit ortus, sensit occasus.
– ⏑ – – – ⏑ – ⏑ –
– ⏑ – – – ⏑ – – –

III. Trochaicum trimetrum brachycatalectum, habet loco

Digitized by Google

primo et tertio trochæum, vel spondeum, vel dactylum; secundo, quarto, et quinto trochæum; ut in Œdipo,

Protulit tellus aut anguis imis.

In Agamemnone,

Deseruit fugas nomenque genti.

Ibidem,

Te duce concidit totidem diebus.

In qua tragœdia plures versus ejusmodi, sed sparsim inveniuntur.

- ⏑ - ⏑ -- - ⏑ - ⏑
-- - ⏑
- ⏑ ⏑ - ⏑ ⏑

Impurus est ille, qui loco secundo spondeum habet.

Vicit acceptis quum fulsit armis.

Item,

Fraude sua capti caderent Pelasgi.

Quamvis post duas mutas, vocalem sequentes, utraque, syllaba correpta legi posset, licentia vetere; ut versus ille apud Gellium, ex emendatione Alciati,

Postquam est morte captus Plautus, Comœdia luget.

Nam in secundo loco dactylus est, propter *pt* literas vocalem sequentes: ut apud Græcos,

Θρήνους τ' Αἰγυπτίων.

Sed auctorem nostrum minus horridum, ab hac consuetudine plane abstinuisse arbitror. Impurus itidem ille, in quo sede secunda pro trochæo ponitur anapæstus; ut in Agamemnone,

Tradit thalamis virginem relictam.

IV. Trochaicum trimetrum hypercatalectum, habet tro-

Digitized by Google

chæos admixtis, ut solet, dactylis et spondeis, quod in Agamemnone locis solummodo duobus legimus,

Vidimus patriam ruentem nocte funesta,
Vidimus simulata dona molis immensæ.
- ⏑ - ⏑ ⏑ - ⏑ - ⏑ - ⏑ - - -

V. Trochaicum tetrametrum catalectum, trochæum recipit locis omnibus, exceptis quarto et sexto, in quibus quasi tibicen fulcitur spondeus, firmamenti gravitatisque causa. Integre purum carmen hoc ponere tragici non solent; nam quod aliis poetis decoro est, in his vitiosum putatur, Victorino et Attilio testantibus. In prima sede, præter trochæum, quem semper ut legitimum intelligo, collocantur dactylus, tribrachys : in secunda, spondeus, dactylus, anapæstus : in tertia, tribrachys : in quarta, unicus spondeus : in quinta, dactylus et tribrachys : in sexta, rursus spondeus, et semel dactylus, semel tribrachys, apud hunc videlicet auctorem : in septima necessario trochæus : syllaba abundans (ut in omnis carminis fine) est indifferens. Has pedum diversitates observare licet in tragœdiis duabus, extra Chorum, nempe in scenarum exordiis, ut in Hippolyto et Medea : semel tantum in scenæ medio, ut in OEdipo. Nos simplicioris versus exemplum subjiciemus,

Et pias numen precatus, rite submisi manus.

Et illius apud Terentium in Heautontimorumeno, qui est omnium ejus Comici purissimus :

Vis amare, vis potiri, vis quod illi des, effici.
- ⏑ - ⏑ - ⏑ - - - ⏑ - - - - ⏑ -

Trochaicorum restant alia quædam genera, quibus semel aut iterum uti Poeta satis habuit, quæ ex impuris et imperfectis composita et quasi conglutinata sunt.

Primum, pedum quatuor; ut in Agamemnone,

Hesperum dici : aurora movit.
- ⏑ - - - - - ⏑ - -

Digitized by Google

Alterum, pedum totidem, et semipedis; cujus exempla leguntur duo in eadem tragœdia,

Stella quæ mutat, seque mirata est.
Frigidus custos, nescius somni.
– ⏑ – – – – ⏑ – – –

Tertium, pedum quinque; ut,

Semper ingentes educas alumnos.
– ⏑ – – – – – – – ⏑ – –

Quartum, pedum totidem cum semipede; in Œdipo,

Lucidum cæli decus huc ades votis.
– ⏑ – – – ⏑ ⏑ – ⏑ – – –

DE ANAPÆSTICO.

Anapæsticum complectitur sedes quatuor, recipit in singulis anapæstum, in prima pariter dactylum et spondeum: in secunda solum anapæstum, aut spondeum: in tertia spondeum, dactylum, tribrachym: in ultima anapæstum, spondeum, tribrachym, et dactylum: sed hunc bis tantum observare potui; ut in Œdipo,

Mixtaque odoro Lesbia cum thymo.

In Agamemnone,

Qui Styga tristem non tristis videt.

E solis anapæstis unus legitur in Hercule furente,

Pharetræque leves, date sæva ferro.

Alter in Thyeste, tertius in Hippolyto, quartus in Agamemnone: nam hoc contra gravitatem tragicam est, ut supra in iambicis et trochaicis, de veterum auctoritate scripsimus. Itaque similem versum reprehenderunt familiares Ovidii, in ipsius tragœdia Medea, qui a Seneca Controversiis annotatur,

Gelidum boream, gelidumve notum.

Digitized by Google

Anapæstici qui constant e solis spondeis, nimium inertes sunt, ideoque a Ruffino vocantur immanifesti, quia in iis vix numerus et versus intelligi potest, ut Cicero ait; immo plane non intelligitur, si aliis, non sui generis, sunt immixti. Talis est in Œdipo,

Nec mortali captus forma.

Alii duo sunt in Agamemnone. Tales spondaici, quamvis alius itidem generis carminibus inseruntur, tamen in eorum habentur numero, cum quibus conjuncti sunt, etiamsi pedem illum legitimum habeant, quod et veteres Grammatici annotarunt, ut diximus libro De re Poetica septimo.

Iambum pedem hoc carmen non admittit; nam in illo versu,

Arcus metuit Diana tuos,

prima in nomine proprio figurate producitur, ut et in illo Ovidii,

Ferrum Diana volanti
Abstulerat jaculo.

Ita enim in aliquot manuscriptis offendimus. Habet hoc carmen post duos pedes incisum : in quo syllaba brevis produci potest; ut in Troade,

Bis pulsata Dardana Graio.

In Octavia,

Pulsata freta fertur in altum.

Interdum non fit elisio; ut in Octavia,

Vivere matrem impius, ingens.

Neque fit collisio; ut in iambico, in Agamemnone,

Priamo Agamemnon.

In Troade,

Æacidæ armis.

Digitized by Google

Item in anapæstico; ibidem,

Contenta sono, Hectora flemus.
Canuit Ide, Ide nostris.

Quod tribus aliis præterea ejusdem carminis locis animadvertimus.

Est hujus carminis bonitas et elegantia præcipua, si pedibus singulis, singulæ partes orationis finiantur: altera, si dimensiones ipsæ parte orationis terminentur.

Talis est autem solita ejus constitutio,

⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –
– – – – – – – –
– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑
⏑ ⏑ ⏑

Admittit aliquando pedes alienos, seu (ut Servius) ignobiles, et (ut Cicero de Oratore) abjectos: nos hactenus impuros vocavimus, quod et numerum et versum vitient.

In prima sede pæonem tertium; ut in Œdipo,

Niveique lactis candida fontes.

Quorum tamen versuum ultra octo in his tragœdiis non sunt.

In secunda sede baccheum; ut in Octavia,

Spernit superbos humilesque simul.

Cujus alibi similis nullus est. Observatione dignum est, quod Cicero anapæstum pedem, pro ipso carmine anapæstico ponit: ut de Finibus: *Græci qui hoc anapæsto citantur*, id est, hoc carmine anapæstico.

DE SAPPHICO.

I. Sapphicum brachycatalectum, quod constat molosso, anapæsto, baccheo, id inseritur Choro cuidam in Agamemnone,

Qui vultus Acherontis atri.
– – – ⏑ ⏑ – ⏑ – –

Digitized by Google

II. Sapphicum integrum, pedibus constat certis, trochæo, molosso, anapæsto, et amphibrachy, vel baccheo, propter syllabam ultimam communem. Habet usitate cæsuram post alterum pedem, quam Tragicus semper observat, Catullus non admodum accurate, Horatius accuratius, præterquam in locis paucis, et initio Carminum, libro I, od. 10,

Mercuri facunde, nepos Atlantis.

Oda 11,

Quem virum, aut heroa, lyra vel acri.

In oda de Pindaro utitur undecies, in Carmine seculari uno minus vigesies, alias non nimium.

In hoc genere graviter cadunt versus, qui desinunt in dictionem quadrisyllabam; ut,

Jam silet murmur grave classicorum,

Nonnumquam propter cæsuram syllaba correpta extenditur, idque semel tantum apud Horatium, sed sæpius apud hunc tragicum; ut in Troade,

Et vir et Pyrrha mare quum viderent.

In Medea,

Uxor impendit animam marito.

Est autem veri et integri Sapphici constitutio ejusmodi,

– ⏑ – – – ⏑ ⏑ – ⏑ – –
Disce fortunam bene ferre magnam.

Constant Chori integri e sapphicis apud nostrum tragicum. Observavimus in sapphico pedes illegitimos plures quam in aliis, eosque in sedibus omnibus, ultima tantummodo excepta; ut in prima sede, spondeus pro trochæo: quod quia semel factum, legem non facit. In Agamemnone,

Solus contemptor levium deorum.

In altera sede pro molosso, interdum creticus collocatur, interdum choriambus: de cretico constat, de choriambo

Digitized by Google

nos exempla afferemus, quia inusitatum est, et ab alio, quod equidem sciam, factum nemine.

Creticus invenitur sine omni controversia; et veteres sapphicos tales fuisse Julius Scaliger sentit. Catullus,

Pauca nuntiate meæ puellæ.

Sappho certe, quæ hujus carminis inventrix est, in quadam oda continenter eo pede utitur:

Ποικιλόθρον' ἀθάνατ' Ἀφροδίτα,
Παῖ Διὸς δολοπλόκε, λίσσομαί σε,
Μή μ' ἄταισι μηδ' ἀνίαισι δάμνα
Πότνια θυμόν.

Choriambus in eadem sede, uni tragico nostro est usitatus. Exstant plura exempla, ne quis possit dubitare: qualia sunt. In Medea,

Sumere innumeras solitum figuras.

In Troade,

An ferax varii lapidis Carystos.

Quamvis in manuscripto Regiomontani legitur, *rari lapidis;* quod tamen repudio, ut et Scaligeri σχῆμα συμφωνητικὸν, quod esse in dimensione ipse judicat. Similiter in Thyeste,

Cuncta divitias metuitque casus.

Sed et hunc versum aliter legit Beza. Rursus alibi: in OEdipo,

Te caput Tyria cohibere mitra.

In Agamemnone,

Sidus Arcadium geminumve plaustrum.

In Troade

Troja qua jaceat regione monstrans.

Exempla nondum in libris corrupta tot enumero, ne

Digitized by Google

temere affirmare videar rem novam. Ille autem versus in Hercule Œtæo,

Habeat, nec ulla dominetur aula;

ut et alter in Agamemnone,

Triplici catena tacuit, nec ullo,

plane sunt illegitimi; in quibus loco primo anapæstus, altero baccheus ponitur: quos inter sapphicos ausus non essem recitare, nisi Tragicus eis per medium immisceret, aut propinque annecteret. Satis de prima et altera sede hujus carminis.

In tertia sede spondeus contra artem et usum collocatur; ut,

Argos iratæ carum novercæ,

cujus etiam ut in pede priore exemplum aliud nescio. Spondeus iste interdum resolvitur; ut in Hippolyto,

Si qua ferventi subjecta cancro. (*subiecta*).

In Troade,

Dum luem tantam Troïæ atque Achivis.

Qualis illa διάζευξις Horatiana,

Nunc mare, nunc silüæ.

Et ista,

Heü quantus equis, quantus adest viris.

Ita in manuscripto, et *Heü* dissyllabum esse non negat Servius. Eadem resolutione Cæcilius in Plotio, apud Terentii interpretem,

Patere quod datur, quando optata non dabunt dii.

In hoc trochaico, *quando* est trisyllabum. Sumptum hoc de Græcis. Homerus,

Ἀφνειόν τε Κόρινθον, ἐϋκτιμένας τε Κλεωνάς.

Digitized by Google

Apollonius,

Οὐδὲ μὲν οὐδ' αὐτοῖο πάϊς μινύαινεν Ἀχαιοῦ.

Aliter in carmine sapphico distinguunt pedes Bassus, Diomedes, Attilius, Terentianus, Servius, et alii; nam inter composita id numerant: sed qui simplicem rationem sequuntur, quam nos sequimur, ad Tragici hujus compositionem spectant, quæ sine dubio e Græcorum fluxit institutionibus. Horatius in hoc genere semel atque iterum utitur dissectione; ut lib. I, od. 25:

Thracio bacchante magis sub inter=Lunia vento.

Lib. II, od. 16:

Grosphe non gemmis neque purpura ve=Nale nec auro.

Sed nullum est exemplum in tragicis.

DE CHORIAMBICO.

I. Choriambicum dimetrum constat choriambo et baccheo. In Hippolyto,

- ⏑ ⏑ - ⏑ - -
Imbriferumque corum.

In Agamemnone,

Pulvereamque nubem.

II. Choriambicum trimetrum, e spondeo, choriambo, et pyrrhichio; ut,

Pax est Herculea manu,
Auroram inter et Hesperum.
- - - ⏑ ⏑ - ⏑ ⏑

Ex hoc facti sunt Chori integri in Thyeste et Hercule Œtæo; finis cujusdam Chori in Hercule furente, medium in Medea. Habet primo loco interdum trochæum; ut apud Severum Septimium,

Purpuræ—leguli senes.

Digitized by Google

Interdum creticum; ut in Hercule Œtæo, 1095:

Quatuor præcipitis Deus.

Nisi fiat collisio. Prima enim in nomine *quatuor* apud bonos poetas semper producta legitur: *quater*, semper correpta.

III. Choriambicum tetrametrum fit e spondeo, duobus choriambis et pyrrhichio; quo genere frequentissime utitur: hoc suave est, si incisum habeat post pedem alterum.

– – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑
Res est forma fugax, quis sapiens bono
Confidit fragili? dum licet, utere.

Ex hoc passim integri Chori compositi. Idem inter duos trimetros et totidem tetrametros in Œdipo interposuit. Sunt præterea genera choriambico minus nota.

I. Primum, quod e choriambico dimetro constat, et e duobus pedibus iambi, cum syllaba superflua.

– ⏑ ⏑ – ⏑ – – – – ⏑ – ⏑
Indomitumve bellum perrumpet omne.

II. Alterum, quod e choriambo, anapæsto, et iterum choriambo.

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ –
Extimuit manus insueta pati.

III. Tertium, quod prioribus est magis vulgatum, e spondeo, choriambo, anapæsto, tribrachy.

– – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑
Ut quondam Herculea cecidit pharetra.

Reperiuntur plura in Agamemnone hujus generis.

IV. Quartum, quod e choriambis in sede prima et ultima, in secunda iambo, in tertia spondeo constat; cujus unicum exstat exemplum in Œdipo,

– ⏑ ⏑ – ⏑ – – – – ⏑ ⏑ –
Quæ tibi nobiles Thebæ, Bacche, tuæ.

Digitized by Google

V. Quintum, quod est priore brevius syllaba, et loco choriambi finitur dactylo; ut in Agamemnone,

- ⏑ ⏑ - ⏑ - - - - ⏑ ⏑
Perdidit in malis extremum decus.

DE DACTYLICO.

I. Dactylicum dimetrum catalectum, conficitur e duobus dactylis, ut,

Non acies feras.
Cervaque Parrhasis.
- ⏑ ⏑ - ⏑ ⏑

II. Dactylicum trimetrum, e dactylo, spondeo et dactylo; ut,

Cæruleum erexit caput.

III. Dactylicum tetrametrum acatalectum, fit e solis dactylis, socio pede adjuncto spondeo, qui admittitur sedibus omnibus, excepta postrema; quod carminis genus suo appellatur nomine Bucolicon, et idem interponitur modo sapphicis et choriambicis, quales sunt tres in Hippolyto: modo heroicis, quales multi in OEdipo, ante actum tertium:

- ⏑ ⏑ - ⏑ ⏑ - ⏑ ⏑ - ⏑ ⏑
- - - -
Et tumidum Nereus posuit mare.

Item,

Brachia prima cadunt prædonibus.

De hoc versu ita scribit Terentianus, diligens Grammaticus,

In tragicis junxere choris hunc sæpe diserti,
Annæus Seneca, et Pomponius ante Secundus.

Eodemque in loco hos e Pomponio versiculos adducit,

Pendeat ex humeris dulcis chelys,

Digitized by Google

Et numeros edat varios, quibus
Adsonet omne virens late nemus,
Et tortis errans qui flexibus.

Hi versus, si e solis componuntur spondeis, minus sunt sonori, minus accommodati; ut in Œdipo,

Et Phœbo laurus charum nemus.

Quod in aliis præterea duobus in hoc poeta deprehendimus. Nam dici dactylus potest, auctore Attilio, qui pedes omnes spondeos habet: dici iambicus, qui spondeis maxima e parte abundat, quod in Plautinis Camerarius annotavit: dici anapæsticus, eadem de causa, de quo dictum paulo ante est. Ratio est (ut idem Attilius) quia pes spondeus metra omnia ordinat, atque disponit.

IV. Dactylicum pentametrum superiori simile est, quod uno pede excedit; id olim vocatum Æolicum, eoque librum integrum scripsit Sappho. In his tragœdiis unus tantum invenitur, in Agamemnone,

Heu quam dulce malum mortalibus additum!

Ita enim e manuscripto Regiomontani eum restituimus, quum in vulgatis in choriambicum mutatus sit; ut esset sequenti in eodem loco similis.

Sunt hujus generis multa composita.

I. Ut incipiens a cæsura trochaica. In Agamemnone,

Aut iniqui flamma Tonantis.

Item a solo pede trochæo,

Pendet instabili loco.

II. A cæsura sapphica. In Agamemnone,

Fortiter vinci restitit annis.

Tales leguntur tres in Œdipo, in Choro confuso e plurimis carminum generibus.

Digitized by Google

III. Item a cæsura iambica, vel e solis iambis facta; ut in Œdipo,

Inauspicata de bove tradidit.

Vel e spondeo et iambo; ut in Agamemnone,

Par ille regi, par superis erit.

Postremo desinens in colo sapphico. Ibidem,

Et licuit versare dolos, ut ipsi.

DE HEXAMETRO.

Hexametrum (quod a materia heroicum, ab orationis genere epicum) componitur e dactylis et spondeis: ita tamen ut sedem quintam dactylus, sextam et ultimam spondeus possideat. In prioribus enim ambo pedes sine ullo discrimine ponuntur. Hujus exemplum est optimus ille Poetæ optimi versus (Virg. Æn. VI, 620):

Discite justitiam moniti, et non temnere Divos.

Hoc carminis genere celebrantur res gestæ Bacchi in Œdipo et Medea: item oraculum, quod Œdipo datum est. Oraculum refertur in scenæ medio, Bacchi facinora inseruntur Choris. In antiquissimis tragœdiis frequentem fuisse hujus versus usum, intelligitur e libro De re Poetica, qui inter Aristotelicos legitur.

DE MONOMETRO.

Monometrum est, quod e duobus fit pedibus, estque, aut acatalectum, quod integrum est, aut ex anapæstico; ut,

Fortuna ferat.

Item,

Nova nupta faces.

Item ex dactylico; ut,

Non acies feras.

Digitized by Google

Item,

Cingi floribus.

Catalectum, cui syllaba aliqua deest. Hypercatalectum, in quo abundat syllaba. Ut in trochaico (Agam.),

Troja bis quinis.

In iambico (Œdip.),

Religare frontem.

In choriambico (Med.),

Quo non nata jacent.

Quia autem tales finiunt plerumque sententiam, aut etiam carminis genus, ideo antiqui monometra, clausulas appellarunt, ut Varro tradidit.

Digitized by Google

NOTITIA LITERARIA

DE

TRAGOEDIIS

QUÆ SUB

L. ANNÆI SENECÆ

NOMINE FERUNTUR

EX

JOS. ALB. FABRICII BIBLIOTHECA LATINA, A JOS. AUG. ERNESTI AUCTIUS EDITA, LIB. II, CAP. 9.

Decem tragœdiæ, quæ sub *Senecæ* nomine ambulant, Philosopho tribuuntur a Francisco Petrarcha, Petro Crinito, Daniele Gajetano, Martino Delrione, etc. Alii, ut Balth. Bonifacius lib. XV, cap. 7 Historiæ ludicræ, audacter pronuntiant, auctorem habere Marcum Senecam nepotem, Philosophi ex priore uxore filium, sed præmatura morte exstinctum, cujus mentio in Consolat. ad Helviam, cap. 16. Sed ex eodem loco constat, admodum puerum et paulo ante patris exsilium obiisse. Aliis, ut Jo. Boccatio, saltem dubium est, utrum filius L. Annæi, vel frater, vel ex fratre nepos, M. Annæus Lucanus, eas scripserit. Elias Vinetus putabat, esse nescio cujus L. Annæi Senecæ, qui sub Trajano floruerit. Senecam Philosophum a Tragico distinguit quoque Sidonius Apollinaris Carm. IX, vers. 231.

Digitized by Google

Idem faciunt alii : a quibus tamen recte, ut puto, dissentiunt Nic. Antonius lib. I Bibl. veteris Hispanæ, cap. 9, et Barthius ad Statium, tom. I, p. 251. Certum quidem est, et Senecam Philosophum carmine valuisse (1), et aliquas tragœdias ad eum recte referri. Sed et de hoc fere convenit inter eruditos, decem has, quas habemus, non esse unius auctoris.

1. *Hercules furens*, ex Dan. Heinsii sententia, auctorem habet M. Annæum Senecam, Philosophi patrem. Versus ex hoc dramate, sub Senecæ nomine, afferuntur a Terentiano Mauro lib. de metris. Imitatus est Seneca Herculem furentem Euripidis, ad quem vide, si placet, quæ notavit Josua Barnes. V. C. ad vers. 140.

2. *Thyestes*, Senecæ tribuitur a *Luctatio* (2) Statii Scoliaste ad lib. IV Thebaid. Hæc eidem M. Annæo Senecæ ab Heinsio adscribitur.

3. *Thebais*, sive *Phœnissæ*, reliquis præfertur a Lipsio,

(1) Vid. Senec. Epist. CVII et CXV, et Lipsium ad Tacitum, Ann. XIV, 52.

(2) Sub ejusdem *Luctatii* nomine periochas, sive *argumenta singularum tragœdiarum* in MS, reperit ediditque Georg. Fabricius. Petrus autem Scriverius testatur, se vidisse MS, quo argumentum *Herculis furentis* paucis admodum verbis immutatis referebatur ad *Albertinum Mussatum*, Patavinum historiographum. Janus Gruterus passim quoque memorat *veterem Scholiastem Palatinum in tragœdias Senecæ*. Quum vero idem testetur, illum sua inscripsisse Johanni Botticellæ, apparet, eum non esse valde antiquum. *Primus, quod sciam*, inquit Nic. Antonius in Bibl. vet. Hispania, *tragœdias Senecæ glossis illustravit Nicolaus Treveth Dominicanus, sæculo post Christum natum XIV, quæ scriptæ occurrunt in Bibl. Ferdinandi Colomi Eccles. Hispalensis*. Hunc Anglum Dominicum suspicor latere sub corrupto *Franoheti* nomine apud Nic. Antonium lib. I, § 173. *Triveti* hujus sive *Trevethi* in quasdam tragœdias scholia MSS exstant Vratislaviæ in Bibl. Rhedigeriana. Eadem in aliis etiam occurrunt Bibliothecis, ut eidem Antonio, § 177, observatum.

Digitized by Google

Florente Christiano et Jano Bernartio : sed eadem indigna Seneca, minimaque tragœdiarum est judicio Jos. Scaligeri, Dan. Heinsii, Petri Scriverii. Ad Senecam Philosophum referendam esse, nec Lipsius dixerit, qui temporibus Augusti vindicare malebat. Nescio, quale sit Henrici Chiffellii *supplementum ad Thebaidem Senecæ*, Rom. 1625, in-8, quod memoratur in Catalogo bibl. Barberinæ.

4. *Hippolytus*, si Troadas excipias, nulli Latinarum secunda est, et Philosophum Senecam auctorem agnoscit, judice Daniele Heinsio. Porro versus, quem ex *Phædra* (1) Senecæ affert Priscianus libro IV, in hoc dramate occurrit. Etiam in MS optimo Florentino, quo usus est Jo. Frid. Gronovius, hæc tragœdia *Phædra* inscribitur. Comparationem inter Hippolytum Senecæ et Euripidis edidit Jo. Henr. Bœclerus Argentor. 1561, in-4, et tom. II diss. acad. vide et Sam. Petitum lib. I Obs. cap. 2, qui cap. 1 suspicatur, Medeam et Hippolytum a Seneca Philosopho in exsilio scriptas esse, utpote in quo *levioribus se oblectasse studiis* testatur in Consolat. ad Helviam, cap. 4.

5. *Œdipus*, adumbratus ex Sophoclis Œdipo Tyranno, auctore M. Annæo Seneca, Philosophi parente, ut eidem Heinsio videtur.

6. *Troades*, Senecæ tribuuntur a Prisciano et Valerio Probo, sed idem bis *Hecubam* vocat. Cæterum Philosophi esse, et Euripidis Troadas longe vincere, judicabat olim Heinsius. Troadem perperam appellant Lipsius et alii, qui etiam contemnendi et ignobilis auctoris esse existimant,

(1) Thomas Phædrus eloquentiam Romæ sub extremum sæculi XV cum summa laude professus, ita ut ætatis suæ Cicero haberetur, Phædri cognomen tulit, quod personam Phædræ in hoc dramate eleganter repræsentasset. Vid. Erasmi Epist. XXIII, ubi male Petrus pro Thoma appellatus.

Digitized by Google

quum, Jos. Scaligero judice, sit princeps latinarum tragœdiarum. Cum Euripidis Troadibus et Hecuba confert Sam. Petitus lib. I Observ. cap. 3, qui post reditum ab exsilio scriptam hanc tragœdiam in aula a Philosopho existimat cap. 1.

7. *Medea*, sub Senecæ nomine allegatur a Quintiliano, lib. IX, cap. 2, et Philosopho tribuitur ab omnibus, quamquam vetus Lucani scholiastes effectam fuisse etiam a Lucano Medeam tragœdiam testatur.

8. *Ex Agamemnone* versiculum sub Senecæ nomine laudat Priscianus libro VI.

9. *Hercules Œtæus* ex Sophoclis Trachiniis adumbratus est, sed longe infra græcum subsidet, sermoque arguit, longe post reliquas hanc tragœdiam scriptam esse. *Cujus auctor si tam corruptus est et vitiosus elocutione, quam rebus et sententiis turgidus e inflatus, nihil est, quod illum audire magnopere velimus*, inquit Vavassor lib. de vi et usu quorumdam verborum latinorum.

10. *Octavia* et ipsa Seneca Philosopho non indigna, si Scaligerum (1) sequimur, etsi præ reliquis humi serpit, et Justo Lipsio visa verbere eruditorum excipienda, non plausu. Ea autem non est in MS optimo Florentino, quod ipsum eam suspectam facere potest. *L. Annæo Floro* eam tribuit Voss. p. 164 de hist. lat. qui Instit. poet. lib. II, p. 76, eam omnium ineptissimam vocat et opus plane scholasticum: neque Octaviæ mortem potuisse memorare Senecam, a Nerone prius exstinctum. In editis vulgo postremum locum occupat, nisi quod in prima edit. Lipsiensi, et in aliis qui-

(1) Fuit tamen, quum Josephus Scaliger non Senecam existimaret auctorem esse hujus tragœdiæ, sed Scævum Memorem, de quo Voss. p. 48 de Poet. latin.

Digitized by Google

busdam præmissa est Herculi OEtæo. Sed notum est, quanta sit tam in editis, quam in MSS varietas in ordine harum tragœdiarum. Justus Rycquius ad Taciti XIV, 63 scriptam putat a Seneca anno U. C. 712. Joan. Frid. Gronovius autem non esse Senecæ recte judicat.

Jul. Cæsar Scaliger non dubitat Senecæ tragœdias etiam ultra Græcarum vim et elegantiam extollere : plerisque tamen hodie aliter videtur, qui nimium philosophicas esse, et contra leges tragœdiæ passim peccare judicant. Vide Vossium patrem in Institutt. Poeticis, et Rapini aliorumque judicia collecta a Bailletto t. II judiciorum de poetis. *Dionysii Thusci* de Rubertis e Burgo S. Sepulcri et *Thomæ Aquinatis*, qui a quibusdam memorantur, commentarii, lucem certe haud viderunt. MS Codex non contemnendus tragœdiarum Senecæ servatur Gothæ in Bibl. Serenissimi Ducis, ut in Cypriani Catalogo MSS, illius Bibl. p. 106, notatum est. Ambrosiana quoque Bibliotheca pulcherrimum habet earumdem Codicem cum argumentis *Albertini Mussati* Patavini, ut testatur Nic. Antonius p. 39 Bibl. vet. Hispan.

Digitized by Google

INDEX

EDITIONUM TRAGICORUM LATINORUM

EMENDATIOR ET AUCTIOR FABRICIO-ERNESTINO IN QUATUOR ÆTATES DIGESTUS.

(Quæ huic Bipontinæ editionis Indici addenda mihi visa sunt minoribus literis exarantur. J. P.)

ÆTAS I *NATALIS* 147...—1513.

Obscuri natales. Nos equidem cum aliis haud novimus priorem Ferrariensi (1481), quam sequuti sunt commentatores, Gellius Bernardinus *Marmita* 1482, et qui ei conjungi cœpit 1493 in Veneta III, Dan. *Cajetanus*, Cremonensis. Prioresne imitata sit *Juntina* I, an. (1506) an cum *Juntina* II (1513) tamquam exemplar conveniat, a nemine dictum invenimus. Hanc certe recensuit *Benedictus Philologus* Florentinus.

S. a. et l. (1481, Ferrariæ) fol. Senecæ tragœdiæ.

Longa iterum Senecæ tribuisti sæcula; regum
Quum premis, Andrea Gallice, mortis opus.
Hercule sunt formis impressa volumina rege,
Victor ab Adriacis quum redit ille feris.

Vid. Maittar. Annal. typ. tom. III, p. 748, qui addit: *Hic Andreas Gallus Ferrariæ anno 1474 imprimebat; et bellum inter Venetos et Herculem Ferrariæ ducem anno 1481 evenit.* Cf. et Hambergeri Zuverlæssige Nachrichten, t. II, p. 104.

Brunet, in libro qui inscribitur *Manuel du Libraire*, hanc editionem relegat ad annum 1484.

S. a. *Lipsiæ*, in-4, ap. *Martinum Herbipolensem*, literis Longobardicis excusa. Hanc ed. emendatissimam vocat Delrio;

Digitized by Google

sed falso eam cum Nic. Antonio, Bibl. Hisp. scriptore, pro prima omnium habet, jam monente Fabricio in B. L.

Hæc ad finem adscribuntur carmina :

Clauditur iste liber Senecæ, repetendus in omne
Ævum; hunc ardenti pectore, lector, ama.
Presserat Herbipolis Martinus in urbe decenter
Lipzec. Hoc munus, candide lector, ama.....

S. a. Parisiis, in-4°. Tragœdiæ ex recensione Car. Fernandi. His verbis ea editio clauditur : « Impressū Parisiis in vico clauso Brunelli per Iohannē higman vuilhelmū ppositi et vuolfgangū hopyl socios. » — Vide quæ in præfatione de hac primaria editione scripserim.

1482. *Veneta* I, fol. cum comment. Gelli Bernardini *Marmitæ* Parmensis. Memoratur Fabricio.

1491. *Lugd.* fol. per Ant. *Lambillon.* Vid. Lengnich Beytræge, etc. P. II, p. 122.

Asserit *Brunet* hanc editionem primam omnium esse; quæ ad certum annum referatur. Addit subjungi Marmitæ comment.

1492. *Veneta* II, per Laz. Isoardum de *Savigliano*, cum comment. *Marmitæ.* Vid. Lengnich l. c. p. 123, et Bauerum, t. IV, p. 64.

1493. *Veneta* III, fol. Senecæ tragœdiæ cum commentariis Gellii Bernardini *Marmitæ* Parmensis. — Venetiis, per Matheum *Capcasam* Parmensem, MCCCCLXXXXIII, die XVIIII Julii. Servatur in Bibl. Archipal. Manhem. testante nobis viro clar. Andrea *Lamejo*, illius præfecto.

Delrio eam esse secundam Venetam affirmat, et illi junctos Dan. Caietani Cremonensis comment. Hæc, ut Delr. videtur, incepit *innovationum nonnullarum sementem jacere.*

1498. *Veneta* IV, fol. Repetitio præcedentis.

1500. Parisiis, in-fol. Joan. *Petit.* Hujus editionis membraneum exemplar, cum exquisitæ artis ornamentis, 960 libris argenti gallicis venditum est in auctione librorum *Mac-Carthy.*

Digitized by Google

1505. *Veneta* V, fol. Eadem recusa.

1506. *Juntina* I, *Florentiæ* ap. Phil. de Giunta, in-8. — occ. in J. J. Lucii Catal. Bibl. Francofurt. ad M. libri philosop. p. 174 (a), et in Bibl. Schwarz. P. I. Altorfii.

1510. *Venet.* ap. Phil. Pincium, fol. cum comment. Gell. Bern. *Marmitæ.*

Tertia Veneta, ut appellat Delrio; quæ admodum vitiosa, suis erroribus ansam præbuit sequentibus multa commutandi, sed in deterius.

1511. Parisiis, in-fol. Prælo subjecit Joan. Mercator, edidit Ægidius Maseriensis. Hujus editionis, cujus unum exemplar inveni in Bibliotheca vulgo dicta de *Monsieur*, nulla mentio hactenus habita est, nisi quod Badenius in specimine quod Kilonii edidit (1798) profitetur se editionem Parisiensem 1511 habuisse in manibus; sed nihil addit, quo nosci possit, an ea alia sit atque Ægidii editio.

1511. *Paris.* fol. Jacobi *a Cruce* Bononiensis annotata in Ovidium, Virgilium, Persium, Lucanum, Papinii Silvas, *Senecæ* tragœdias, Horatium, Martialem, Silium Italicum, etc.

1513. *Juntina* II, *Florentiæ*, in-8, ap. Phil. *Juntam*, ex rec. *Benedicti Florentini.*

ÆTAS II *ERASMICO-AVANTIO-FABRICIANA*
1514—1576.

Erasmus quidem ipse haud curavit tragœdiarum editionem, uti L. A. Senecæ lucubrationes (de quibus vide Indicem edd. Senecæ philos.), sed et suam tragœdiarum recognitionem transmisit Badio, et ipsos Codd. quibus usus erat, Aldi permisit arbitrio. Itaque is primus dicendus videtur parens et *Ascensianæ* I 1514, et *Aldinæ* 1517, cujus utriusque recensionem Hier. *Avantius* suam fecit. Præstant inde Henricopetrina s. Basil. 1529 adjuncta lectionis varie-

Digitized by Google

tate, et Gryphiana I, cui præfuit Lud. *Carrio*. Verum omnes mox superati 1566 a Georgio *Fabricio*, Chemnicensi, de humanitatis literis optime merito, cujus cura ætati venturæ viam præmunivit.

1514. *Ascensiana* I, *Paris*. fol. ex rec. Hieron. *Avantii* Veronensis et *Philologi*, cum Des. *Erasmi* (1), Gerardi Vercellani, Ægidii Maserii, Bern. Marmitæ, Dan. Cajetani, et Jod. *Badii* Ascensii notis et commentariis.

Videtur expressa, ait Delrio, ex Pinciana; sed præstat.

1517. *Aldina*, in-8. L. Ann. Senecæ tragœdiæ veterum exemplarium collatione recognitæ et emendatæ ab Hieron. *Avantio*, cum ejusdem dimensionibus tragœdiarum Senecæ. Venetiis, in ædib. Aldi et Andreæ Soceri, mense octobri CIƆIƆXVII. Vid. Cat. Bibl. Bunav. t. I, vol. I, p. 338, et Hamberg. l. c. p. 104. Avantius in præfatione testatur, sed ad tria millia errata atque inversa loca veterum exemplarium collatione auxilioque restituisse. Atque hæc exemplaria Aldo transmisisse se ipse dicit Erasmus, cujus verba vide ad ed. 1514.

1519. *Paris*. fol. ap. Jod. Bad. Ascensium. L. Ann. Senecæ tragœdiæ emendatæ per Des. *Erasmum*, Gerard. *Vercellanum*, et Ægid. *Maserium*, explanatæ per G. *Censium*. Vid. *Cat. de la Bibl. du R. Bell. lett.* t. I, p. 313, et Hamberger. l. c. p. 104.

(1) Erasmus ipse in Catal. Lucubrationum ed. Antverp. 1537, in-8 (p. 28), inquit: *In tragœdiis Senecæ non pauca feliciter mihi visus sum restituisse, at non sine præsidio veterum codicum. Exemplaria reliquimus Aldo, permittentes illius arbitrio, quid de his statuere vellet; nisi quod Senecæ tragœdias post in Anglia denuo recognitas Badio transmisimus, qui visus est nostra cum alienis miscuisse.* Laudamus hæc ex Th. Crenii Animadv. philol. et hist. P. V. Lugd. B. 1699, p. 3.

Digitized by Google

1522. *Venet.* fol. ap. Bernardum *de Vianis* cum comment. G. Bern. *Marmitæ* et Dan. *Cajetani.*

Hæc editio cum Aldina fere consonat.

1529. *Basileæ*, in-8, ap. *Henricum Petri.* In cujus margine leguntur quædam lectiones variæ.

1536. *Lugd.* ap. *Gryph.* curante Lud. *Carrione.* Sub h. a. citatur Thysio, et Gronovio in Nomenclatura doctorum Virr. quorum opera Senecæ tragœdiæ plurimum sunt illustratæ. Apud Fabricium præfert annum 1538.

1541. *Basil.* in-8. Memoratur in J. J. Lucii Catal. Bibl. Francof. libri philosoph. p. 174 (a).

Ea videtur ab editione 1529 non differre. Duo exemplaria habui, quorum alterum, præter notatas in margine lectiones, alias manu scriptas præferebat. Basileensem Henrico Petrinam 1529 primam longissime a veteribus libb. recessisse ex conjectura, ut suspicabatur, judicabat Delrio.

1541. Lugdun. in-12. Seb. Gryph. Hæc editio, sine præfatione et notis, videtur ad similitudinem edit. 1536 excusa. In omnibus quos vidi *Indicibus* nulla ejus mentio facta est.

1548. Lugdun. in-16. Seb. Gryph. Nullam mentionem ejus editionis inveni.

1554. *Lugd. Gryph.* in-16.

1566. *Lipsiæ*, ap. Ernest. Vœgelin. cum Georg. *Fabricii* variis Lectt. et epistola de tragœdiarum usu, ac de generibus carminum apud Senecam; et periochis tragœdiarum L. A. Sen. nomine *Luctatii* Gramm. e MS Cod. descriptis a Ge. Fabricio.

Usus est Fabricius Regiomontani libro : «Nostrum quidem Tragicum, inquit Fabricius, ita probavit Johannes Regiomontanus, Mathem. excellens, ut sua eum manu diligenter et venuste descripserit, quem librum apud Georgium Agricolam, præclarum philosophum, a me visum, adole-

Digitized by Google

scens contuli, et ex eodem locos plurimos deformatos jam in aliquam restitui dignitatem. »

1568. *Amsterodami*, in-16, sumptibus Societatis. L. Ann. Senecæ et aliorum tragœdiæ, serio emendatæ, editio prioribus longe correctior. — Solum textum habet sine notis, eumque, contra quam titulus profitetur, plurimis mendis deturpatum. Est penes nos.

ÆTAS III *DELRIO-COMMELINO-SCRIVERIANA*

1576—1661.

Martinus Ant. *Delrio* 1576 et feliciter textum passim restituit, et poetam bene illustravit; unde Plantiniana ejus I habetur princeps, auctior tamen prodiit novo ejus Commentario 1594. Curatores deinde contigere tragœdiis *Lipsius* et *Raphelengius* 1588, Q. Sept. *Florens* Christianus 1589, Hier. *Commelinus*, qui textum denuo cum octo-novem MSS Pal. collatum cum Lipsii notis edidit 1589, dein 1600 cum Jani *Gruteri;* et hos sequuti Jos. *Scaliger* et Dan. *Heinsius*, quorum curæ junctim prodiere 1611, Is. *Pontanus*. Omnium istorum curas, excepto Delrio, collectas edidit, textumque denuo contulit cum vett. Codd. et sic emendatum, ut dein basis haberetur, Petrus *Scriverius* 1621, cujus etiam curæ secundæ, teste Farnabio, sperabantur; sed ipsum cæcitas oppressit. *Farnabius* vero notis haud contemnendis juventuti studiosæ consuluit. Tandem Ant. *Thysius* Scriverianum textum a se recognitum notasque priorum, etiam Delrii, selectas et excerptas dedit 1651.

1576. *Antverpiæ*, in-4, ex offic. Christoph. *Plantini*, Architypographi Regii. *In L. Ann. Senecæ Cordubensis poetæ gravissimi tragœdias decem, scilicet* Herculem furentem, Herculem OEtæum, Medeam, Hippolytum, OEdipum, Thebaidem, Thyestem, Troadas, Agamemnonem,

Digitized by Google

Octaviam, *amplissima Adversaria, quæ loco commentarii esse possunt. Ex bibliotheca Martini Antonii* Delrio J. C. Hunc titulum excipit in aversa pagina Summa privilegii Philippi II, Hisp. regis. Tum præmittuntur: 1° Ad ampliss. virum, clarissimumque J. C. Lud. Delrio, Regium consiliarium, libellorumque supplicum magistrum, etc. Hieron. Delrio præfatio, data Salmanticæ a. d. III Kal. Febr. anno sal. 1574. 2° Diversorum ad Antonium carmina. 3° Mart. Ant. Delrio ad lectorem præfatio, data Lovanii a. d. IV Id. Sext. 1571. 4° Præludia quædam de tragœdia, tragicis et Seneca tragœdiographo. Hæc sequitur textus Senecæ, cum Adversariis Delrionis, in margine textus et infra positis. In quorum fine legitur: « Hic est finis Adversariorum in omnes Senecæ tragœdias. Laus sit Domino nostro Jesu Christo, cujus ope, auxilio, anno salutis nostræ CIƆIƆLXXI, ætatis vero meæ XIX, desinente, ea exegi, postea tamen paucis quibusdam additis eadem recognovi; utrumque subsecivis tantum horis; adeo ut exactiorem diligentiam in iis requiri iniquum sit: qualiacumque sint sacræ Romanæ Ecclesiæ et doctorum hominum censuræ illa subjicio; ab illorum sententia ad alios judices nunquam provocaturus. Martinus Antonius Delrio ». Volumen claudit Nomenclatura auctorum, quorum scripta in his Adversariis aut illustrantur, aut emendantur, aut citantur; cum subscriptione: *Antverpiæ excudebat Christophorus Plantinus Architypographus Regius, anno MDLXXVI.* Doctissima sunt Delrionis Adversaria, in quibus temporum injuria vel librariorum incuria mendosos poetæ locos bene multos satis feliciter restituit; non pauciores etiam aliorum temeritate et inscitia depravatos pristinæ lectioni asseruit: quæcumque difficultatis aliquid habebant, sic exposuit, ut a quovis facile intelligantur. Præstantiori hac ed. et nos usi sumus.

Monet ipse Delrio usum Christ. Plantinum editione Fabricii: « Hanc,

Digitized by Google

inquit, ad litteram expressit Antuerpiæ, anno CIO. IO. LXXVI. cum meis Adversariis. Nec est quod quis mihi quidquam illius tribuat. Nam quæ in Adversariis monueram, non sunt in contextum relata. » Textum suum dedit Delrio, anno tantum 1593-1594.

1584. *Lugd.* in-12, apud Ant. Gryphium. L. Ann. Senecæ Cordub. tragœdiæ. Majore quam antehac cura et diligentia recognitæ, et emendatiores redditæ.

1588. *Lugd. Bat.* cum Justi *Lipsii* animadversionibus ex veteri libro bonæ notæ, ac celebri illa censura de tragœdiarum scriptore ad Raphelengium, et Franc. *Raphelengii* notis.

Declarat Lipsius Raphelengio in præfatione, se emendasse Senecæ tragœdias partim ex ingenio et subita inventione, partim ex MS. quem illi dederat Paul. Melissus. Nullus criticorum, excepto forsan Gronovio, plura in Nostro restituit et felicius. — Raphelengius qui ex notis Lipsii textum edidit, emendationes ab illo propositas plerumque recepit. Nonnulla quoque ipse mutavit ex optimo MS. quem illi commodaverat Abrah. Ortelius, ex alio MS. superioris sæculi, et ex editt. non ita veteribus.

1589. *Lugd. Bat.* in-12, tragœdiæ X, quæ L. Ann. Senecæ tribuuntur, cum n. Franc. Raphelengii et J. Lipsii. Ex Cat. Zech.

—— *Paris.* apud Fed. Morellum, cum Q. Sept. Florentis *Christiani* scholiis. Vid. Gronov. l. c.

—— *Commeliniana* I, *Heidelberg.* in-8, apud Hieron. Commelin. cum animadverss. Justi *Lipsii.* —Commelinus Senecam cum octo-novem MSS contulit, et varr. lect. libellum conscripsit. Vid. Gronov. l. c.

In notis Commelini, sæpe citantur tum Bibliothecæ Palatinæ MSS. tum codex Coloniensis.

1593-1594. *Delrii* II, *Antverp.* in-4. Syntagma tragœdiæ latinæ. Partes III. Antverpiæ apud Plantini viduam et Jo. Morellum, 2 voll. Continentur : P. I, Delrii prolegg. de

Digitized by Google

tragœdia et versibus tragicis, maxime Senecæ, hujusque vita et fragmenta vett. tragicorum; P. II, L. A. Senecæ tragœdiæ novem et incerti Octavia; P. III, Delrii in has Commentarius.

Usus est Delrio ad recognoscendas tragœdias et novum textum edendum optimo MS. suo, et alio codice Winckelianii collegii, Lovanii, et tertio Burdegalensi, quem ab Elia Vineto illi concessit utendum *Martialis Campanus* medicus, et quarto quem illi commodavit *Simon Milangius* typographus, acceptum a Cl. V. *Joanne Chauvino*, Præside Egviano, et quinto, prorsus recente, collegii societatis Jesu Moguntiaci, et multis inter excusos electis libris, præcipue Herbipolensi editione vetere, Venetis 1492 et 1493. Nemo alius pluribus subsidiis et majori doctrinæ supellectile instructus ad recognoscendas Nostri tragœdias accessit: nemo tam multa, et eadem plerumque docta et utilia congessit.

1599. *Lugd.* in-12, ap. Stœr. Vid. Catal. Bibl. Strothianæ, Gothæ 1785, n. 535.

1600. *Heidelberg.* apud *Commelin.* II, cum accuratissimis Jani *Gruteri* notis.

MSS. Bibliothecæ Palatinæ adhibuit, et Scholiastem manuscriptum qui sub nomine Joh. Botticellæ latuit.

1601. *Raphelengiana*, in-12. Repetitio ed. 1589.

1603. *Genevæ*, in-4, apud Sam. Crispinum in Corp. poet. lat. ed. I, vol. I, L. II.

1604. *Commeliniana* III, in-6. *Heidelberg.* ex emend. Jani *Gruteri*.

1607. *Paris.* in-4. Repetitio ed. 1594.

—— *Amstel.* in-16 min.

1611. *Lugd. Bat.* in-8. L. A. Sen. et aliorum tragg. serio emendatæ cum Jos. *Scaligeri* nunc primum ex autographo editis, et Dan. *Heinsii* animadversionibus et notis.—Heinsii etiam diss. de tragœdiarum auctoribus adjuncta est.

Digitized by Google

—— *Genevæ*, in-4, in Corp. poet. latt. ed. II, vol. I, L. II.

1616. *Amstel.* in-24, ex rec. *Heinsii.*

—— *Lugduni*, in-4, in Alex. *Ficheti* Choro poett. lustrato et illustrato.

1619. *Lut. Paris.* in-4, L. Ann. Senecæ tragœdiæ IX et incerti poetæ Octavia, a Mart. Ant. *Delrio* castigatæ, et in eas ejusdem Adversaria, recognita et aucta. Accedit ejusdem Commentarius novus in easdem. In Delrii syntagmate tragg. lat. vid. Hamberger. l. c. p. 104.

—— Ibid. in-12.

—— *Amsterod.* Jansson. in-24, cum notis Jo. Isaaci *Pontani.*

Pontanus MSS. usus est Cantabrigiensi, et Thomæ Basini, archiepiscopi Cæsariensis.

1621. *Lugd. Bat.* in-8, 2 voll. apud Jo. Maire. L. Ann. Seneca Tragicus: ex recensione Petr. *Scriverii:* accedunt animadversiones, sive notæ Justi Lipsii, Franc. Raphelengii, Q. Sept. Florentis Christiani et aliorum; (Hieron. Commelini, Jos. Scaligeri, Jani Gruteri, Dan. Heinsii, Is. Pontani, addita Georg. Fabricii, Avantiique diss. de carminum apud Senecam generibus) item P. *Scriverii* Collectanea veterum Tragicorum L. Livii Andronici, Q. Ennii, Cn. Nævii, M. Pacuvii, L. Attii aliorumque fragmenta et circa ipsa notæ breves; acc. castigationes et notæ uberiores Ger. Jo. *Vossii* in fragmenta. Vid. *Cat. de la Bibl. du Roi, Bell. Lett.* t. I, p. 314. Hamberg. l. c. et Cat. Bibl. Hasæanæ, Bremæ 1732, p. 595 sq. Textum hæc editio exhibet serio castigatum et ad veterum Codicum fidem a Scriverio emendatum, et præter notas integras etiam præfationes auctorum.

Digitized by Google

1623. *Farnabii* I, *Lugd.* in-12, cum notis Thomæ *Farnabii* (haud contemnendis).

1624. Londini, in-8. Editio quæ penes me est, et quæ nullo in Indice memoratur. In præfatione ad lectorem monet Farnabius se textui Scriverii adhæsisse, ut in superiore editione Heinsium secutus erat.

1624. *Amstel.* in-12.

1625. *Francof.* in-8, cum notis Thom. *Farnabii.*

1627. *Genevæ*, in-4, in Corp. vett. poet. lat. ed. III, vol. I, L. II.

1628. *Amsterodami*, in-16, apud Jo. Jansson. L. Ann. Senecæ et aliorum tragœdiæ, serio emendatæ. Editio prioribus longe correctior.

1630. *Monachii.* Matth. *Raderi* ad Medeam commentarii. Citantur Gronovio l. c.

1632. *Amstel.* in-12, cum not. Th. *Farnabii.*

1633. Eadem, ibid. in-12.

1634. *Londini*, in-8, ex rec. et cum not. Th. *Farnabii.*

1643. *Amstel.* in-12, cum not. *Farnabii.*

1646. *Amstel.* in-12, Sen. tragg. et aliorum fragmenta serio emendata.

1651. *Lugd. Bat.* in-8, cum exquisitis variorum observationibus et nova recensione Ant. *Thysii.* Lugduni Batavorum ex offi. Franc. Moyardi a. 1651. — Lugd. Bat. typis Phil. de Croy. Basis est Scriveriana. Præmisit autem Thysius 1° testimonia de poeta. 2° Hier. Avantium et Ge. Fabricium de generibus carminum apud L. A. Sen. Trag. 3° Periochas tragœdiarum nomine *Luctatii* Gramm. e MS descriptas a Ge. Fabr. 4° Nomenclatorem doct. virorum, quorum opera

Digitized by Google

hæ tragg. plurimum sunt illustratæ (et quorum notas dedit selectas cum suis).

ÆTAS IV *GRONOVIANA*

1661-1754.

Ex quo Jo. Frid. *Gronovius* Codicis Medicei ope tragœdias denuo recensitas cum not. varr. suisque edidit 1661 sq. eamque curam repetiit Jac. Gronovius 1682, nemo eum superare ausus est; ipse novissimus editor, Jo. Casp. *Schrœderus*, quamvis ex duobus Codd. et duabus edd. vett. varietatem lectionis denuo annotaverit, haud tamen in textu a lectione Gronoviana discedere consultum sibi duxit.

1661. *Lugd. Batav.* apud Johannem: L. Annæi Senecæ tragœdiæ passim restitutæ cum Jo. Frid. Gronovii et variorum notis, ad Carolum Ludovicum Principem Palatinum Octovirum creandis Cæsaribus. Sic est in vita Jo. Frid. Gronovii Germ. edita Hamburgi 1723 in Cat. scriptt. ipsius manu scripto, n. XI, p. 101 sq.

Sic Gronovius de Florentino suo: « Dum Florentiæ Magni Ducis bibliothecam perlustrarem, advertit oculos meos volumen tragœdiarum Senecæ in membranis spectatissimæ manus ac fidei, ut statim intuenti primum mihi videbatur et postea certis argumentis cognovi. Præter ipsam literarum formam, loca quædam, quorum in labem manifestam et desperatam aut incassum tentatam omnes alii chirographi conjurarant, mirifice ac supra spem restituta reperiebam..... Illa quoque non levis videbatur commendatio Florentini codicis, quod adfirmaret, quicquid utiliter ad vulgatos emendandos ex antiquitus scriptis alii produxerant, præ cæteris Lipsius e lectiori suorum. Duos enim ille adhibuit, quorum alterum a Paulo Melisso, alterum ab Abr. Ortelio acceperat. Prior omnes, qui antehac consulti sunt, longe post terga relinquebat: sed quod in plerisque nullus ei accederet secundus auctor, tanquam novandi nimius, sæpe rejectus est, et obtrectatores invenit. Quum enim plurimæ passim manu exaratæ exstent hæ tragœdiæ, pars magna exigui pretii, multitudo sequiorum uni, licet eximio, obstitit, et numerum vincere jusserunt. Quorum libenter excusamus quamvis supervacuam

Digitized by Google

religionem et modestiam; judicium si secuti essemus, parum Senecæ consuluissemus..... An unus Pandectes Florentinus suffecit, ut omnibus aliis umbram faceret, ac potior haberetur, Senecæ non erit tantum gratiæ, ut eum unico ab exemplari centies puriorem, doctiorem, apertiorem, quam e multis infuscatum, sordidum, obscurum malimus? Erit certe: nec me pœnitet horarum, quas impendi comparato, quo hucusque usi sumus, et quanta potui diligentia varietatibus enotatis, ut ingentem nactus, ita rebar, thesaurum, in commune, quodcumque erat lucri, conferrem. Suscepit eumdem laborem Nicolaus Heinsius, insignis omni claritate literarum, et MSS. libris tractandis peritissimus: ex cujus excerptis mea supplere, et si quid fugisset observationem meam, recuperare in magno et illius beneficio et meo negotio habui.» Vide passim in nostris Animadvv. quem Florentini codicis usum Nic. Heinsius fecerit, et qua novandi aliquid receptasque lectiones temere mutandi prurigine æstuaverit.

1662. *Amstel.* in-8, apud Jód. Pluymer. L. Ann. Senecæ tragœdiæ. Jo. Frid. *Gronovius* recensuit. Accesserunt ejusdem et variorum notæ. — Gronovius usus est optimæ notæ MS Florentino, e quo permultis locis textus est correctus, interdum tamen etiam per conjecturam.

1664. *Amstel.* in-24, Senecæ et aliorum tragœdiæ.

1668. *Amstel.* in-24 min.

1678. *Amstel.* in-12, ex offic. *Janssonio Wæsbergiana*, cum not. *Farnabii.*

—— *Amstel.* in-16, apud Dan. *Elzevirium*, cum notis *Farnabii.*

1682. *Amstel.* in-8 maj. ex offic. Henrici et viduæ Theo. Gori Boom. L. Ann. Senecæ tragœdiæ cum notis Jo. Frid. *Gronovii*, auctis ex chirographo ejus, et variis aliorum.— Editio accurata curis *Jacobi Gronovii*, Friderici filii.

1688. *Venetiis*, in-12, cum notis Th. *Farnabii.*

1702. *Norimbergæ*, in-18, cum not. *Farnabii.*

Digitized by Google

1713. *Amstel.* in-12, apud Jansson. Wæsberg. L. Annæi Senecæ tragœdiæ ad editionem Gronovii emendatæ, cum notis Th. *Farnabii.* Accedunt Hieron. Avantius, et Georg. Fabricius de generibus carminum apud L. Ann. Senecam Tragicum. Vid. Hamberger. l. c.

—— *Londini*, fol. in Corp. poet. lat. Maittariano, vol. II, p. 805-883.

1728. *Delphis,* in-4 maj. apud Adr. Beman. L. Ann. Senecæ tragœdiæ, cum notis integris Jo. Frid. Gronovii, et selectis Justi Lipsii, M. Ant. Delrii, Jani Gruteri, H. Commelini, Jos. Scaligeri, Danielis et Nicolai Heinsiorum, Thom. Farnabii aliorumque; itemque observationibus nonnullis Hug. Grotii. Omnia recensuit; notas, animadversiones, atque indicem novum locupletissimumque adjecit; ipsum vero auctoris syntagma cum MS Codice contulit Jo. Casp. *Schrœderus.* — Schrœderus, scholæ Delphensis Rector, quamvis duobus MSS et edd. Venet. 1493 et Paris. 1514 usus, in textu Gronoviano, quem sequitur, nihil novavit, sed satis habuit, lectionis varietatem in notis significare. Durius de ejus studio judicium vid. in Act. Erud. a. 1728, p. 448, cujus auctor Gottl. *Korte;* adversus quem eodem anno Delphis prodierunt Schrœderi *notarum et animadversionum ad Senecæ tragœdias vindiciæ a distortionibus et calumniis alicujus ex editoribus Actorum eruditorum Lipsiensium.* Vide sis etiam Diarium Amstelodamense, *Bibliothèque raisonnée*, tom. VII, p. 141 sq. ubi de lite, quæ Schrœdero intercessit cum Car. Andr. Dukero, quem ille præter rem pro auctore habuerat sinistræ censuræ, quæ de illius Seneca erat vulgata in Diario Belgico Trajectino, et repetita in Novis literariis Lipsiensibus. Inde ansa data Dukero scribendæ acerbæ apologiæ et in Schrœderum invectivæ in præfatione ad Thucydidem a se editum.

Usus est Schrœderus chartaceo codice manu exarato, ex Bibliotheca Trajectina, recentioris quidem ætatis, sed qui videri posset conformatus

Digitized by Google

ad exemplar non infimæ notæ. Cum illo communicavit et alius manu scripti codicis Trajectinæ itidem Bibliothecæ varias lectiones Joannes Arnzenius. Quibus subsidiis addidit Schrœderus duas veteres editiones, alteram Venetiis excusam (1492), alteram Parisiis (1514). Gronoviani textus non quidquam mutavit; sed quum in notis ausus sit veteres quasdam lectiones adventitiis Etrusci libri præferre, non potuit multorum iram effugere, in primis Cortii et Duckeri. Quæcumque ab illis jactata fuerint, habet multa Schrœderi editio, quæ non sine utilitate legas.

1731. *Londin.* Obss. in Senecæ tragœdias in *Miscellaneous Observations on Autors Ancients and Moderns*, P. II, obs. 5.

1754. *Vratislav.* in-12. L. A. Senecæ et aliorum tragœdiæ.

S. a. *Patavii*, in-12 maj. c. n. Th. *Farnabii.*

1785. *Biponti*, ex typographia Societatis, in-8. Textum editionis 1682, curis Jacobi Gronovii confectæ, secuta est Societas, collatum cum editione Schrœderi (1728), et veteribus quibusdam.

1796. *Norimb.* ap. Riegel. L. An. Senecæ tragœdiæ ex recens. Societatis Bipontinæ aliorumque.

1798. *Kilonii*, sumptibus C. E. Bohn, in-8. Specimen novæ recensionis tragœdiarum L. Annæi Senecæ, auctore Torkillo Baden.—Declarat ipse cum decem et septem codicibus manu scriptis se textum Gronovianum composuisse; quorum tres quidem suppeditavit Bibliotheca B. M. *in Minerva*, duos *Angelica*, octo *Vaticana*, et quidem tres illa pars, quæ reginæ *Christinæ* dicitur, duos *Ottoboni*, totidem *Vaticana vetus* dicta, unum *Urbinensis*, omnes Romanos. Porro tribus *Regiis* Neapoli atque uno *Cæsareo* Viennæ usus est..... Præterea in *Hercule furente* illi non leviter profuit lectionis varietas, quam ex insigni codice *Varsoviensi* transcriptam a viro celeberrimo *Groddek*, vulgavit (in Bibliotheca literaturæ artisque veteris Part. 10), tanto socero dignissimus gener, *Heerennius*. Neque editiones vetustas in Bibliotheca Regia Hasniensi negligendas existimavit, quarum copiam illi fecit vir summe venerabilis *Moldenhawerus*, cujus et interventu principem tragœdiarum editionem Ferrariensem 1481 impetravit, Lugdunensem item 1491, tres Venetas annorum 1492, 1498 et 1522, Parisiensem 1511 atque Ascensianam 1514. — Non quidquam retinuit Badenius hujus speciminis, in editione quam postea dedit, an. 1821.

1819. *Lipsiæ*, in-8. L. Annæi Senecæ tragœdias recognovit Frid. Henr. Bothe; penitus excussis membranis Florentinis, adhibitisque codice MS. Ultrajectino, editione prima Car. Fernandi, et aliis spectatæ fidei libris, item Joannis Friderici et Jacobi Gronoviorum notis ineditis.

Digitized by Google

1819. *Hafniæ*, in-8. L. Annæi Senecæ tragœdias recensuit Torkillus Baden. — Præter septemdecim illos ab ipso Vindebonæ, Romæ atque Neapoli consultos libros manuscriptos (vide supr. specimen editum Kilonii), adjuverunt excerpta variantium lectionum ex codice Pulaviensi.

1821. *Lipsiæ*, in-8. Reimpressio editionis præcedentis.

VERSIONES GALLICÆ.

Tragœdiæ Senecæ in sermonem gallicum translatæ, Parisiis 1534, in-12. (Reperitur in Bibliotheca Paris. vulgo dicta *de Monsieur*, sub n° 3029, B. L.)

Gallica Agamemnonis metaphrasis, auctore Carolo *Toustain*, Paris, 1556. (Ind. Bipont.)

Agamemnon, tragœdia Senecæ, in gall. versus transl. auctore *François Le Duchat*, 1561, in-4°. (Reperitur in Biblioth. *de Monsieur*.)

Hercules furens, Thyestes, Agamemnon et Octavia, in vers. gall. translat. auctore *Roland Brisset*. Tours, 1589 et 1590, in-4.

Tragœdiæ Senecæ in vers. gall. translat. auctore *Benoît Baudouin*, 1629. (Rep. in Bibl. *de Monsieur*.)

Excerpta e Senecæ tragg. in vers. gall. translat. auctore *Claude Nicole*, 1656, in-12. (Reper. in Biblioth. *Royale*.)

Tragœdiæ Senecæ in serm. gall. translatæ, auctore *Linage*, 1658. (Rep. in Bibl. *de Monsieur*.)

—— Eædem translat. auct. *Marolles*, 1659.

Senecæ Troas in vers. gall. transl. 1674, in-12. (Reper. in Bibl. *de Monsieur*.)

Digitized by Google

Tragœdiæ omnes Senecæ in serm. gall. translat. auctore *Coupé*. Paris, 1795, 2 vol. in-8.

Hippolytus in serm. gall. transl. auctore *Stanislas Boufflers*. Paris, an XI.

Tragœdiæ omnes translat. a *J. B. Levée*, in opere quod inscribitur *Théâtre des Latins*. Paris, 3 vol. in-8, 1822.

VERSIONES GERMANICÆ.

Universas tragœdias vertit *Conr. Fuchsinne*. Francof. 1620, in-8. (Ind. Bip.)

Troadas german. vers. reddidit Mart. Opitzius, 1646. Vid. ejusd. opp. poet. Amst. t. I. (Ind. Bip.)

Singulas scenas Herculis furentis et Thyestis elegantissime transtulit Gotth. Ephr. *Lessing*, insertas ejusdem dissertationi lectu dignissimæ de Tragicis latinis, 1754. Vid. *Lessings Theatralische Bibliothek*, part. II, Berlin, 1754. (Ind. Bip.)

Tragœdias vertit *Rose* in *tragische Bühne der Römer*. Onoldi, 1777-1781, III part. in-8. (Harl. not. lit. rom.)

Agamemnona germanice vertit *Alxinger* in collectione suorum poematum, part. I. Klagenfurth et Laybach, 1788, in-8. (Harl. not. lit. rom.)

Thyestes ein Trauerspiel des L. Ann. Seneca, übers. nebst einer Einleitung über das Wesen der Röm. Tragœdie, und Krit. Anmerk. von Franz Horn. Penig. apud Dienemann, 1802, in-8, cum textu lat.

Digitized by Google

Versio, quæ in plerisque locis valde languet, pedestri oratione confecta est, quoniam Seneca, ex interpretis sententia, poetis jure non possit annumerari. In annotationibus criticis manifesta quædam poetæ vitia et errores notantur. In Introductione majorem partem Senecæ ingenium et mores adumbrantur. Eodem modo edidit:

Die Trojanerinnen, ein Trauerspiel des L. Ann. Seneca, übersetzt von *Franz Horn*. Ib. apud eumd. 1803, in-8. (Harl. not. lit. rom.)

Tragôdien der Rômer, metr. ubersetzt. Breslau ap. Barth. 1809, in-8, tom. I, continens Herculem furentem, Thyesten et Agamemnona. (Harl. not. lit. rom.)

Seneca's Trocrinnen. Metrisch. übersetzt mit Anmerkungen von *G. Müller*. Rost. 1819, in-8.

VERSIONES ITALICÆ.

Le Tragedie di Seneca, tradotte da *Lod. Dolce*. Venezia, 1560, in-8. (Ind. Bipont.)

Le Tragedie di Seneca trasportate in verso sciolto da Rettore *Nani*. Venezia, 1622, in-8. (Biblioth. *Mazarine*.)

VERSIONES ANGLICÆ.

Agamemnonem anglica metaphrasi donavit Jo. *Sandley*, 1566, in-8, et *Blackmorius*, parte II Poemat. miscell. Lond. 1718. (Ind. Bipont.)

—Medeam Eduardus Scherbune, Lond. 1648, in-8, atque inde quoque reliquas. (Ind. Bipont.)

Digitized by Google

VERSIONES HISPANICÆ.

Troadas hispanice expressit, Ios. Ant. *Gonzalez de Salas*, addita nova idea Tragœdiæ et Exercitatione scholastica de theatro, Madriti, 1633, in-4. (Ind. Bipont.)

Digitized by Google

DE

L. ANNÆO SENECA

TESTIMONIA AUCTORUM AC JUDICIA.

Cornelius Tacitus Annal. XIV.

Objiciebant etiam (L. Ann. Senecæ) eloquentiæ laudem uni sibi adsciscere, et carmina* crebrius factitare, postquam Neroni amor eorum venisset.

Ad hæc J. Lipsius in Commentario.

*Tragœdiasne, quæ ejus nomine feruntur? Non opinor, et alibi videro.

Juvenalis Satyra VIII.

Quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?

Ipse Seneca Consolat. ad Helviam matrem, cap. ult.

Qualem me *(in exsilio)* cogites, accipe : lætum et alacrem, veluti optimis rebus. Sunt autem optimæ, quum animus omnis cogitationis expers, vacat operibus suis, et modo se* levioribus studiis oblectat, modo ad considerandam suam universique naturam, veri avidus insurgit.

Lipsius in Commentario.

*Poesi et Philologia. Dixerit igitur aliquis, hic eum poetatum, et fortasse Medeam scripsisse.

Digitized by Google

IDEM IN VITA SENECÆ, CAP. 5.

Vixit in exsilio annos circiter octo : et fortiter, immo, ut ipse ait, feliciter vixit, optimis studiis meditationibusque intentus. Ita enim ad matrem (cap. 4) : *Inter eas res beatum se esse, quæ solent miseros facere :* et pulcherrime deinde (vide, sodes) philosophatur. Addit in extremo (cap. ult.) et assurgit : *Qualem me cogites, accipe*, etc. O hominem, o verba honesta ! quæ imitari Octaviæ tragœdiæ auctor (non enim ipse : apage) voluit, his versibus, in persona Senecæ :

Melius latebam, procul ab invidiæ malis
Remotus, inter Corsici rupes maris;
Ubi liber animus, et sui juris, mihi
Semper vacabat, studia recolenti mea.
O quam juvabat (quo nihil majus parens
Natura genuit, operis immensi artifex),
Cælum intueri, Solis et currus sacros !

Sed notes in ipsius Senecæ verbis supra, *Levioribus etiam ibi studiis se oblectasse ;* quæ poetica censeo : et exstat in iis Medea : quam in exsilio scriptam, quo tempore Claudius Britanniam subegit, mihi pæne certum : atque adeo argumentum illud elegit de Jasone, ut aliquid inspergeret scilicet de Oceano subacto. Sane versus illi in Choro, quo, nisi ad Claudium, spectant ?

Parcite, o divi ! veniam precamur,
Vivat ut tutus, mare qui subegit.

Iterumque :

Jam satis, divi, mare vindicastis ;
Parcite divo.

Quod item ad Claudium, etsi vivum : et deos deo vult parcere, poetica adulatione.

Digitized by Google

IDEM IN EADEM VITA, CAP. 10.

Perierunt versus ejus et poemata, quos certum est ubertim scripsisse. Ipse in exsilio fecisse ostendit; et Tacitus, jam etiam seniorem, et in aula.

M. FAB. QUINTILIANUS LIB. VIII, CAP. 3.

Nostri autem in jungendo aut derivando paulum aliquid ausi, vix in hoc satis recipiuntur. Nam memini juvenis admodum, inter Pomponium et Senecam etiam Præfationibus esse tractatum, an *gradus eliminat* apud Attium in tragœdia dici oportuisset. At veteres ne *expectorat* quidem timuerunt.

IDEM LIB. IX, CAP. 2.

Interrogamus, aut invidiæ gratia : ut Medea apud Senecam :

quas peti terras jubes?

TERENTIANUS MAURUS IN CENTIMETRO, UBI DE BUCOLICO AGIT.

In Tragicis junxere Choris hunc sæpe diserti;
Annæus Seneca, et Pomponius ante Secundus.
Tale dedit nobis Pomponius:
Pendeat ex humeris dulcis chelys, etc.

IDEM DE TERTIA TOME HENDECASYLLABI.

His est omnibus in suis
Libris usus Horatius.
Quo dicam, et quotiens, modo:
Nam primum minime suo
Solum carmine protulit,
Ut vates alii solent.
Exemplum Senecæ dabo:
Thebis læta dies adest;

Digitized by Google

Aram tangite supplices;
Pinguels cædite victimas.
Tales continuos legis, etc.

M. VAL. PROBUS GRAMMAT. INSTITUT. LIB. I.

Nominativus singularis qui *en* syllaba terminatur, græci nominis est: et masculino sive feminino genere, semper longa est. Masculino, ut *Hymen;* ut Seneca in Hecuba:

Quicumque Hymen funestus, illætabilis.

[Exstat Troadibus, initio Actus IV.]

IDEM, LIB. EOD.

Illic, vel *illuc*, et *huc* adverbia, postremas longas recipiunt: ut, *Huc illuc acies circumtulit;* et, *Huc ades;* et Seneca in Hecuba, hendecasyllabo Sapphico versu,

Ilium est illic, ubi fumus alte.

[In fine ejusdem Act. IV.]

IBIDEM.

Œdipodis et *Œdipæ*. Seneca: *Œdipodis domus* (V. 216, ubi *Œdipodis datur* vulgo, et sic in Probo legendum).

PRISCIANUS LIB. VI.

Alia vero omnia in *is* desinunt, ut *hic* et *hæc sacerdos; hic* et *hæc compos*, *compotis*. Livius in XXV: *Profecto satis compotem menti inesse*. O tamen in hoc solo corripitur. Seneca in Phædra:

Hippolyte, me nunc compotem voti facis.

In * eadem: *compote voto:* et est Adonium metrum. [Hippolyto, v. 707.* Lege, *eodem:* nam non est ex Phædra sive Hippolyto, sed ex Agamemnone, Choro II, v. 360.]

Digitized by Google

LACTANTIUS STATII PAPINII SCHOLIASTES, AD THEBAIDEM, LIB. IV.

Seneca in Thyeste,

Nescitis cupidi arcium,
Regnum quo jaceat loco, etc.

C. SOLLIUS SIDONIUS APOLLINARIS, CARM. IX, AD MAGNUM FELICEM.

Non hic Hesiodea pinguis Ascræ
Spectes carmina, Pindarique chordas, etc.
Non quod Mantua contumax Homero
Adjecit Latialibus loquelis, etc.
Non quod Papinius tuus meusque
Inter Labdacios sonat furores, etc.
Non quod Corduba præpotens alumnis
Facundum ciet, hic putes legendum:
Quorum unus colit hispidum Platona,
Incassumque suum monet Neronem:
Orchestram quatit alter Euripidis,
Pictum fæcibus Æschylum secutus,
Aut plaustris solitum sonare Thespin:
Qui post pulpita trita sub cothurno
Ducebant olidæ marem capellæ.
Pugnam tertius ille Gallicani
Dixit Cæsaris, ut gener socerque
Cognata impulerint in arma Romam, etc.

IDEM CARM. XXIII.

Quid celsos (1) Senecas loquar, vel illum
Quem dat Bilbilis alta Martialem,
Terrarum indigenas Ibericarum?

(1) MS *cæsos*.

Digitized by Google

Paullus Longobardus, Diaconus, Historiæ Miscellæ lib. VIII.

Hujus *(Neronis)* temporibus poetæ pollebant Romæ Lucanus, Juvenalis, et Persius, Senecaque Tragicus; Musonius atque Plutarchus *(Hui! et ille etiam Neronis ævo? somnium)*, Philosophi.

Gellius Bernardinus Marmita, in Commentario ad Tragicum.

Volunt plerique (1) hunc auctorem Ann. Senecam, quem Moralem ferunt, impii Neronis in disciplinis alumnum, de Corduba Hispaniæ; Lucanique poetæ patruum fuisse. Alii negant, aliumque volunt fuisse Senecam, cultioris mundiorisque styli, tragœdiarum auctorem. Idque argumentis consentaneis probare videntur; duosque fuisse Senecas, teste Martiale:

Duosque Senecas, unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

Alterum Philosophum, in sermone durum et sententiis gravem: alterum Tragicum, puræ et elegantis facundiæ: eumque verisimiliter harum tragœdiarum auctorem exstitisse: in quibus lactea eloquii ubertas, verborum proprietas, et sententiarum gravitas ex mediis philosophiæ fontibus deprompta videtur, etc. In hoc autem volumine est tragœdia, qua mors Octaviæ uxoris Neronis tractatur; quam vivente Nerone non credibile est actam fuisse, sed post illius mortem. Ea a primo Seneca scribi non potuit, quum antea mortuum fuisse constet. At hi, qui excusant, non omnes tragœdias ejusdem auctoris fuisse dicunt: quod varietas styli diligenter intuentibus indicat: et sic eam alterius fuisse; alias vero Senecæ, quem Moralem appellitamus.

(1) Petrarcha, Crinitus, Daniel Cajetanus, alii.

Digitized by Google

Desiderius Erasmus Prolegomenis ad Senecam Philosophum.

Ingenio facili versatilique fuisse colligitur hinc, quod in diversis argumentis stylum exercuit pari propemodum successu: quod nec Ciceroni, nec Virgilio contigit. Nam Tacitus commemorat illius poemata, de quibus sentiens, incertum. Nam tragœdiarum opus eruditi (1) quidam malunt Senecæ filio tribuere, quam huic. Sunt qui fratri Senecæ adscribant. Quamquam mihi videtur opus hoc tragœdiarum non esse unius hominis. Certe ex ludicro libello De morte Claudii, conjicere licet, illum haudquaquam iratis Musis et Apolline versatum in hoc studii genere, etc.

Idem in Ciceroniano.

Age, num tibi Seneca videtur Ciceronianus? Nihil minus, præsertim in oratione soluta. Nam tragœdiæ, quæ probantur a doctis, vix videntur a Seneca scribi potuisse.

Lilius Gregorius Giraldus de Poetis Dial. VIII.

Sequebatur Annæus Seneca Tragicus, prioris Senecæ, qui vulgo cognominatus est Moralis, frater, vel (ut alii malunt) filius. Duos enim eadem ætate Senecas fuisse, ex Valerio, Martiale et Sidonio Apollinari notius est, quam ut in re tam manifesta temporis hodierni angustia abutar. Taxatus quidem prior Seneca a Fabio Quintiliano, modesta quadam Hispani hominis censura, ne scilicet id fortassis odio potius, quam veritatis candore fecisse videretur: quam rem

(1) Joanni Boccatio videbatur non Philosophus, sed vel illius frater, secundum quosdam, vel, juxta alios, filius; vel ex fratre nepos. Qui scribunt poetam hunc (verba sunt Criniti de Poetis Lat. cap. 54) filium fuisse Annæi Senecæ, qui in Stoicorum disciplinis magnopere claruit, conjecturis tantum nituntur: neque hanc rem, ut ego existimo, ullis auctoribus asserunt.

Digitized by Google

mecum sæpe reputans, ea ratione fecisse crediderim, ut Senecæ parem gratiam referret, qui Quintilianum Declamatorem, cujus adhuc nonnullæ existant Declamationes, acrius antea fuerat insectatus. Secutus est Fabium Gellius, ut videtur in Noctibus Atticis, sed petulantius. Verum hac de re non est in præsentia dicendi locus. Seneca igitur uterque patriam habuit Cordubam Hispaniæ, hodie quoque nobilem, ex Annæa insigni familia, ex qua aliquot eadem ferme ætate viri et doctrina et moribus clari prodierunt: tres scilicet in primis fratres, Annæus Seneca, Annæus Gallio, Annæus Mela. Hinc versus ille Martialis:

Et docti Senecæ ter numeranda domus.

Et ex his Seneca hic Tragicus, Mela Pomponius, Lucanus, alii. Quo autem mortis genere Tragicus hic poeta interierit, parum compertum: nam de seniore, notissima est historia apud Cornelium Tacitum, quam numquam me sine lacrymis legisse memini. Quot etiam tragœdias docuerit, haudquaquam proditum: Quidam enim has tantum, quæ in manibus habentur, existimant; alii plures. Nonnulli nec has, quæ leguntur, unius esse hominis arbitrantur, sed diversorum, ob quamdam, quam ipsi sentiunt, styli differentiam. Certe in prima tragœdia *(Herc. fur.)* versus aliquot reperiuntur, qui et apud seniorem leguntur,

Duc me parens summique dominator poli, etc.

Sunt vero hæ octo, quæ in manibus a plerisque nunc habentur, mira sententiarum et rerum ubertate refertæ: quæ res tantam eis fortasse auctoritatem superioribus annis apud patres nostros compararunt: á plerisque enim hoc tempore, qui naris emunctioris esse existimantur, in ordinem quodammodo rediguntur. Fabius quidem nec illas sua censura dignas putasse visus est: tametsi alicubi tantum Medeam nominat: quidam ea causa id factum rentur, quod hic Seneca viveret

Digitized by Google

adhuc : alii, quod necdum ejus in Senecas odium resederat. Utcumque, me puero multo in pretio habebantur, et quo quis plures ex iis versus memoriæ mandasset, eo magis a doctoribus commendabatur. Sed et Senecam Philosophum (quod tamen illi cognomen cum Fabio nonnulli rati sunt parum convenire) poemata scripsisse, apud auctores didicimus. Plinius quidem junior inter gravissimos ac sanctissimos viros, qui carmina scripserunt, eum enumerat [Epist. III, lib. V]. Leguntur insuper in Epistolis Philosophi versus, quos is ex Cleanthe in latinum se vertisse ait, ex quibus, si conferatis, facile cognoscere possitis, Tragicum Senecam a Philosopho pleraque bona fide sumpsisse. Cornelius præterea Tacitus objectum ait Senecæ, quod carmina factitaret in Imperatoris invidiam. Circumfertur etiamnum de Ludo libellus Senecæ nomine, in quo pleraque sunt carmina, non illa quidem a Musis aliena. Quem libellum fuit quum ego falso adscriptum Senecæ putarim, quod eo duriora quædam minusque modesta videbam; sed quum ab eruditis quibusdam pro legitimo non haberi modo, sed et interpretatum circumferri videam, sententiam meam amplio, tantisper dum maturius deliberem, etc.

Aurelii Augustini circumfertur SENECÆ VITA, ex variis, ut videtur, auctoribus excerpta, quæ ab aliquibus Xichoni Poletono *(aliis Polentinus)* adscribitur.

[Exstat ejusdem Senecæ vita MS, auctore Jannotio Mannoto Florentino, in Bibliotheca V. C. Pauli Petavii.]

JULIUS CÆSAR SCALIGER POETICES LIB. VI, CAP. 6.

Ascendendum est ad tertiam ætatem, quæ post Augustum ad externos usque Imperatores demissa (Nervam dico et alios) certum suumque genus poeseos comprehendit. Quum enim a superioribus, unoque Virgilio exhausta essent argumenta omnia, ipsæ dicendi leges, omnes excussæ ve-

Digitized by Google

neres; coacti sunt nove eadem dicere, ne idem dicere viderentur: quare necesse fuit, ut illa gratia simul periret cum ipsa simplicitate; quum tamen essent grandes et pleni; id quod prætulissent ei, quam pauci consecuti sunt, suavitati.

DEINDE POST SULPITIAM POETRIAM, PERSIUM, JUVENALEMQUE AC MARTIALEM, SUBJUNGIT:

Quatuor supersunt maximi poetæ (Seneca, Valerius Flaccus, Statius, Lucanus: Silium his annumerare, sane religio est), quorum Seneca seorsum suas tuetur partes, quem nullo Græcorum majestate inferiorem existimo; cultu vero ac nitore etiam Euripide majorem. Inventiones sane illorum sunt; at majestas carminis, sonus, spiritus ipsius. In quibus Sophoclis se esse voluit similiorem, frustra fuit, etc.

[Vide ejusdem lib. cap. 14, sub fin.]

M. ANTONIUS MURETUS VAR. LECT. LIB. XI, CAP. 4.

Et est profecto *(Seneca)* poeta ille præclarior, et vetusti sermonis diligentior, quam quidam inepte fastidiosi suspicantur.

Digitized by Google

Digitized by Google

HERCULES

FURENS.

Digitized by Google

DRAMATIS PERSONÆ.

JUNO.
HERCULES.
LYCUS.
MEGARA.
AMPHITRYON.
THESEUS.
CHORUS THEBANORUM.

ARGUMENTUM.

Hercules Megaram in matrimonium duxerat, filiam Creontis, qui regnum apud Thebanos obtinebat. Dum vero ille inferos, Eurysthei jussu, penetraret, Euboeus quidam, nomine Lycus, regnum occupat per seditionem, regemque et filios ejus occidit. Tum Megaram ad nuptias sollicitat, et vim parat abnuenti. At Hercules, opportuno reditu, factionem Lyci proturbat, ipsumque interficit. Hæc tam feliciter gesta Juno non ferens, immittit illi furorem, quo correptus uxorem suam cum liberis trucidat. Quod ubi saniore mente intellexit, doloris impatiens, vix Amphitryonis et Thesei precibus detinetur, ne sibi mortem inferat, et Athenas cum Theseo purgandus proficiscitur. (Vid. quæ de Creonte et Lyco notavimus, v. 256 et 270).

Digitized by Google

L. ANNÆI SENECÆ

HERCULES FURENS.

ACTUS PRIMUS.

JUNO SOLA.

SOROR Tonantis (hoc enim solum mihi
Nomen relictum est), semper alienum Jovem
Ac templa summi vidua deserui ætheris,

1. *Hoc enim solum.* Sic in Virg. Æn. IV, 323 : « Cui me moribundam deseris, hospes? Hoc solum nomen quoniam de conjuge restat. » Et Tacit. Annal. XIV, 64 : *Paucis dehinc interjectis diebus, mori jubetur* (Octavia), *cum jam viduam se et tantum sororem testaretur.*

2. *Alienum.* Infenso et inimico in uxorem animo. Cic. pro Dejotaro, 9 : *Alieno autem a te animo fuit.* Tacit. Hist. II, 74 : *Muciani animus, nec Vespasiano alienus, et in Titum pronior.* Intelligi quoque sic *alienum* possit, quasi Jupiter, uxoris omnino oblitus, nullo amoris et hymenæi vinculo obligatus videatur; unde se *viduam* sequenti versu Juno profitetur. Cic. pro Milone, 28 : *In longinquos, in propinquos; in alienos, in suos irruebat.* Id. I, ep. 9 : *Tantum enitor, ut neque amicis neque etiam alienioribus.... desim.*

3. *Templa.* Docet Varro, de ling. lat. l. VI, templum esse, qua tuemur. Festus autem : *Contemplari dictum est a templo, id est, loco qui ab omni parte aspici, vel ex quo omnis pars videri potest, quem antiqui templum nominabant.* Unde in Nostro *templa summi ætheris*, et passim in poetis *templa cæli.* Terent. Eun. act. III, scen. 6, v. 42 : « .....qui templa cæli summa sonitu concutit. » In terris, undecunque aciem in aperta cæli spatia circumferre lice-

Digitized by Google

Locumque, cælo pulsa, pellicibus dedi.
Tellus colenda est; pellices cælum tenent. 5
Hinc Arctos alta parte glacialis poli
Sublime classes sidus Argolicas agit:
Hinc, qua tepenti vere laxatur dies,
Tyriæ per undas vector Europæ nitet:

ret, *templum* nuncupabant: sed hoc certis præsertim locis nomen assignabant, quæ augur, ad capienda ex avium volatu auguria, notaverat, et lituo definiverat, et proprio consecraverat carmine; quoniam hæc eligebantur loca, unde liber in omnes cæli partes esset prospectus. Livius, I, 7: *Palatinum Romulus, Aventinum Remus, ad inaugurandum templa capiunt.* Mox idem vocabulum, de dicatis ad augurationem locis, ad omnia consecrata loca translatum est, ædes deorum (ut vulgo in latinis scriptoribus), rostra (Liv. VIII, 14. Cicero in Vatinium, 10), loca in quibus Senatus habebatur (Cic. pro dom. 51. Liv. I, 30; XXVI, 31 et 33). A similitudine, de inferis (Varro l. VI), et de mari (Plaut. Mil. act. II, scen. 5, v. 3. Rud. act. IV, scen. 2, v. 4), ut antea de cælo, templum dictum est. Apud Lucret. *templum mentis*, pro interiore animo, (V, 104,) et *linguæ sudantia templa*, (IV, 628), pro humida linguæ sede, reperias.

4. *Pulsa*. Non vi aut jussu cujusquam migrare coacta, sed ipsa rerum indignitate.

6. *Arctos*. Calisto, Lycaonis filia, quia Jupiter cum illa consueverat, a Junone in ἄρκτον, id est, ursam mutata est: dein Jupiter illam una cum filio Arcade in cælum retulit. Duplex est Arctos, utraque septentrionali polo innixa. Altera, quæ Calisto fuisse fertur, dicitur et Ursa major, Plaustrum vel Currus major, Helice; altera, Ursa minor, Currus minor, Cynosura. Arcti duæ circa polum vertuntur semper nobis conspicuum, et ideo nunquam occidere videntur: quæres poetis dedit locum fabulandi, Junonem, quum vidisset pellices suas in cælum fuisse translatas, impetrasse ab uxore Oceani, nutrice sua, ne unquam in aquis ejus tingerentur. Virgilius, Georg. lib. I, 246: « Arctos Oceani metuentes æquore tingi. »

7. *Classes... Argolicas agit*. Nempe hoc inprimis sidus navigantes Græci observabant.

8. *Laxatur dies*. Qua solvitur et mollitur aer, qui antea strictus et rigidus erat. Stat. Silv. IV, 4, v. 12: « Jam terrras volucremque polum fuga veris aquosi Laxat... » *Dies* pro aere, a Διὸς. Jupiter ipse nonnunquam pro aere accipitur, ut in Horat. I, od. 1: « Manet sub Jove frigido Venator. » Interdum et *sub dio* eodem sensu dicitur. Vid. Horat. lib. II, od. 3.

9. *Vector Europæ*. Taurus, cæleste signum inter Arietem et Geminos; quem poetæ fabulantur taurum illum fuisse, sub cujus specie Jupiter Europam rapuit, et ex Phœnicia in Cretam transvexit. Vid. Mosch. II, 79 et sqq.

Digitized by Google

Illinc timendum ratibus ac ponto gregem
Passim vagantes exserunt Atlantides.
Fera coma hinc exterret Orion deos;
Suasque Perseus aureas stellas habet:
Hinc clara gemini signa Tyndaridæ micant;

11. *Atlantides*. Filiæ Atlantis, quarum alias adamavit Jupiter, aliæ educandum Bacchum curaverunt. Omnes a Jove in cælum relatæ sunt, timendæ stellæ navigantibus, ob futuram, quam denuntiant, tempestatem. — *Passim vagantes*. Scilicet Atlas duas uxores habuit, Pleionem et Æthram, filias Oceani et Tethyos: ex Pleione septem filias genuit, quæ, in cælum evocatæ, ante genua Tauri positæ sunt, et Pleiades atque Vergiliæ dictæ; ex Æthra, filium Hyanthem et septem filias, quæ inter sidera in Tauri capite collocatæ sunt, partim in ore, partim juxta cornua, et Hyades appellatæ. Hinc *passim vagantes* Atlantides dicuntur.

12. *Fera coma*. Minaci radiorum fulgore. Ensem enim Orion habere videtur, stellarum splendore terribilem. — *Orion*. Quasi Urion, ab οὖρον, urina. Scilicet natus erat Orion e Jovis, Neptuni et Mercurii urina, quæ taurina pelle recepta et inclusa, post novem menses, vivum infantis corpus exhibuit. *Urion* nominatus est; sed « Perdidit antiquum litera prima sonum, » ut ait Ovid. Fast. V, 536. Post mortem, in cælum relatus est, et situs in ipso circulo æquinoctiali, propè Taurum quocum pugnare fingitur. Eum inter pellices aut pellicibus natos Seneca nominat, haud imprudenter, ut notavit Delrio, quum Juno pro zelotypia sua doleat decessisse sibi quidquid corio taurino obtigit. — *Deos*. Sidera, sicut in Senec. de benef., IV, 23: *Innumerabiles... longiusque a conspectu nostro seducti dii eunt redeuntque.*

13. *Perseus aureas*. Sidus Persei aureum dicitur, vel quia fulgore suo quamdam auri similitudinem refert, vel forsan quod in imbrem aureum conversus Jupiter Perseum a Danae susceperit. Vid. Ovid. Metam. IV, 610.

14. *Gemini... Tyndaridæ*. Castor et Pollux, Jovis, ex Leda Tyndari uxore, filii: in cælum translati sunt, lucidum sidus, quod *Gemini* appellatur. Hunc locum reprehendere nonnulli, nec sine jure, quod Tyndaridæ tunc temporis nondum mortui essent, neque adhuc in cælum translati. Placuit Delrioni Senecam suum defendere, « multa apud poetas talia inveniri; ut apud Sophoclem, in Electra, quum nunciatur Clytæmnestræ Orestem in Pythiis obiisse, quamvis Pythia annis post Orestem pæne sexcentis, Triptolemi temporibus, cœperint; ut apud Virgilium, qui Æn. VI, 366, scribit. ..*portusque require Velinos*, quum illo tempore Velium non foret. » Sed quis ferat errorem excusari per errores alios, qui et excusatione egeant? Quod autem addit Delrio, nihil mirum esse, si Juno futura tanquam præsentia commemoret, quippe quæ dea sit, vix serio dici posse videtur, nec ultra jocum et ironiam valet.

Digitized by Google

Quibusque natis mobilis tellus stetit. 15
Nec ipse tantum Bacchus, aut Bacchi parens,
Adiere superos : ne qua pars probro vacet,
Mundus puellæ serta Gnossiacæ gerit.
Sed vetera querimur : una me dira ac fera
Thebana nuribus sparsa tellus impiis 20
Quoties novercam fecit? escendat licet,
Meumque victrix teneat Alcmene locum,

15. *Quibusque natis.* Apollo scilicet et Diana. Nam, quum a Junone pellex Latona per orbem ageretur, nec telluris quidquam parituræ vacaret, narrant Delum insulam a Neptuno mobilem factam fuisse, exceptaque Latona, per varios errores fluctuasse, nec ante constitisse quam Apollo et Diana in lucem uno partu prodiissent.

16. *Bacchi parens.* Tradit et Plutarch. de dilata maleficiorum pœna, 47, Bacchum, postquam ipse Deorum societatem assecutus erat, matrem quoque suam Semelen in cælum evocavisse. Et iterum in Græc. quæst. 12, facta Bacchici cujusdam sacri mentione, addit sacrum illud in memoriam et honorem translatæ ad deos Semeles celebratum.

18. *Mundus.* Id est, cælum, ut in Œdip. 45. Hercul. Œt. 1343, et alibi non raro. Mundus vulgo accipitur pro universitate rerum; sed plerique scriptores hoc vocabulo nonnunquam cælestem hunc fornicem significaverunt, qui varios stellarum astrorumque orbes complectitur. Sic Senec. quæst. natur. VII, 2 : *Illo quoque pertinebit hoc excussisse, ut sciamus utrum mundus, terra stante, circumeat, an, mundo stante, terra vertatur.* Catull. de nuptiis Pelei et Thetidos, 205 : «.....Et tellus atque horrida contremuerunt Æquora, concussitque micantia sidera mundus.» Item Virgilius Georg. lib. I, 240. Cæsar bell. Gall. VI, 14. Statius, Theb. III, 498. Plinius, II, 3. Manil. I, 3, et alibi sæpe. — *Puellæ... Gnossiacæ.* Ariadne, conjux Bacchi, filiaque Minois, regis Cretæ, in qua Gnossus, urbs regia. — *Serta.* Coronam Ariadnes, quam Venus ei fuerat largita, novem gemmis ornatam. Hanc astris intulit Bacchus, gemmasque in novem stellas transformavit.

20. *Nuribus.* Nurus est, priore sensu, uxor filii, aut nepotis, aut pronepotis. Sed apud poetas significat quascunque nuptas, quascunque etiam feminas. Ovid. Metam. III, 365 : «De ramis electra novis, quæ lucidus amnis Excipit, et nuribus mittit gestanda Latinis.» Stat. Theb. V, 200 : «...Vigilant nuptæque nurusque In scelus.» Quod scriptoribus latin. usitatissimum est.

21. *Quoties novercam fecit?* «Quot mihi ex una illa Thebarum civitate pellices ortæ sunt, quæ me fecunditate sua novercam fecere!» Antiopa, Semele, Alcmena, Thebanæ omnes, filios ex Jove conceperant,

Digitized by Google

Pariterque natus astra promissa occupet;
In cujus ortu mundus impendit diem,
Tardusque Eoo Phœbus effulsit mari, 25
Retinere mersum jussus Oceano jubar;
Non sic abibunt odia. Vivaces aget
Violentus iras animus, et sævus dolor
Æterna bella pace sublata geret.
Quæ bella? quidquid horridum tellus creat 30
Inimica; quidquid pontus aut aer tulit
Terribile, dirum, pestilens, atrox, ferum,
Fractum atque domitum est: superat, et crescit malis,
Iraque nostra fruitur; in laudes suas

quos Juno novercali odio exercuit.

23. *Astra promissa.* Divinitatem promissam a Jove, ut inf. v. 958: «In alta mundi spatia sublimis ferar: Petatur æther; astra promittit pater.»

24. *Mundus impendit diem.* Mundus, id est, cælum (ut sup. v. 18) generationi Herculis unum diem contribuit; unius diei, dum procrearetur Hercules, damnum fecit; duæ enim noctes, ait Delrio, continuatæ sunt, nullo die intermedio. Propert. II, 18, v. 26: « Jupiter Alcmenæ geminas requieverat Arctos, Et cælum noctu bis sine rege fuit. »

27. *Non sic.* Non excidet animo ira inveterata in pellices meas et prolem adulterinam. Terent. And. act. I, scen. 3, v. 1: « Mirabar hoc si sic abiret. » Ad quem locum Donat. « Sic pro leviter et negligenter, quod Græci οὕτως dicunt. »

28. *Sævus dolor.* Virg. Æn. I, 25: » Necdum etiam causæ irarum sævique dolores Exciderant animo. »

30. *Quæ bella?* Sic intellige: « An ullum est novum belli genus, quod Herculi indicere queam? Tentata exhaustaque omnia, neque in tribus regnis quidquam superest invictum Herculi, qui omnes laborum varietates monstrorumque formas superavit. »

33. *Superat.* Non solum superest, superstes vivit, ut in Virg. *superatne et vescitur aura?* sed vincit, evadit victor. Vulgo *superare*, ut eam vim habeat, active et cum accusativo usurpatur. Tacit. Agricol. 33: .....*superasse tantum itineris.* Nonnunquam tamen et absolute adhibetur neutrorum more. Plin. VII, ep. I: *Si tamen superaverit morbus, denuntio ne quid mihi detis.*

34. *Iraque nostra fruitur. Frui* plerumque idem est ac gaudere, delectari, potiri, et ad grata aut utilia refertur: frui solemus fortunis, libertate, luce, beneficiis, honoribus, studiis, otio: dixerunt poetæ nos et aliquando frui timore paventum (Sil. XII, 566), aut aliorum periculis (Lucret. II, 1); sed major et eadem felicissima est audacia dicentis *frui ira aliena*, ut

Digitized by Google

Mea vertit odia : dum nimis sæva impero, 35
Patrem probavi; gloriæ feci locum :
Qua sol reducens, quaque reponens diem,
Binos propinqua tingit Æthiopas face,
Indomita virtus colitur, et toto deus
Narratur orbe. Monstra jam desunt mihi, 40

ultio significetur illi profutura cui opprimendo incumbit. Sic Juven. I, 49, de proconsule quodam peculatore : « Exsul ab octava Marius bibit, et fruitur dis Iratis. » Utrumque imitati sunt, nunc ipsi aliorum imitationi merito propositi, duo de nostris vates summi, *Boileau* et *Voltaire*, quorum alter, sat. I, 72 :

« Mais envain pour un temps une taxe l'exile ;
On le verra bientôt, pompeux en cette ville,
Marcher encor chargé des dépouilles d'autrui,
Et jouir du ciel même irrité contre lui. »

et alter, *Mérope*, act. 3, v. 13 :

« Il règne ; il affermit le trône qu'il profane ;
Il y jouit en paix du ciel qui le condamne. »

37. *Reponens diem.* Condens aliquantisper et occultans. Quintilian. X, 4 : *Optimum est emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponantur.* Tacit. Agric. c. 39 : *Optimum in præsentia statuit, reponere odium.* Hoc est discrimen inter *reponere* et *deponère*, quod *reponat* qui resumpturus est, *deponat* contra non resumpturus. Quintil. declam. III, 9 : *Quid faciet? deponet arma, an reponet?* Quamquam in Virg. Æn. lib. V, 484 : « Cæstus artemque repono. »

38. *Binos.* Sunt enim Æthiopes vel Africani, vel Asiatici, ut notavit Schrœder, ad meridialem utrique plagam vergentes ; hi in ortum, illi in occasum porrecti. De illis ita Virg. Æn. IV, 481 : « Oceani finem juxta solemque cadentem Ultimus Æthiopum locus est. » Hos vero Pausanias ad Seres, Herodotus apud Indos, alii alibi collocarunt. — *Tingit.* Plin. VI, 19 : *Tinguntur sole populi.*

39. *Toto deus*, etc. Locum hunc, haud excusatione egentem, tuetur Badenius ; et posse Herculem, vel ante obitum, deum nominari, variis exemplis scriptorumque auctoritatibus comprobandum suscipit, id illum singulari virtute assecutum referens, ut jam a cunabulis cælo assereretur ; præterea, si quis supra cæteros excelleret, hunc veteres *deum* appellare solitos ; sic Homerum, Iliad. XXIV, 258, de Hectore : « Ὃς θεὸς ἔσκε μετ' ἀνδράσιν. » Quæ quidem omnia supervacanea et præpostera opinor. Non enim intelligendum est, hunc deum, scilicet Herculem, per orbem totum celebrari, sed Herculem narrari deum, vita nondum confecta. Irascitur Juno quod, ante tempus debitum, in modum numinis colatur in terris : non prædicat, si fato stat immotum hunc olim diis interventurum promissaque sidera, ut ipsa supra dixit, occupaturum esse, se inviolandæ legi obstituram ; hoc tantummodo indignatur, quod ante diem et inter vivendum Hercules diis annumeretur, et, quæ suscitaverit ipsa pericula et labores, id tantum effecerint, ut ille famæ perennitatem et quamdam dei reve-

Digitized by Google

Minorque labor est Herculi jussa exsequi,
Quam mihi jubere : lætus imperia excipit.
Quæ fera tyranni jussa violento queant
Nocere juveni? nempe pro telis gerit
Quæ timuit, et quæ fudit : armatus venit 45
Leone et hydra. Nec satis terræ patent :
Effregit ecce limen inferni Jovis,
Et opima victi regis ad superos refert.
Parum est reverti; fœdus umbrarum perit.

rentiam sibi jam nunc conciliaverit.

43. *Tyranni.* Aut Eurysthei, ut placuit Farnabio, aut cujuslibet tyranni, quantumcunque sævi et infesti. — *Violento*, id est, qui omnia per vim agit. Violentia non nisi aggredienti exprobrari solet : furentis erat feminæ violentiam resistentis et pro salute sua pugnantis incusare.

46. *Leone et hydra.* Quidquid Herculi exitio fore Juno speraverat, non ille superavit tantum, sed in præsidium sui advocat, corpus suum villosa Nemeæi leonis pelle protegens, sagittasque imbuens tabe Lernæa.

47. *Inferni Jovis.* Plutonis. Hoc usitatum poetis, nomen fraternum ad Plutonem transferre : sic Noster, Herc. Œt. 1705 : « Nec mœsta nigri regna conterrent Jovis. » Virgilius Æneid. IV, 638 : « Sacra Jovi Stygio. » Hom. Iliad. IX, 457 : « Ζεύς τε καταχθόνιος καὶ ἐπαινὴ Περσεφόνεια. » Proserpina quoque infernæ, stygiæ, avernæ et profundæ Junonis nomine nuncupatur. Vid. Virg. Æn. VI, 138. Stat. Silv. II, 1, v. 147. Ovid. Metamorph. XXIV, 114. Claud. de rapt. Pros. I, 2. In Claud. de consul. Mall. Theod. 282, *Jupiter æquoreus* pro *Neptuno*. Scilicet autumabant Stoici, teste Servio, Jovem, Neptunum et Plutonem non tres deos esse, sed tres ejusdem dei quasi titulos; ita ut munerum diversitatem, non pluralitatem deorum, regna illa tria designarent, deusque idem et unicus haberetur, Jupiter, si ad cælestia attenderet, Neptunus, si ad æquorea, Pluton, si ad inferna, vocatus. Trojani tres oculos Jovi affinxerunt, quippe qui in cælo, in terris, in mari imperare credebatur.

48. *Opima.* Dicebatur opima spolia retulisse, si quis Romanorum dux sua duci hostium arma detraxisset, quæ Feretrio Jovi consecrarentur. Hercules quidem sua Plutoni quasi arma detraxit, abducendo Cerberum, qui inferorum regi proprium ac fatale præsidium erat, ut Jovi fulmen, tridensque Neptuno. At Seneca ad Græcos vocabulum transtulit, quod morem, non modo non Græcis adoptatum, sed ne Italis quidem Herculis temporibus notum, exprimeret, quum primus omnium Romulus opima retulisse feratur. Scribendum fuit *spolia*, quod omnium ætatum gentiumque rem significat, neque est recentioris notæ, aut romani sanguinis.

49. *Fœdus umbrarum.* Non jam sua manibus jura manent certa interne-

Digitized by Google

Vidi ipsa, vidi, nocte discussa inferum,
Et Dite domito, spolia jactantem patri
Fraterna. Cur non vinctum et oppressum trahit
Ipsum catenis paria sortitum Jovi?
Ereboque capto potitur, et retegit Styga?

rataque, et violatum est illud, quod dii sanxerant, ne quis inferos vivus penetraret: hoc enim proprium et insigne fuit inferis, ut a superis æterno objice dividerentur; quam quidem legem perruperat Hercules, discussa illa caligantium locorum formidine, spretisque umbrarum religionibus. *Fœdus* pro lege et certo rerum ordine, ut in Virg. Georg. lib. I, 60: « Continuo has leges æternaque fœdera certis Imposuit natura locis. » Colum. X, 220, *secretaque fœdera cœli*. Eodem etiam sensu *fœdere certo* dixit Virgil. Æn. lib. I, 66.

53. *Paria sortitum Jovi*. Græca locutio: non ellipsis tantum et unius vocis subauditæ, ut solet, omissio, sed duarum vocum in unam quasi mistura et concretio. Usitatum quidem est et omnibus scriptoribus antiquis consuetissimum, si qua instituatur in oratione rerum collatio, vocabulum, binis collationis partibus commune, in alterutra tollere, quod facile subaudiatur, ipsa sensus necessitate revocatum. Sic Homer. Il. XXI, 191: « Κρείσσων δ' αὖτε Διὸς γενεὴ ποταμοῖο τέτυκται. » Herodot. II, 134: « Πυραμίδα καὶ οὗτος ἀπελίπετο, πολλὸν ἐλάσσω τοῦ πατρὸς. » Hæc per ellipsim. Aliud est autem et proprium et singulare, si vocabulum in altera collationis parte ita omittatur, ut vestigium sui relinquat, et sequentis vocabuli *casum* corrumpat et in finem exitumque suum trahat. Sic Herodot. IV, 132: « Μῦς ἐν γῇ γίνεται, καρπὸν τὸν αὐτὸν ἀνθρώπῳ σιτεόμενος », pro καρπὸν ὅμοιον τῷ τοῦ ἀνθρώπου καρπῷ. Sic Senec. *paria sortitus Jovi*, pro *sortitus imperium par Jovis imperio*. Horat. de art. poet. 465: « Invitum qui servat, idem facit occidenti », pro *facinus simile facinori occidentis*. Lucret. III, 1051: « Homerus.... eadem aliis sopitu' quiete est » pro *quiete simili quieti aliorum*. Hæc omnia exempla male ad ellipsim referantur, quum utraque vox adsit, altera re et significatione, altera *casu* et desinenti sono.

54. *Et retegit Styga?* Hic audiendus Schrœderus: « Locus, inquit, vindice dignus. Nam quo pacto *retegit*, quod repræsentant codices tam manuscripti, inter quos meus Traject., quam excusi, locum hic habere possit, id vero inquirendum. Gronovius qui ex ingenio substituit *regnat*, mihi frustra esse videtur; neque enim, si vulgatam retineas, absurda adeo et contraria elicietur sententia. *Cur non et retegit Styga?* hoc est, cur non et in perpetuum aperit totam Styga, ut nullus eam posthac tenebrarum squalor obsideat, postquam semel ausus est adire ad inferos, discussa ad tempus nocte umbrarum? At, inquies cum acutissimo viro: Quonam modo indignabunda Juno audaciam Herculis perstringere hic videri poterit, interrogando, *cur non*

Digitized by Google

Patefacta ab imis manibus retro via est, 55
Et sacra diræ mortis in aperto jacent.
At ille, rupto carcere umbrarum, ferox
De me triumphat, et superbifica manu
Atrum per urbes ducit Argolicas canem.
Viso labantem Cerbero vidi diem; 60
Pavidumque solem : me quoque invasit tremor,
Et terna monstri colla devicti intuens,
Timui imperasse. Levia sed nimium queror :
Cælo timendum est, regna ne summa occupet,
Qui vicit ima. Sceptra præripiet patri : 65
Nec in astra lenta veniet, ut Bacchus, via;
Iter ruina quæret, et vacuo volet
Regnare mundo. Robore experto tumet,
Et posse cælum viribus vinci suis
Didicit ferendo : subdidit mundo caput, 70
Nec flexit humeros molis immensæ labor,

retegit Styga? quasi is non *retexerit* illam, qui modo *effregisse limen inferni Jovis, discussisse noctem inferum*, et mox *patefecisse ab imis manibus retro viam* dicatur? At longe aliud aperta fuisse Herculi inferna loca ad tempus duntaxat, dum potiretur præda; aliud, si eadem cæteris quoque, et omni tempore, et in totum patere dicerentur. Prius Herculi obtigerat, qui *viam patefecerat ab imis manibus ad superos*, et *sacra diræ mortis*, id est, verenda mortis diræ loca, ut bene vetus interpres ad hunc locum, pervia sibi reddiderat. Posterius futurum erat, si stygius iste locus omni mortalium generi foret ἐμφανὴς et illustris, ac pro tetro et opaco horrore spirabilem naturam indueret; ut in aula isthac, a se expugnata, jactare se Hercules posset, ejecto Plutone.»

55. *Patefacta...retro via est.* Ab imis manibus in terras viam fecit Hercules et aperuit, nec jam ad superas auras ab inferis regredi non licet.

56. *Sacra.* Interiora et quasi sacrarium adytumque inferni templi.

62. *Terna.* Ovid. Metam. X, 22 : « Terna Medusæi vincirem guttura monstri. »

66. *Lenta...Bacchus, via.* Quippe qui per licitos gradus, nec ante obitum, e terris in cælum transcenderit.

67. *Vacuo...mundo. Mundo* pro *cælo*, ut sup. v. 18, et passim. *Vacuo*, id est, expulsis cæteris deis. Nonnulli *mundo*, non pro cælo, sed pro universitate rerum hic dici existimaverunt; male, si ad sequentia attenderis, *posse cælum viribus vinci suis*, etc.

Digitized by Google

Mediusque collo sedit Herculeo polus;
Immota cervix sidera et cælum tulit,
Et me prementem. Quærit ad superos viam:
Perge ira, perge, et magna meditantem opprime; 75
Congredere; manibus ipsa jam lacera tuis.
Quid tanta mandas odia? discedant feræ:
Ipse imperando fessus Eurystheus vacet.
Titanas ausos rumpere imperium Jovis
Emitte: Siculi verticis laxa specum. 80
Tellus gigante Doris excusso tremens
Supposita monstri colla terrifici levet.

74. *Prementem;* id est, me pondere meo cæli pondus aggravantem. Ov. Her. IX, 11: « Plus tibi, quam Juno, nocuit Venus: illa premendo Sustulit; hæc humili sub pede colla tenet. » Sed in Nasone *premendo* potius per metaph.; in Sen. *prementem* proprie et sine translatione dicitur.

77. *Quid tanta mandas.* Sensus est: Quid tu tam potens deorum regina tanta odia aliis mandas exsequenda? cur non ipsa te ulcisceris et manibus tuis sævis? Sic Senec. de ira, III, 3: *Nec mandat ultionem suam, sed ipse ejus exactor animo simul ac manu sævit.* Stat. Theb. XI, 331: « Usque adeo geminas duxisse cohortes Et facinus mandasse parum est! » Sic et ipse Florus, IV, 12: *In hos igitur, quia vehementius agere nuntiabantur, non mandata expeditio, sed sumpta est.*

78. *Imperando fessus.* Ovid. Metamorphos. IX, 198: « Defessa jubendo est Sæva Jovis conjux; ego sum indefessus agendo. »

79. *Rumpere imperium.* Aut invadere, perrumpere, ut in Virg. Æn. lib. XII, 683: « Rapido cursu media agmina rumpit, » et Propert. III, 9, v. 64: « Admisso Decius prælia rupit equo; » aut translate violare, ut Lucan. IV, 175, *rumpere leges.* Liv. IV, 17, *rumpere jus gentium*, et noster in Thyest. 179, *rumpere fas omne.* Si priorem sensum malueris, *imperium* pro cælo, Olympo, accipiendum est: si posteriorem, potestatem summam et non detrectandam auctoritatem intellige.

80. *Siculi verticis.* Id est, hanc Ætnæ molem, Encelado impositam, discinde; da exitum incluso. Finxerunt enim veteres Enceladum, a Jove cum cæteris gigantibus victum, sub Ætna oppressum fuisse, et jacere quasi carcere conclusum, flammasque identidem torrido pectore exspirare. Moris erat poetis, si quæ portentosa in terris essent, de his divinum aliquid fabulari. Vid. Virg. Æn. III, 578; et Claudian. de raptu Proserp. II, 158.

81. *Tellus... Doris.* Sicilia, in qua plurimæ fuerunt Græcorum coloniæ, et Dorum maxime. Dores autem sic dicti sunt a Doro, Neptuni filio, ut tradit Isidor. orig. IX, 2, qui eos Doros vocat.

Digitized by Google

Sublimis alias luna concipiat feras.
Sed vicit ista. Quæris Alcidæ parem?
Nemo est, nisi ipse : bella jam secum gerat. 85
Adsint ab imo Tartari fundo excitæ
Eumenides : ignem flammeæ spargant comæ;
Viperea sævæ verbera incutiant manus.
I nunc, superbe, cælitum sedes pete;
Humana temne. Jam Styga et manes ferox 90
Fugisse credis? hic tibi ostendam inferos.
Revocabo, in alta conditam caligine

83. *Luna concipiat feras.* « Joan. Picus Mirandulæ comes, ait Delrio, tradit in opere contra astrologos, quosdam existimasse, omnia, quæ apud nos sunt, in orbe lunæ inveniri.» Et idem alio loco : «Pythagoræi censebant omnia quæ apud nos sunt, flumina, feras, montes, etc. etiam in orbe lunæ reperiri, ut refert Achilles Statius in Aratum, simul addens hinc Nemeæum leonem decidisse. Nemesian. de laudib. Herculis, 119, de tauro ab Hercule domito : « Taurus medio nam sidere lunæ Progenitus, Dictæa Jovis possederat arva.» Sed citandus præsertim Angel. Politianus, qui hæc miscellan. c. 17, interposuit : «In tragœdia Senecæ quæ Hercules furens inscribitur, hic senariolus legitur : «Sublimis alias luna concipiat feras.» *Alias* enim codex habet vetustus ex publica familiæ Mediceæ bibliotheca, non *altas*, ut in vulgatis exemplaribus. Cujus intellectum loci non temere aliunde quam ex Achille desumpseris, quem auctorem Julius quoque Firmicus in Mathes. libris et citat et laudat. Is igitur in Commentariis Arateis, quum de luna verba facit, ita scribit ad verbum : εἶναι δὲ ἐπ' αὐτῆς οἴκησιν ἄλλην ποταμούς τε καὶ ὅσα ἐπὶ γῆς, καὶ τὸν λέοντα Νεμεαῖον ἐκεῖθεν πεσεῖν μυθολογοῦσι. »

92. *Revocabo, in alta*... Sic intellige : « Putas, Alcide, inquit Juno, jam Styga et manes fugisse? Non ita : tibi in terris inferos ostendam : revocabo discordem deam (id est Discordiam), conditam in alta caligine inferorum, ultra loca ubi exsulant nocentes, et munitam ingenti montis oppositi specu». *Revocabo*, quod jam Hercules inferos et Discordiæ sedem impune attigerit. Cæterum, ad illustrationem sensus, addemus quæ Schrœd. apte et utiliter de hoc loco contra Gronovium disserit; quibus prorsus accedo, nisi quod aliter *revocabo* interpretor : «Mavult Gronovius ex conjectura, *revocabo in altam conditum caliginem;* ut Herculem, hic in superis quamvis versaretur, ad Furiarum pœnas, et inferiores ipsis inferis, retrahendum esse innuat Juno stomachans. Mihi vulgata magis placet, quum τραγικώτερον quod sit magisque serviens iræ Junonis, si minetur se excitaturam ab inferis discordem deam, ut illius ministerio Herculem, gloriantem se incolumem

Digitized by Google

Ultra nocentum exsilia, discordem deam,
Quam munit ingens montis oppositi specus.
Educam, et imo Ditis e regno extraham
Quidquid relictum est. Veniat invisum Scelus,
Suumque lambens sanguinem Impietas ferox,
Errorque, et in se semper armatus Furor.
Hoc, hoc ministro noster utatur dolor.
Incipite, famulæ Ditis: ardentem incitæ
Concutite pinum; et agmen horrendum anguibus

furores infernos evasisse, hic in terris excruciet, quam si eumdem inferorum supplicia et anxiæ mentis carnificinam hic perpessurum esse denuntiet; tum quod posteriora, ut sæpe apud poetas, ubi mutato dictionis colore paria fere ingeminant, receptam lectionem stabiliant; utrobique enim commotæ Junonis oratio sibi ipsa respondet, *revocabo in alta conditam caligine deam discordem;* et mox, *educam et imo Ditis e regno extraham quidquid relictum est.* Neque est quod hac ratione de expedienda sententia laboremus: nam neque inepte dicit *revocabo*, quippe quum discors ista dea διὸς μεγάλοιο ἴκητι locum istum inferorum nacta sit, eo de terris detrusa. Nec gravius est quod objicit vir summus, *quid agit Furia ultra nocentum exsilia?* quum hoc ipsum tragicæ magniloquentiæ aptius videri possit, si, dum Junoni ejusque furori subservit, nonnihil fabulæ superaddat, nec ab inferorum sede modo, sed *ultra nocentum exsilia* discordem deam revocandam esse dicat, quasi deæ Furiæ domicilium sit ulterius Erebo. Sic infra v. 1221, Hercules dirissima quæque sibi imprecans ob scelera et impias cædes per furorem admissas, non inferorum modo carceri ut includatur optat; sed receptæ de inferis opinioni hoc addit, *et si quod exsilium latet ulterius Erebo, Cerbero ignotum et mihi, huc me abde, tellus*... Denique munitam fingit deam, propterea quod ex Orphei hymno Eumenides sint ὑπὸ κεύθεσιν οἰκί' ἔχουσαι, ἄντρῳ ἐν ἠερόεντι παρὰ Στυγὸς ἱερὸν ὕδωρ, *sedes habeant in cavernis, umbroso in antro, ad sacram Stygis aquam.* Styx autem secundum Hesiodum, Θεογ. v. 778, νόσφιν τε θεῶν κλυτὰ δώματα ναίει μακρῇσι πέτρῃσι κατηρεφέ', *seorsum a diis inclutas ædes incolit ingentibus saxis superne tectas.* Quæ omnia, ni fallor, locum hunc in clara luce ponunt, cuilibet attento lectori conspicuum.»

101. *Agmen horrendum.* Scil. Furiarum. At si tres tantum numerentur Furiæ, Tisiphone, Megæra et Alecto, ut vulgo inter mythologos convenit, qui fit ut *agmen Furiarum* Seneca, et alibi, Thyest. 78, *dira Furiarum agmina*, id. 250, *dira Furiarum cohors*, Virg. Æn. VI, 572, *agmina sæva sororum*, dixerint? Scilicet hoc communi Furiarum nomine poetæ omnia fere infausta et nociva numina complexi

Digitized by Google

Megæra ducat, atque luctifica manu
Vastam rogo flagrante corripiat trabem.
Hoc agite : pœnas petite violatæ Stygis :
Concutite pectus : acrior mentem excoquat 105
Quam qui caminis ignis Ætnæis furit.
Ut possit animum captus Alcides agi,
Magno furore percitus, nobis prius
Insaniendum est. Juno, cur nondum furis?
Me, me, sorores, mente dejectam mea 110
Versate primam, facere si quidquam apparo
Dignum noverca. Jam odia mutentur mea.
Natos reversus videat incolumes precor,
Manuque fortis redeat : inveni diem,
Invisa quo nos Herculis virtus juvet : 115
Me pariter et se vincat; et cupiat mori.
Ab inferis reversus : hic prosit mihi,
Jove esse genitum. Stabo, et ut certo exeant
Emissa nervo tela, librabo manum :
Regam furentis arma : pugnanti Herculi 120

sunt, quum alii Λύσσαν, alii Ἀδράστειαν, alii Νέμεσιν, plures Discordiam, in Furiarum numerum aggregare videantur. Hoc præterea reputandum, quod Morbi, Bellum, et quascunque in humanam gentem cælestium ira pestes immittit, Terror, Furor, Mors ipsa, et, quæ noster hoc ipso loco enumerat, Scelus, Error, Impietas, Furiis plerumque addantur, satellitium et famulabundum agmen. Unde potuit de multis scribi, quod de tribus absonum fuisset.

105. *Concutite pectus.* Hoc Farnabius de Herculis pectore posse accipi, quasi jubeat Juno animum ejus torqueant Furiæ et exagitent, sed intelligendum potius putat, ut intelligitur in Virg. Æn. VII, 337, ubi Juno; « . . . . tibi nomina mille, Mille nocendi artes; fecundum concute pectus. » Videtur nobis prior sensus cum antecedentibus et sequentibus verbis melius congruere et aptius cohærere.

106. *Quam qui caminis.* Ovid. Heroid. XV, 12 : « Me calor Ætnæo non minor igne tenet. » Id. Metam. XIII, 867 : « Uror enim, læsusque exæstuat acrior ignis, Cumque suis videor translatam viribus Ætnam Pectore ferre meo. »

119. *Librabo manum.* Intellige manum Herculis. *Librare* pro *dirigere*, quoniam quæ jaculari volumus, prius ad nos adducimus et retrahimus, ut emissa violentius et certius

Digitized by Google

Tandem favebo. Scelere perfecto, licet
Admittat illas genitor in cælum manus.
Movenda jam sunt bella; clarescit dies,
Ortuque Titan lucidus croceo subit.

CHORUS THEBANORUM.

JAM rara micant sidera prono
Languida mundo : nox victa vagos
Contrahit ignes : luce renata

ferantur. Sic *libravit cæstus* in Virg. Æn. V, 478: «....durosque reducta Libravit dextra media inter cornua cæstus.» Senec. Œdip. 899: « Callidus medium senex Dædalus librans iter Nube sub media stetit.«

122. *Admittat illas.* Hoc ironice et amare dictum. Postquam Hercules manus suas natorum sanguine asperserit, tum demum in cælum a Jove recipiatur.

223. *Movenda jam*, etc. Locum sic explicat Delrio : Noli hanc opportunitatem parandæ vindictæ omittere : noli certamen diutius differre. *Instat aurora; dies abire jubet.* Nec otiosa hæc aure prætereunda : ex eorum sententia dici videntur, qui inferos, Furias et hujusmodi alia terriculamenta nocturno solum tempore inter homines vagari censebant, omne autem, lucescente die, robur amittere et humanis sese conspectibus substrahere. Unde apud Virg. Æn. V, 739, Anchisæ umbra solem oriri causatur, ut Æneam dimittat : « Et me sævus equis Oriens afflavit anhelis.» Et sub Auroram umbra Theodosii apud Claud. de bello Gild. 348: «Dixit, et afflatus vicino sole refugit.» Et sic illud Tiresiæ, apud Horat. II, sat. 5, ad finem, audio: «....sed me Imperiosa trahit Proserpina. Vive, valeque.» Proserpina non sinebat inferni leges ab umbris, quibus præerat, violari. Hujus legis meminit etiam Propertius, quæ est vera Horatiani loci et cæterorum istorum interpretatio, IV, 7, v. 89, de umbris agens : « Nocte vagæ ferimur : nox clausas liberat umbras, Errat et objecta Cerberus ipse sera. Luce jubent leges Lethæa ad stagna reverti : Nos vehimur : vectum nauta recenset opus.» Hæc Delrio : sed nescio an quæ de umbris et infernis terriculamentis apte disseruntur, cadant et in Junonem, deorum reginam. Locus, per se clarus et illustris, facile tali interpretatione caruerit, subtiliori quidem et longius petita.

126. *Languida.* Infuscata nascentis solis lumine. Sic Plin. H. N. XXXIV, 19, *sufflare languidos ignes.* Alter Plin. VI, epist. 20 : *Jam hora diei prima, et adhuc dubius et quasi languidus dies.*

127. *Contrahit.* Recolligit, et secum trahit, ut et mox *cogit.* — *Ignes.* Stellas, sidera. Horat. lib. I,

Digitized by Google

Cogit nitidum Phosphoros agmen :
Signum celsi glaciale poli
Septem stellis Arcades ursæ
Lucem verso temone vocant :
Jam cæruleis evectus aquis
Titan summum prospicit OEtam :
Jam Cadmeis inclyta Bacchis

od. 12, v. 46 : « Inter ignes Luna minores. »

129. *Celsi.* Quippe qui sidera habeat semper nobis in sublimi conspicua, nec unquam cælo decedentia. Vid. not. ad vers. 6.

131. *Verso temone.* Quasi Arcades ursæ, id est, Calisto et Arcas, illata cælo sidera, currum fuga vertant, diem vicarium luminis sui revocantes.

133. *Prospicit.* Id est, radiis illustrat. Solent poetæ, si solis ortum depingant, juga montium subrubentia ostendere ; aptissime quidem, quum hæc primam excipiant lucem, venientis astri prænuntiam. Proximos quidem sibi, aut illis quos agentes et loquentes inducunt, montes, ut plurimum, eligunt : quem alium Æneas memorare debuit quam Idam Trojæ imminentem? Virg. Æn. II, 801 : « Jamque jugis summæ surgebat Lucifer Idæ. » Item in Euripid. Troad. 1066 : « Ἰδαῖα τ' Ἰδαῖα κισσοφόρα νάπη Χιόνι κατάῤῥυτα ποταμείᾳ Τέρμονά τε πρωτόβολον ἁλίῳ. » Sic Ægyptii Casium montem dicunt. Lucan. X, 434 : « Lucifer a Casia prospexit rupe, diemque Misit in Ægyptum primo quoque sole calentem. » Colchi, Caucasum. Apoll. Rhod. III, 1223 : «... φόως νιφόεντος ὕπερθε Καυκάσου ἠριγενὴς Ἠὼς βάλεν ἀντέλλουσα. » Sic quoque Noster, *dumeta Cadmeis Bacchis inclyta*, i. e. Cithæronem, Thebis vicinum. Attamen consueverunt poetæ Græci, et, quod magis mirere, Romani, OEtam præsertim, arduum Thessaliæ montem, eligere, quem in diurnorum nocturnorumve siderum ortu aut occasu memorarent ; quod quidem Heynius ductum ab aliquo poeta Græco judicat, qui aut in locis OEtæo monti subjectis vixit, aut rem in iis locis gestam narravit. Hic mos poetarum, undecunque emerserit, multis exemplis constat. Virgil. Cir. 349 : « Postera lux ubi læta diem mortalibus almum Et gelido veniens mani quatiebat ab OEta. » Catull. carmen nuptial. « Cernitis, innuptæ, juvenes? consurgite contra ; Nimirum OEtæos ostendit noctifer ignes. » Stat. Silv. V, 4, v. 7 : «...totidem OEtææ Paphiæque recursant Lampades. » Sil. VI, 452 : « Vixdum clara dies summa lustrabat in OEta Herculei monumenta rogi. » Vid. etiam Virg. Bucol. VIII, 30, et Cul. 202.

134. *Cadmeis inclyta Bacchis.... dumeta.* Intellige Cithæronem, montem Bœotiæ Baccho sacrum et Baccharum orgiis discerptoque ab illis Pentheo famosum. Ovid. Met. III, 702 : « .... electus facienda ad sacra Cithæron Cantibus et clara bacchantum voce sonabat. » *Bacchis.* Mulieres Bacchi sacra ce-

Digitized by Google

Aspersa die dumeta rubent; 135
Phœbique fugit reditura soror.
Labor exoritur durus, et omnes
Agitat curas, aperitque domos.
Pastor gelida cana pruina
Grege dimisso pabula carpit. 140
Ludit prato liber aperto

lebrantes, quæ, singulis trienniis, thyrsis armatæ conveniebant, et passim per agros, nemora et montes vagabantur. *Cadmeæ* dictæ, scilicet *Thebanæ* (a Cadmo, Thebarum conditore), quia Thebis potissimum Thebani Bacchi sacra celebrabantur.

135. *Aspersa die.* Dumeta primo radiorum contactu et quadam lucis suffusione rubentia.

138. *Agitat curas.* Curas somno quiescentes exsuscitat. Frigent sequentia *aperitque domos*, quibus ad rem tenuissimam et minimi momenti retrahimur. Itaque Heinsius legi voluit *agitat curis operitque domos :* quam emendationem non pro comprobanda et laudanda refero, sed ut intelligatur quantum hic Senecæ locus virum intelligentis judicii offenderit, quippe qui qualemcunque conjecturam vulgatæ lectioni præposuerit.

139. *Gelida cana pruina.* Non gelu rigida, ut multis placuit, quod nihil ad nascentis diei descriptionem faciat; sed matutino tantum rore madida, ut in Ovid. Fast. III, 357 : « Mollis erat tellus rorata mane pruina. » Id. Heroid. X, 7 : « Tempus erat, vitrea quo primum terra pruina Spargitur. » Citandus quoque Stat. Theb. III, 467 : « . . . niveis ornati tempora vittis Evadunt pariter, madidos ubi lucidus agros Ortus, et algentes laxavit sole pruinas. »

140. *Grege dimisso.* Passim in agrum effuso. Cæs. bel. civ. I, 80 : *Dimissos equites pabulandi causa.* — *Pabula carpit.* Hoc male intellectum est Grutero, qui sic explicat, *pastorem, grege in pascua jam dimisso, pabula quoque manu sua legisse, eidem pecori futura usui noctu.* Melius Farnabius : *Dimittit gregem, qui carpat pabula.* Verum enim quamdam esse ellipsim dixerim, qua pastor et pecus quasi in unum coeant, et alteri tribuantur, perinde ac si solus agat, quæ per alterum curat tantum exsequenda. Cæterum Maronem ipsum licet interpretem et explanatorem appellari, ex quo totus hic Senecæ locus expressus videtur. Georg. III, 322 : « Luciferi primo cum sidere frigida rura Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent, Et ros in tenera pecori gratissimus herba est. » *Carpamus* pro *curemus ut grex carpat.* Sic omnino pastores juxta et greges *pascere* dicuntur, rata utrobique et justa significatione (vid. Ægid. Forcellin. Lexic. et Servium ad Æn. II, 215) : sed *pascere* usitatius ; *carpere,* si ad alterum hunc tantummodo sensum respexeris, rarissimum atque audacter et per licentiam usurpatum.

Digitized by Google

Nondum rupta fronte juvencus.
Vacuæ reparant ubera matres.
Errat cursu levis incerto
Molli petulans hœdus in herba. 145
Pendet summo stridula ramo,
Pennasque novo tradere soli
Gestit querulos inter nidos
Thracia pellex; turbaque circa
Confusa sonat, murmure misto 150
Testata diem. Carbasa ventis
Credit, dubius navita vitæ,
Laxos aura complente sinus.
Hic exesis pendens scopulis,
Aut deceptos instruit hamos, 155
Aut suspensus spectat pressa

142. *Nondum rupta fronte.* Nondum enatis corniculis, ait Delrio. Poeticum et elegans. Horat. III, od. 13, ad font. Bandus. « ... donaberis hædo, Cui frons turgida cornibus Primis. » Troad. 538: « Primisque nondum cornibus findens cutem. »

148. *Gestit.* Ardet se libero cælo permittere, et ad volatum accingitur avis.

149. *Thracia pellex.* Philomela in lusciniam mutata. Tereus, rex Thracum, Procnen, Pandionis filiam, uxorem duxerat. Post aliquot annos, ea maritum rogavit, ut Philomelam, sororem suam, sibi videndam arcesseret. Profectus igitur Athenas Tereus, dum puellam reduceret, illi vim attulit, et linguam, ne facinus indicaret, abscidit. Cognito scelere, Procne Itym filium interemit, patrique epulandum apposuit. Parabat vindictam Tereus; sed in avem, quæ upupa dicitur, mutatus est: Procne quoque in hirundinem, Philomela in lusciniam versa.

152. *Dubius navita vitæ.* Cujus vita semper in ancipiti est. *Dubius* cum genitivo casu, ut pleraque adjectiva nomina, ad imitationem Græci sermonis. Sic Horat. de art. poet. 28, *timidus procellæ.* Lucan. VII, 611, *dubius fati.*

155. *Deceptos instruit hamos.* Reparat hamos, et escam supplet, quam pisces impune diripuere.

156. *Suspensus.* Spe et expectatione pendens.—*Spectat pressa*, etc. Farnab. *pressa præmia dextra* sic intelligit, quasi pisces capti manu teneantur. At si hunc sensum probaveris, quid postea *sentit tremulum linea piscem?* Longe aliter locum cum Schrœdero interpretor, qui « gestum actionesque piscantis hic quadrifariam designari contendit, idque ex naturali ordine; »

Digitized by Google

Præmia dextra : sentit tremulum
Linea piscem.
Hæc, innocuæ quibus est vitæ
Tranquilla quies, et læta suo 160
Parvoque domus, spes et in agris.
Turbine magno spes sollicitæ
Urbibus errant, trepidique metus.
Ille superbos aditus regum,
Durasque fores, expers somni, 165

1° pendet scopulis ; 2° instruit hamos ; 3° suspensus oculos ad futura præmia intendit ; 4° sentit captum et tremulum linea piscem. Enimvero nemo aptum et poeticum esse neget, si quis dicatur futuram prædam spectare, quæ speranti et avidis oculis sectanti jam quasi præsens sit. *Pressa dextra ;* id est, inclinata et prona manu, qualis est in piscando corporis habitus. Hipp. 40: « Nunc demissi nare sagaci Captent auras, lustraque presso Quærant rostro. » Thyest. 498 : « Sic quum feras vestigat, et longo sagax Loro tenetur Umber, ac presso vias Scrutatur ore... »

157. *Præmia.* Prædam. Varro, de ling. lat. l. IV, a *præda* ducit. Val. Flacc. VIII, 252 : « Sylvestria lætis Præmia, venatu facili quæsita, supersunt. » Ovid. Metam. VI, 518 : « ...spectat sua præmia raptor. »

159. *Hæc, innocuæ quibus.* Subaudi *habent, sortiuntur.*

161. *Spes et in agris.* Cujus spes et vota iisdem, quibus agri ejus, finibus continentur, nec ultra excurrunt.

162. *Turbine.* Incipit inde novus rerum et sententiarum ordo. Chorus humilium et ruricolarum studia, gravia quamquam nec omnino curis libera, multum solatii et commoditatis secum habere huc usque affirmavit. Ostendere videtur sequentibus magnatum sollicitudines nullo quietis et securitatis intervallo dispungi, nullaque compensari voluptate.—*Spes sollicitæ.* Displicuit nonnullis iteratum *spes ;* et aliud alii conjecerunt, ut hoc, quoquo modo intromissum, quasi maculam et vitium tollerent. Mihi contra nullo elegantiæ detrimento fieri videtur, ut quæ spes rure placidæ sint et securæ, eædem in urbibus sollicitæ, repetito vocabulo, dicantur : immo, ita consilio scriptum judico et ex industria ad oppositionem, nec infeliciter, constitutum.

164. *Superbos aditus.* Superbiam regum in adeuntes. Justin. XXI, 6 : *Aditu regis obtento.* Virg. Æn. IV, 423 : « Sola viri molles aditus et tempora noras. »

165. *Durasque fores.* Horatius epod. II, 7, *Superba civium potentiorum limina.* — *Expers somni.* Sæpe enim clientes in patronorum limine pernoctabant. Vid. notam sequentem. Colum. de re rust. I, præf. : « An putem fortunatius a catenato repulsum janitore, sæpe nocte sera ingratis foribus adjacere? »

Digitized by Google

Colit : hic nullo fine beatas
Componit opes, gazis inhians,
Et congesto pauper in auro est.
Illum populi favor attonitum,
Fluctuque magis mobile vulgus 170
Aura tumidum tollit inani :
Hic clamosi rabiosa fori
Jurgia vendens, improbus iras

166. *Colit.* Ad Romanum morem videtur Seneca, ut solet, alludere, et illam *salutantum* clientium turbam innuere, qui mane patronorum seu regum, ut nominare consueverant, fores celebrabant. De hoc more Seneca, de benef. cap. 33 : *Non sunt isti amici, qui agmine magno januam pulsant, qui in primas et secundas admissiones digeruntur. Consuetudo ista vetus est regibus regesque simulantibus, populum amicorum describere. Est proprium superbiæ, magno æstimare introitum ac tactum sui liminis, et pro honore dare, ut ostio suo propius assideas, ut gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa sunt ostia, quæ receptos quoque excludunt.* Vide etiam Columel. loco supra citato. — *Beatas.* Quæ beatos faciant, aut facere videantur. Hor. I, od. 29: « Icci, beatis nunc Arabum invides Gazis; » id. I, ep. 10, *rure beato.* Mart. IX, 12, *nectare beato.* Ovid. Amor. I, 15, *ripa beata Tagi.*

167. *Gazis inhians.* Horat. I, sat. 1.

169. *Illum populi favor*, etc. Hæc omnia colorem referunt Horatianum, I, od. 1. Sed proprio Noster vitio Romanos mores rursus ad veteres Græcos transfert. Quid cum Hercule *favor populi* et *mobile vulgus* et præsertim *fori jurgia*, quum hac prima ætate homines armis clavarumque pondere potius quam oratorum patrocinio forensique exercitatione jurgia sua expedire solitos acceperimus ?

170. *Fluctuque magis mobile.* Cic. pro Murena, 17 : *Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes et quantos æstus habet ratio comitiorum ?*

171. *Aura*, etc. Horat. III, od. 2.

173. *Vendens improbus.* Hæc et quæ sequuntur, acerrimæ et splendidissimæ brevitatis, in causidicos et rabulas dicuntur, verba sua pretio venalia proponentes, et facundiam cuilibet, pacta mercede, addicentes et locantes. Sic Mart. V, 16, « sollicitis vendere verba reis ». Apul. Apolog. I : *Mercenaria loquacitate effutierunt; quæ etsi possunt ab his futiliter blaterata, ob mercedem et auctoramenta impudentiæ, deprehensa haberi, jam concesso quodam more rabulis id genus, quo ferinæ solent linguæ suæ virus alieno dolori locare*, etc. Cf. et Amm. Marcell. XXX, 5 et sqq. Ad eorum imitationem, *Boileau, Art poétique*, IV, 169 :

Un vil amour du gain, infectant les esprits,
De mensonges grossiers souilla tous les écrits ;
Et partout, enfantant mille ouvrages frivoles,
Trafiqua du discours, et vendit les paroles.

Digitized by Google

Et verba locat. Novit paucos
Secura quies, qui velocis 175
Memores ævi, tempora nunquam
Reditura tenent. Dum fata sinunt,
Vivite læti : properat cursu
Vita citato, volucrique die
Rota præcipitis vertitur anni. 180
Duræ peragunt pensa sorores,
Nec sua retro fila revolvunt.
At gens hominum fertur rapidis
Obvia fatis, incerta sui :
Stygias ultro quærimus undas. 185
Nimium, Alcide, pectore forti
Properas mœstos visere manes.

174. *Novit paucos.* Pro *novere pauci quietem ;* per *hypallagen* dictum, ut in Virg. Æn. III, 61, *dare classibus austros* pro *dare classes austris.* — *Velocis memores ævi;* pro *memores quam sint ævi brevis*, ut in Horat. II, sat. 6.

177. *Tenent.* Qui detinent et quasi morantur, fruendi causa. Virgil. Æn. IV, 308. Cic. epist. XVI, 19, et passim.

180. *Rota.... anni.* Cursus anni se circumagentis in orbem. Virg. Georg. II, 401 : « ... redit agricolis labor actus in orbem, Atque in se sua per vestigia volvitur annus. »

183. *At gens*, etc. Falsi sunt opinione Gallici interpretes, qui hæc sic intellexerę, quasi poeta præcedentia iteraret tantum et confirmaret. *Coupé*, 1795 : *Les trois inflexibles sœurs travaillent sans relâche, et leurs fuseaux ne reviennent pas en arrière : nous sommes abandonnés à la merci du destin qui nous entraîne,* etc. *Levée*, 1822, qui alterius fideliter, ne molestius dicam, vestigia pressisse videtur : *Les trois inflexibles sœurs travaillent sans relâche, et leurs fuseaux ne reviennent jamais en arrière. La race humaine est entraînée par une invincible fatalité,* etc. Si hæc ita intelligenda sunt, quid sibi vult *at*, transitum ad alia manifeste declarans? Quid *obvia* et *ultro?* Alius est in promptu sensus : « Homines quidem præcipiti rapiuntur ad mortem impetu : urgent eos Parcæ, sua nunquam fila retro revolventes. Attamen ipsi fata, tam per se rapida, etiam prævertunt : morti obviam eunt, et ultro, id est, propria voluntate, quærunt inferos » ; quod Herculis exemplo Thebani comprobant. Mox pergunt, ut cœperant, damnantes hominum et præcipue operosa magnatum studia, quibus vita brevis brevior efficitur, suamque sibi congratulantes obscuritatem, et in futurum maneat optantes. Rebus ita connexis, omnia clara et cohærentia reperias.

Digitized by Google

Certo veniunt ordine Parcæ :
Nulli jusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem : 190
Recipit populos urna citatos.
Alium multis gloria terris
Tradat, et omnes fama per urbes
Garrula laudet, cæloque parem
Tollat et astris; alius curru 195

189. *Cessare.* Nulli licet ad infernum tribunal vocato resistere ac differre. Hæc omnia a judiciorum usu et forensi consuetudine assumpta sunt: *cessare* dicebantur, qui non statuto tempore ad vadimonium veniebant : unde Suet. in Claud. 14 et 15 : *Jus et consul et extra honorem laboriosissime dixit..... Absentibus secundum præsentes facillime dabat, nullo delectu, culpane quis an aliqua necessitate cessasset.* Vid. et Ulp. l. XLVII, tit. 10, leg. 17.

190. *Scriptum proferre diem.* Constitutum diem antevertere. *Proferre* sæpissime idem ac *differre, prorogare* significat. Gell. I, 23 : *Quum in senatu res major quæpiam consultata, eaque in diem posterum prolata est,* etc. At si Senecæ locum in hunc sensum acceperis, quid fiet de rerum et sententiarum contextu? Nempe ex eo quod *nulli vocato cessare liceat, aut constitutum diem differre,* quis male inferri neget, Alcidem nimium ad visendos manes properasse? Hanc contra argumenti rationem a poeta institutam mihi manifestum est : « Veniunt certo ordine Parcæ, et, quemadmodum vocati sequantur oportet, sic nemini licet diem statutum, ut Herculi placuit, prævertere; citantur omnes, non autem volentes ad infera loca descendunt. » Hæc sic intelligi requirit sensus necessitas; nec repugnat *proferre,* quod prope eadem ac *præferre* origine et compositione est. Atqui hæc in Liv. XXXIX, 5 : *Triumphare mense Januario statuerat : sed quum audisset Consulem M. Æmilium, literis Aburii tribuni plebis acceptis de remissa intercessione, ipsum ad impediendum triumphum Romam venientem, ægrum in via substitisse, ne plus in triumpho certaminum quam in bello haberet, prætulit triumphi diem : triumphavit ante diem decimum Kalendas Januarias.* Ulpian. Dig. l. II, tit. 13, leg. 2 : *Editiones sine die et consule fieri debent, ne quid excogitetur e die et consule, et prælato die fiat.* Modestin. l. XLVIII, tit. 10, leg. 28 : *Si a debitore prælato die pignoris obligatio mentiatur, falsi crimini locus est.* Nonnulli utroque loco legunt *prolato.* Cæterum Ulpian. cujus auctoritas in hac judiciorum infernorum collatione cum romani fori disciplina maxime valet, l. II, tit. 2, *De feriis et dilationibus et diversis temporibus,* leg. 1 : *Sin vero, quum abesse perseveraverint, sententiam protulerit,* etc., cum hac nota et interpretatione, *lite contestata ante ferias.*

195. *Curru.* Triumphali, ait Far-

Digitized by Google

Sublimis eat : me mea tellus
Lare secreto tutoque tegat.
Venit ad pigros cana senectus,
Humilique loco, sed certa sedet
Sordida parvæ fortuna domus : 200
Alte virtus animosa cadit.
Sed mœsta venit crine soluto
Megara, parvum comitata gregem;
Tardusque senio graditur Alcidæ parens.

nabius ; nec animadvertit sui se scriptoris vitium prodere, semper ad romanos mores futuramque eorum civitatem alludentis.

197. *Lare.* Pro *domo.* Sallust. in Catilin. 21 : *Illos binas aut amplius domos continuare : nobis larem familiarem nusquam ullum esse.* Putant alii Lares duos esse Laræ seu Larundæ Nymphæ filios, sic a matre nominatos, qui compita et vicos et ædes et focum præsertim in ædibus servare ac custodire credebantur ; alii aerios deos et heroas, larvas, genios, aut vita functorum animas fuisse existimant. De origine vocis perinde dissentitur, quum alii *Lares* a λαῦρα, *vicus*, deducant, alii Etruscam vocem esse putent, quæ principem et præsidem significat. Utcunque conjectetur, Lares pro ædibus ipsis accipiuntur : unde *lar*, pro una domo.

198. *Venit ad pigros.* Summam senectutem adipiscuntur, qui labores ac pericula devitant. Quam in sententiam acerrime invehitur Delrio, *pigros* male ferens, sed debitæ poetis indulgentiæ parumper, ut mihi videtur, immemor.

200. *Sordida. Tenuis* magis quam *misera* et *egena.* Senec. Herc. Œt. 124, *sordidæ casæ.* Cic. epist. ad Attic. XII, 27 : *Sordida villula et valde pusilla.* Mart. I, 56 : « Hoc petit, esse sui, nec magni ruris amator, Sordidaque in parvis otia rebus amat. »

201. *Alte.* Ab alto, ut Cicer. Orat. 28 : *Alte enim cadere non potest.* Qui propria audacia se tollunt in excelsum, et ad famæ virtutisque fastigium nituntur, si fortuna eos destituerit, quo altius sese extulerant, eo gravius in præceps cadunt. Horat. II, od. 10 : «... celsæ graviore casu Decidunt turres. » Claudian. in Rufin. I, 22 : « Tolluntnr in altum, Ut lapsu graviore ruant. »

203. *Comitata gregem.* Comitante parvulorum liberorum grege : ἑλληνισμός. Hunc locum secus interpretatus est *Coupé : Elle n'est pas accompagnée de son cortége ordinaire ;* nec melius *Levée : Elle s'avance avec un faible cortége.* Vid. v. 507, ubi, sicut in Euripid. Lycus comburi Megaram et ejus liberos jubet, *conjugem et totum gregem.* Hipp. 18 : «...qua comitatæ Gregibus parvis nocturna petunt Pabula fœtæ ». Œdip. 32 : « Et vos meorum liberum magni greges». Ex his exemplis patet *gregem* pro *natorum turbam* esse positum.

Digitized by Google

ACTUS SECUNDUS.

MEGARA, AMPHITRYON.

MEG. O magne Olympi rector, et mundi arbiter, 205
Jam statue tandem gravibus ærumnis modum,
Finemque cladi! Nulla lux unquam mihi
Secura fulsit : finis alterius mali
Gradus est futuri. Protenus reduci novus
Paratur hostis : antequam lætam domum 210
Contingat, aliud jussus ad bellum meat.
Nec ulla requies, tempus aut ullum vacat,
Nisi dum jubetur. Sequitur a primo statim

207. *Cladi.* Pro calamitatum serie *clades* hic dicitur; sæpius pro una tantum calamitate reperias, ut in Plaut. Capt. act. IV, scen. 4, v. 3 : « Clades calamitasque, intemperies modo in nostram advenit domum.»

209. *Gradus est futuri.* Gradus ad futurum malum. Utraque locutio juxta adhibetur. Quintil. III, 6 : *Interim ad ea, quæ sunt potentiora, gradum ex his fecisse contenti.* Cic. epist. ad Attic. VII, 23 : *Quasi hunc gradum mei reditus esse, quod mulieres revertissent.* — *Reduci.* Herculi.

211. *Aliud jussus ad bellum.* Sic in Sophocl. Trachin. 26, Dejanira : «...Λέχος γὰρ Ἡρακλεῖ κριτὸν Ξυστᾶσ' ἀεί τιν' ἐκ φόβου φόβον τρέφω Κείνου προκηραίνουσα· νὺξ γὰρ εἰσάγει Καὶ νὺξ ἀπωθεῖ διαδεδεγμένη πόνον.» Et in Moschi Idyll. IV, 39, Megara : «Πολλοῖσιν δύστηνος ἰάπτομαι ἄλγεσιν ἦτορ Αἰεὶ ὁμῶς· δακρύων δὲ πάρεστί μοι οὐδ' ἔ' ἐρωή. Ἀλλὰ πόσιν μὲν ὁρῶ παῦρον χρόνον ὀφθαλμοῖσιν Οἴκῳ ἐν ἡμετέρῳ· πολέων γὰρ οἱ ἔργον ἑτοῖμον Μόχθων, τοὺς ἐπὶ γαῖαν ἀλώμενος ἠδὲ θάλασσαν Μοχθίζει.»

213. *A primo.* Subaudi *tempore;* a principio. Ter. Phorm. act. IV, scen. 2. v. 14 : « Petam hinc, unde a primo institui.» Cic. Orat. 8 : *Itaque hic quem præstitisse diximus cæteris, in illa pro Ctesiphonte oratione longe optima, summissus a primo; deinde, dum de legibus disputat, pressus,* etc. Plaut. Most. act. IV, scen. 2 : « Multum improbiores sunt quam a primo credidi.»

Digitized by Google

Infesta Juno. Numquid immunis fuit
Infantis ætas? monstra superavit prius, 215
Quam nosse posset. Gemina cristati caput
Angues ferebant ora, quos contra obvius
Reptavit infans; igneos serpentium
Oculos remisso lumine ac placido intuens,
Arctos serenis vultibus nodos tulit, 220
Et tumida tenera guttura elidens manu,
Prolusit hydræ. Mænali pernix fera,

215. *Infantis ætas.* Numquid ea ipsa ætate, qua nondum loquebatur Hercules, immunis periculi fuit? — Infanti enim noverca Juno dracones duos immiserat, quorum ille guttura e cunis surgens corripuit elisitque. Vid. infr. v. 216 et seqq.

216. *Cristati caput.* Græcorum more, pro *cristato capite.*

219. *Remisso lumine.* Tranquillo et minime turbato. Cic. de Orat. II, 46 : *Quæ si ille histrio, quotidie quum ageret, tamen recte agere sine dolore non poterat, quid? Pacuvium putatis in scribendo leni animo ac remisso fuisse?* Vid. Nemesian. de laud. Herc. 53, et Theoc. XXIV, 56.

220. *Nodos.* Arctos serpentium nexus.

221. *Tumida.* Inflata veneno. Ov. Met. I, 459. «...qui modo pestifera tot jugera ventre prementem Stravimus innumeris tumidum Pythona sagittis.» — *Tenera.* Theoc. XXIV, 54 : « Θῆρε δύω χεῖρεσσιν ἀπρὶξ ἀπαλαῖσιν ἔχοντα Συμπλήγδην.» Martial. XIV, 177 : « Elidit geminos infans nec respicit angues : Jam poterat teneras hydra timere manus. » Mire hæc postrema cum Senecæ *prolusit hydræ* consentiunt.

222. *Prolusit hydræ.* Proludere, id est, quasi per ludum aliquid facere, ut ad majus aliquid audendum confirmes animos et experiaris vires; optime de hac prima Herculis pugna dictum, quam placido vultu et interrito animo quum lacessiverit, se debellandæ olim hydræ fore parem approbavit. Hipp. 1060 : « ... seque prætentans satis Prolusit iræ. » Senec. epistol. 102 : *Per has mortalis ævi moras illi meliori vitæ longioriqueproluditur.* Plin. XXXVII, 2, § 7 : .....*theatrum quod a populo impleri, canente se, dum Pompeiano præludit, etiam Neroni satis erat,* id est, dum ad canendum in theatro Pompeiano se comparat. — *Mænali.* Mænalus, mons in Arcadia. — *Pernix fera.* Cerva æripes, quam Hercules cursu consecutus est, et cui aurea cornua detraxit. — Incipit Herculeorum laborum descriptio, quorum undecim exantlati exponuntur : 1° Æripes Mænali cerva superata cursu captaque; 2° Nemeæus leo interfectus; 3° rex Diomedes victus, et suis ipse equis pabulum datus; 4° Erymanthius aper occisus; 5° taurus Cretensis domitus et subactus; 6° peremptus Geryon, et abducta ejus armenta; 7° aurea Hesperidum mala erepta,

Digitized by Google

Multo decorum præferens auro caput,
Deprensa cursu est. Maximus Nemeæ timor,
Gemuit lacertis pressus Herculeis leo. 225

dracone custode interfecto; 8° sublata penitus recidiva Lernæi monstri capita; 9° sagittis confixæ Stymphalides; 10° victæ Amazones, et capta earum regina; 11° expurgata Augiæ stabula. Duodecimum laborem addidit Hercules, inferos ausus penetrare, ut Theseum liberaret, et Cerberum ad Eurystheum abstraheret: sed hoc facinoris nec debuit nec potuit commemorare Megara, eventus ita ignara, ut conjugem in hoc virtutis suæ experimento occubuisse arbitretur. Sed vid. 46, 770 et seqq. De laboribus Herculis passim poetis et aliis scriptoribus dictum; sed confer præsertim Diodor. Sic. IV, 2 et sqq. Sophocl. Trachin. 1099, et Sophoclis interpretem Cic. Tuscul. II, 9. Euripid. Herc. fur. 359. Theocrit. XXV, 193. Virg. Æn. VIII, 291. Ovid. Metam. IX, 182, et Heroid. IX, 85. Claudian. de rapt. Proserp. II, in præfat. Nemesian. de laud. Herc.; Hygin. fab. 30 et seqq.; et Senec. ipsum Herc. fur. 524; Herc. Œt. 829. Tradidere nonnulli Herculem, oraculi jussu, et in expiationem prolis per furorem occisæ, Eurystheo fuisse subjectum laboresque suos suscepisse. Contra Noster ab eo peractos supponit, interfectis nondum liberis, Homerum secutus narrantem (Il. XIX, 97 et seqq.) Junonis dolo factum, ut Eurystheus natu major esset, et Herculi imperaret ac dominaretur. Vid. inf. 830.

223. *Auro*. Cornibus aureis. Euripid. Herc. fur. 375: « Τάν τε χρυσοκάρανον Δόρκαν, ποικιλόνωτον Συλήτειραν ἀγρωστᾶν Κτείνας, θηροφόνον θέαν Οἰνωάτιν ἀγάλλει. » Pind. Olym. III, 52, hanc Herculis cervam vocat quoque χρυσόκερων ἔλαφον θήλειαν. Nec objiciat quisquam cervas carere cornibus, ut dixit Plin. XI, 37, *cornua nulla ovium nec cervarum;* tanquam fabulosius sit feminis in cervino genere addi cornua, quam aurea maribus! Cæterum *cerva* a poetis latinis, nullo generis respectu, nonnunquam adhibetur. Virgil. Æn. IV, 69. Ovid. de art. amand. III, 670. Horat. III, od. 5; quemadmodum Græci τὴν ἔλαφον etiam de cervo mare dicunt. Nec desunt, qui affirment cervas etiam cornutas aliquando inventas fuisse. Vid. Scalig. Poetic. III, 4.

224. *Nemeæ*. Nemea vel Nemee, oppidum Peloponnesi, in Argia, silvæ et rupi proximum, ubi Hercules leonem immanis magnitudinis interfecit. Hic prognatus e Chimera, ut Nemesiano in laud. Herc. placuit: « Immanem interea Nemeæ per lustra leonem Ipsa Chimæræa cretum de gente noverca, etc. etc. », aut ex Echidna et Typhone ortus, aut Lunæ filius et alumnus, ut Serv. ad Æneid. VIII, 295, et Hygin. fab. 30, docuerunt (vid. not. ad v. 83), biforem insederat cavernam: verum Hercules, altero exitu intercluso, antrum ingressus est, atque ita deprehensum, ut monstrum erat ferro invulnerabile, brachiis in nodum compressis, strangulavit.

Digitized by Google

Quid stabula memorem dira Bistonii gregis,
Suisque regem pabulum armentis datum?
Solitumque densis hispidum Erymanthi jugis
Arcadia quatere nemora Mænalium suem?
Taurumque centum non levem populis metum? 230
Inter remotos gentis Hesperiæ greges
Pastor triformis litoris Tartessii
Peremptus : acta est præda ab Occasu ultimo;
Notum Cithæron pavit Oceano pecus.

226. *Stabula.* Diomedes, rex Thraciæ, equos suos humano cruore et peregrinorum hospitumque carne alebat; quem victum Hercules suis ipsum equis vorandum dedit. — *Bistonii.* Thraces nomine quoque Bistonum dicti sunt, a Bistone Martis et Callirrhoes filio, qui urbem in iis regionibus condidit.

227. *Pabulum armentis.* Sic Noster ad veterum promptus imitationem *Racine,* (*Phèdre,* act. III, scen. 5): A ses monstres lui-même a servi de pâture.

228. *Erymanthi jugis.* Erymanthus, mons in Arcadia.

229. *Mænalium.* Arcadicum (vid. v. 222). — *Suem.* Aprum immanem et indomitum, quem vivum Hercules ad Eurystheum retulit.

230. *Taurumque.* Cretensis taurus, qui metus centum populis dicitur, quod totidem urbes Creta habuerit. Memorant nonnulli eumdem taurum esse, sub cujus imagine Jupiter Europam ex Phœnicia in Cretam transvexit; sed plures opinantur taurum hunc a Neptuno e fluctibus suscitatum, quum ei Minos pollicitus fuisset se, quodcunque primum conspexisset, mactaturum. Minos, tauri forma captus, hunc seposuit, aliumque ex armentis suis immolavit. Quod indignatus Neptunus taurum suum inflammavit furore, et in agrorum urbiumque vastitatem immisit, donec vivum Hercules cepit, et adduxit ad Eurystheum.

232. *Pastor triformis.* Geryon, rex Hispaniæ, cui tria esse corpora finxerunt poetæ, celeberrimus erat armentis; quibus custodiendis præfectum gigantem quemdam, et canem bicipitem interfecit Hercules; quumque ipsum Geryonem sustulisset, boves discedens secum in Bœotiam abduxit. — *Tartessii.* A Tartesso, Hispaniæ urbe, non procul ab Herculis columnis; hæc postea dicta est Carteia, novissime Gades. Strab. III, 151: Ἔνιοι Ταρτεσσὸν τὴν νῦν Καρτηίαν προσαγορεύουσι. Mela, II, 6: *Carteia (ut quidam putant) aliquando Tartessus.* Plin. IV, 22: *Oppidum Gadium.... nostri Tartesson appellant, Pœni Gadir.*

233. *Ab Occasu ultimo.* Hispaniam enim credebant veteres mundi extremam esse ab Occasu partem.

234. *Cithæron.* Abducta ab Hispaniæ et Oceani finibus, et ideo

Digitized by Google

Penetrare jussus Solis æstivi plagas, 235
Et adusta medius regna quæ torret dies,
Utrinque montes solvit; abrupto objice,
Latam ruenti fecit Oceano viam.
Post hæc, adortus nemoris opulenti domos,
Aurifera vigilis spolia serpentis tulit. 240
Quid? sæva Lernæ monstra, numerosum malum,
Non igne demum vicit, et docuit mori?
Solitasque pennis condere obductis diem
Petiit ab ipsis nubibus Stymphalidas?

dicta *Oceano nota*, Hercules armenta in Bœotiam transtulit, ubi mons Cithæron.

235. *Penetrare jussus.* Jussus est ab Eurystheo Hercules Mauritaniam adire, in qua Hesperidum hortus et aurea mala.

236. *Medius... dies. Dies* pro luce solis, aut ipso sole. Sol autem dicitur *medius*, qui medias orbis regiones torreat. Cic. somn. Scip.: *Cernis autem eamdem terram, quasi quibusdam redimitam et circumdatam cingulis; e quibus duos, maxime inter se diversos, et cœli verticibus ipsis ex utraque parte subnixos, obriguisse pruina vides; medium autem illum et maximum, solis ardore torreri.* Confer etiam Virgil. Georg. I, 233. Ovid. Metam. I, 45.

237. *Utrinque montes solvit.* Dicitur Hercules montes divisisse, quibus Hispania Africæ jungebatur: « Est mons prælatus, ait Mel. I, 5, ei quem ex adverso Hispania attollit objectus: hanc Abylam, illum Calpen vocant, columnas Herculis utrumque. Addit fama nominis fabulam, Herculem ipsum junctos olim perpetuo jugo diremisse colles, atque ita, exclusum antea mole montium, Oceanum ad quæ nunc inundat admissum. »

239. *Nemoris opulenti.* Hortos Hesperidum, aurifero nemore et aureis malis insignes, invasit Hercules, et, custode interfecto serpente, spolia ejus, id est, erepta mala Eurystheo attulit. Vid. Serv. ad Æn. IV, 484. Diodor. IV, 26. Apollod. II, 5. Hygin. fab. 30.

241. *Lernæ monstra.* Lernæam hydram. *Monstra*, plurali numero, propter septena capita, et repullulantia, dum absciderentur, colla: unde *numerosum malum.* Quintil. V, 10, *numerosum opus*, et Plin. III, ep. 9, *numerosissimæ causæ terminus.*

242. *Igne demum vicit.* Unumquodque monstri caput abscissum in multa recrescebat, igne tantum domabile.

243. *Obductis.* Alis ita extensis, ut condatur dies, id est, lux eripiatur. Sic in Virg. Æn. II, 604, *nubes tuenti obducta visus mortales hebetat.* Vid. Phœniss. 422.

244. *Petiit ab ipsis nubibus.* Sagittis sub ipsis nubibus confixit. Sic Agam. 849: « sagittis Nube percussa Stymphalis alto Decidit cælo. » — *Stymphalidas.* Circa Stymphalum

Digitized by Google

Non vicit illum cælibis semper tori 245
Regina gentis vidua Thermodontiæ :
Nec ad omne clarum facinus audaces manus
Stabuli fugavit turpis Augiæ labor.
Quid ista prosunt? orbe defenso caret.

montem lacumque tradunt portentosas olim fuisse volucres, procero corpore, ferreis capitibus rostrisque et aduncis unguibus, quæ solem multitudine sua obscurarent volantes, camposque vicinos assiduo terrore funestarent, humanis carnibus vesci solitæ. Ab ipso Marte informatæ fuerant ad præliandum, ferreas pennas, tanquam tela, jaculantes. Has autem Hercules sagittis confixit; aut, ut quidam produnt, fugavit crepitaculorum tinnitu, quæ a Pallade acceperat.

245. *Cælibis semper tori.* Ovid. Heroid. XIII, 107 : « Aucupor in lecto mendaces cælibe somnos. » Vid. infra *vidua*.

246. *Regina.* Hippolyte, regina Amazonum, cui Hercules, ab Eurystheo jussus, balteum detraxit, et a patria abreptam Theseo ducendam dedit. — *Vidua.* Priore sensu *a viro divisa, orbata conjuge suo :* sed nonnunquam de muliere dicitur nullum virum experta. Liv. I, 46 : *...se rectius viduam, et illum cælibem futurum fuisse contendere, quam cum impari jungi.* Prop. II, 24 : «Quid tibi, quid prodest viduas dormire puellas?» Defuncto Nino, Assyriorum imperii conditore, qui Scythas in ditionem suam redegerat, uxor et filii ejus Ilinus et Scolopites, hereditate exclusi, cum fautoribus suis in Sarmatiam Asiaticam, ultra Caucasum, confugerunt; positaque ibi sede sua, crebras in regiones Ponto Euxino conterminas incursiones fecerunt. Quibus bellis exasperati finitimi, in unum tandem convenere, factoque in communem hostem impetu, mares omnes interfecerunt. Viduatis igitur mulieribus placuit, ne qua deinceps viro nuberet; et conjugia exosæ et aversatæ femineum sub regina imperium constituerunt. Unde Senecæ *cælibis tori* et *viduæ* Amazones dicuntur. Cæterum vid. in Medea not. ad v. 215. — *Thermodontiæ.* Nempe Amazones in Cappadocia, juxta Thermodontem fluvium, consederant.

248. *Stabuli.* Augiæ vel Augeæ, Eliensium regi, stabulum fuisse ferunt quod tria boum millia caperet. Quum per annos triginta inexpurgatum mansisset, totamque regionem pestilentia, ex teterrimo coacervati stercoris fetore orta, invasisset, Hercules, vel Alpheo vel Peneo, vel, ut alii volunt, utroque fluvio intromisso, totum uno die fimum detersit.

249. *Orbe defenso caret.* Jam habent inferi ereptum terris, quem terræ nuper defensorem ac vindicem suum sensere. Itaque, sublato pacis auctore, sæviunt rursus tyranni. Hæc, quamvis in universum dicta videantur, de Lyco præsertim intelligenda sunt, qui, absente Hercule, regnum occupavit. Vid. argum. p. 2, et inf. not. ad v. 270.

Digitized by Google

Sensere terræ pacis auctorem suæ 250
Abesse terris. Prosperum ac felix scelus
Virtus vocatur: sontibus parent boni;
Jus est in armis, opprimit leges timor.
Ante ora vidi nostra, truculenta manu
Natos paterni cadere regni vindices, 255
Ipsamque Cadmi nobilis stirpem ultimam

253. *Jus est in armis. Jus*, a *jubeo*, ut quidam voluere, pro eo plerumque accipitur, quod legibus vel divinis vel humanis constitutum est. Unde eleganter *jus esse in armis* dicitur, ubi armorum vi decernuntur quæ legum auctoritate dijudicari debeant. Sall. Jug. 3: *Neque illi, quibus per fraudem jus fuit, tuti.* Lucan. I, 2: «Jusque datum sceleri.» Sil. II, 504: «Vis colitur, jurisque locum sibi vindicat ensis, Et probris cessit virtus.» — *Timor*. Pro causa timoris. Sic Propert. III, 5, v. 40, «Tu timor esse potes»; et Ovid. Fast. I, 551, «Cacum Aventinæ sylvæ timorem,» dixit.

255. *Natos*. Filios Creontis a Lyco occisos. — *Regni vindices*. Non quia occisi fuerunt a Lyco, dum necis paternæ ultionem repeterent, aut paternum regnum defenderent, qua de re nihil memorant scriptores; sed potius, ut interpretatur Gronovius, quia patrem aliquando vindicaturos Megara speraverat. Sophocl. Elect. 10: «Ὅθεν σὲ πατρὸς ἐκ φόνων ἐγώ ποτε Πρὸς σῆς ὁμαίμου καὶ κασιγνήτης λαβὼν, Ἤνεγκα, κἀξέσωσα, κἀξεθρεψάμην, Τοσόν δ' ἐς ἥβης, πατρὶ τιμωρὸν φόνου.»

256. *Stirpem ultimam*. Euripid. Herc. fur. 7, Creontem ea virorum stirpe ortum dicit, quam Cadmus, satis draconis dentibus, eduxerat. Cæterum adeo non de hoc nostro Creonte inter omnes convenit, ut eum ne memorent quidem alii, alii non interfectum a Lyco, sed in regnum ab Hercule, occiso Lyco, restitutum affirment. Delrio in comm. Herc. fur. v. 346, dubium esse existimat, an pater Megaræ Creon idem fuerit ac Jocastæ frater, de quo in Œdipo Nostri et apud Sophoclem in Œdipo utroque agitur: scilicet Megaram, v. 256, stirpem ultimam Cadmidarum, Creonte et filiis ejus interemptis, exstinctam dicere, et infra v. 495, clare Œdipi, ut jam defuncti, meminisse; attamen sibi vero propius videri, si Œdipi calamitatem, mortuo Hercule, obtigisse credatur, quum ille non celeberrimo ad Thebas prælio interfuerit, nec supplices ad eum non confugissent potius quam ad Thesei filium. Qualiscumque ponderis hæc videantur, de quibus consule Gronovii not. ad v. 347, ex Seneca et Græc. trag. facile collegeris unum esse Creontem, filium Menœcei (Soph. Antig. 161. Euripid. Herc. fur. 8, et Phœniss. 697), patrem alterius Menœcei (Euripid. Phæniss. 776) et Megaræ (Euripid. Herc. fur. 9) et aliorum filiorum (Æschyl. sept. ad Theb. 480. Sophocl. Antig. 624),

Digitized by Google

Occidere : vidi regium capitis decus
Cum capite raptum. Quis satis Thebas fleat?
Ferax deorum terra, quem dominum tremis?
E cujus arvis, eque fœcundo sinu 260
Stricto juventus orta cum ferro stetit,
Cujusque muros natus Amphion Jove
Struxit, canoro saxa modulatu trahens;
In cujus urbem non semel divum parens
Cælo relicto venit; hæc quæ cælites 265
Recepit, et quæ fecit, et (fas sit loqui)
Fortasse faciet, sordido premitur jugo.
Cadmea proles, civitasque Amphionis,

fratrem Jocastæ (Euripid. Phœniss. 698 et 768), ex stirpe satorum a Cadmo (Æschyl. sept. ad Theb. 480. Euripid. Phœniss. 6).

257. *Regium capitis decus.* Diadema, quod Creonti Lycus cum capite abstulit.

259. *Ferax deorum terra.* Thebæ, quæ Bacchum, Semelen, Leucotheam, Palæmona genuerant. Unde Justin. XI, 4, de Thebis : *Nec jam pro civibus se, qui tam pauci remanserint, orare, sed pro innoxio patriæ solo et pro urbe, quæ non viros tantum, verum et deos genuerit.*

261. *Juventus orta.* Ex satis a Cadmo Mavortii draconis dentibus homines orti sunt armati; qui quum infestis gladiis ipsi in ipsos concurrissent et mutuis cecidissent vulneribus, superstites quinque Cadmo comites et adjutores in constituendis Thebis accessere. De his Ovid. Metam. III, 110, «...crescitque seges clypeata virorum». Vid. etiam Euripid. Herc. fur. 2, 252 et 794.

262. *Cujusque muros.* Amphion, Jovis et Antiopes filius, citharam a Mercurio acceperat, cujus mira dulcedine lapides ad struendas Thebas traxisse fertur. Vid. Phœn. 566. Euripid. Phœniss. 116. Horat. III, od. 11 : « Mercuri, nam te docilis magistro Movit Amphion lapides canendo. » Vid. et eumdem de art. poetic. 394.

265. *Cælo relicto venit.* Scilicet Jupiter Thebas sæpe invisit, modo Semeles, modo Antiopes, modo Alcmenæ amore captus.

266. *Recepit.* Hoc referendum ad antecedentia *cælo relicto venit; fecit* autem, ad v. 259, *ferax deorum terra; faciet*, ad Herculem, cujus futurum numen præsentit ac vaticinatur.

267. *Sordido...jugo.* Turpi, fœda servitute. Cic. de offic. II, 14 : *Quum periculosum est, tum etiam sordidum ad famam, committere, ut accusator nominere.* Seneca, de ira, II, 34 : *Cum inferiore contendere, sordidum.*

268. *Cadmea.* Thebana, a Cadmo conditore civitatis, ut *civitas Amphionis* ab Amphione, exstructore mœnium.

Digitized by Google

Quo recidistis? Tremitis ignavum exsulem,
Suis carentem finibus, nostris gravem? 270
Qui scelera terra, quique persequitur mari,
Ac sæva justa sceptra confringit manu,

269. *Quo recidistis.* Liv. IV, 2: *Canuleios igitur Icilioque consules fore? Ne id Jupiter optimus maximus sineret, regiæ majestatis imperium eo recidere.—Ignavum exsulem.* Lycum Eubœæ, patriæ suæ transfugam, et Thebis peregrinantem. Vid. not. seq. De eodem, Eurip. Herc. fur. v. 256: « ... ὅστις οὐ Καδμεῖος ὢν, Ἄρχει κάκιστος τῶν νέων, ἔπηλυς ὢν. »

270. *Suis carentem finibus.* Hic versus erroris manifestos facit, quicumque in fabulæ argumento Lycum a Creonte aut ab Hercule Thebis exactum scripsere. Nam si Thebanus fuisset Lycus, et a civitate sua ejectus, postquam in eam, licet armorum vi et civium seditione, regressus est, non tamen jure diceretur *finibus suis carere*, nec jam quidquam esset ponderis in hac vocum *suis* et *nostris* collatione. Euripidem Seneca, tum in tragœdiæ summa, tum in definienda Lyci fortuna et conditione, imitatus est: eum uterque pro advena et peregrino habendum voluit, factionis audacia in fastigium summæ auctoritatis immissum. Hoc autem Euripidi proprium, quod priscum fuisse Thebanorum regem narret, nomine Lycum, Dirces conjugem, ab Amphione et Zetho occisum; ortum ex ejus stirpe, longo post intervallo, eodem istum nomine, non Thebanum, sed Eubœum, qui, Creonte interfecto, regno ejus potitus est. Herc. fur. 26: « Γέρων δὲ δή τις ἐστὶ Καδμείων λόγος, Ὡς ἦν πάρος Δίρκης εὐνήτωρ Λύκος, Τὴν ἑπτάπυργον τήν δε δεσπόζων πόλιν, Τὼ λευκοπώλω πρὶν τυραννῆσαι χθονὸς Ἀμφίον', ἠδὲ Ζῆθον, ἐκγόνω Διός. Οὗ ταυτὸν ὄνομα παῖς πατρὸς κεκλημένος, Καδμεῖος οὐκ ὢν, ἀλλ' ἀπ' Εὐβοίας μολὼν, Κτείνει Κρέοντα, καὶ κτανὼν ἄρχει χθονὸς, Στάσει νοσοῦσαν τὴν δ' ἐπειπεσὼν πόλιν. Hoc mutat tantum Seneca, quod Lycum ab antiquo regum genere ortum non haberi velit, ut manifeste patet ex v. 337 et seqq., nec peregrinum modo, sed exsulem appellet (v. 169 et 174): at quis non fateatur *exsulem* pro *peregrinum* et *procul a patria versantem* sæpe in poetis usurpari, præsertim si loquantur inimici aut invidi, elevandæ virtutis vel audaciæ causa, ut in eadem Senec. trag. v. 452, et passim? Quum res ita per se clara sit, et Euripidis exemplo confirmetur probeturque, mirum est quanta tamen conspiratione allucinari maluerint interpretes quam a vulgato receptoque errore recedere, et cum multis falli quam ab auctoritate nominum ad judicii fidem provocare.

271. *Mari.* Busiridem enim, Ægypti tyrannum, transmarina victoria Hercules prostraverat.

272. *Sceptra.* Busiridis, Erycis, Laomedontis et aliorum. Incertum est, an omnia quæ in hoc dramate memorantur, Hercules eo confecerit tempore quo Megaram uxorem habuit. Sed in illa ætatis mythologicæ caligine, et incerto Herculeæ

Digitized by Google

Nunc servit absens, fertque quæ ferri vetat ;
Tenetque Thebas exsul Herculeas Lycus.
Sed non tenebit : aderit, et pœnas petet, 275
Subitusque ad astra emerget ; inveniet viam,
Aut faciet. Adsis sospes et remees, precor,
Tandemque venias victor ad victam domum.
Emerge, conjux, atque dispulsas manu
Abrumpe tenebras : nulla si retro via, 280
Iterque clausum est, orbe diducto redi,
Et quidquid atra nocte possessum latet,
Emitte tecum : dirutis qualis jugis

vitæ tenore, solent poetæ, quodcumque in hac laudandum et verbis exornandum eligant, de cæteris omnibus, in uberiorem canendi et excurrendi materiam, quasi de præteritis dicere.

273. *Fertque.* Servitutem patitur absens, qui cæteros tyrannis servire non patitur. Vetat Hercules jugum ferri superborum ; ipse autem jugum domini fert immanissimi, qui impune in patria ejus dominatur, et penes quem rerum Thebanarum et uxoris et liberorum ejus arbitrium est.

274. *Thebas.... Herculeas.* Thebæ Herculeæ dicuntur, non solum quia in hac urbe natus erat Hercules, sed etiam quia, per Megaræ matrimonium, Creontis consanguinitatem adeptus, soceri solium regnique hereditatem sperare poterat.

276. *Ad astra emerget.* Conjecerat Badenius in specimine novæ recensionis (1798), *aderit, et pœnas petet subitus. Qua ad astra emergat, inveniet viam*, causam afferens quod sibi polliceri debuerit Megara non ad cælum, sed ad terras remeaturum Herculem. Quod quidem, ut mihi videtur, nihil ad commoditatem sensus faciat : loci difficultas, si difficultas sit, Badeniana conjectura quomodo tollatur non video ; siquidem res et sensus iidem remaneant, forma tantum orationis mutata, et ea quantulum ! Intellige *ad astra*, quasi *ad astrorum lucem et cœli aspectum*, ut in Hippol. 1213, *ad cælum via ;* Agamem. 859, *tractus ad cælum canis ;* Herc. fur. 505, *ad supera lumina vehi*, et 586, *quum clara deos obtulerit dies.* Quæ quidem interpretatio vers. 279 et seqq. confirmatur.

280. *Retro via.* Vid. sup. v. 55.

281. *Diducto.* Per vim diviso. Ovid. Metam. VIII, 586 : « Fluctus nosterque marisque Continuam diduxit humum. »

282. *Quidquid atra nocte.* Quæcumque versantur in inferis, et eorum tenebris condita latent, tecum in terras emitte : dictum uxoria quadam superhiloquentia. Vid. inf. v. 290 et seqq.

283. *Dirutis qualis jugis.* Ossam et Olympum, perpetuum antea Thessaliæ jugum, divisit Hercules, mediamque vallem influenti Peneo

Digitized by Google

Præceps citato flumini quærens iter,
Quondam stetisti, scissa quum vasto impetu 285
Patuere Tempe; pectore impulsus tuo
Huc mons et illuc cecidit, et rupto aggere
Nova cucurrit Thessalus torrens via;
Talis parentes, liberos, patriam petens,
Erumpe, rerum terminos tecum efferens; 290
Et quidquid avida tot per annorum gradus
Abscondit ætas, redde; et oblitos sui,

aperuit: quod operis Neptuno attribuit Claud. de rapt. Proserp. II, 179: «Sic, cum Thessaliam scopulis inclusa teneret, Peneo stagnante palus, et mersa negarent Arva coli, trifida Neptunus cuspide montes Impulit adversos. Tum forti saucius ictu Dissiluit gelido vertex Ossæus Olympo: Carceribus laxantur aquæ, fractoque meatu, Redduntur fluviusque mari tellusque colonis.» Senec. quæst. natur. VI, 25, refert, *aliquando Ossam Olympo cohæsisse; deinde terrarum motu recessisse, et scissam unius magnitudinem montis in duas partes; tunc effugisse Peneum, qui paludes, quibus laborabat Thessalia, siccavit, abductis in se quæ sine exitu stagnaverant aquis.* Hoc quoque Herodot. VII, 129.

285. *Stetisti.* Dicuntur *stare* qui in acie perstant fortiter pugnantes, aut ad pugnandum parati. Stat. Theb. VII, 323: «Stetit audaces effusus in iras, Conseruitque manus.»

286. *Tempe.* Celebratissima poetis Thessaliæ vallis, quam dicitur Hercules, divisis Ossa et Olympo, fecisse. Loci amœnitatem, inter multos quos vel tantum enumerare longius fuerit, descripsit Plin. IV, 8.

287. *Aggere.* Disrupta illa montium mole, quæ Peneum coercebat, in circumstantibus campis effusum et stagnantem.

288. *Thessalus torrens.* Peneus.

290. *Rerum terminos.* Sic Badenius ex Bentl. ad Horat. carm. sæcul. v. 26: «Rerum terminus idem est ac rerum finis et extremitas.» *Rerum terminos tecum efferens*, hoc est, imas terræ radices tecum evellens. Senec. ep. 94: *Adjice nunc quod sapientis præcepta finita esse debent et certa; si qua finiri non possunt, extra sapientiam sunt: sapientia rerum terminos novit.* Iterum ep. 110: *Sed ipsum illud cadere non habet in se mali quidquam, si exitum spectes, ultra quem natura neminem dejicit. Prope est rerum omnium terminus, prope est, inquam, et illud unde infelix emittitur.*

292. *Abscondit ætas.* Quidquid per tot annos inferis conditum est, ad lucem retrahe. Vid. sup. v. 282. *Ætas* pro Tempore; unde dicitur *avida.* Virg. Bucol. IX, 51: *Omnia fert ætas, animum quoque.* — *Oblitos sui.* Quippe qui præteriti temporis oblivionem cum unda Lethes hauserint. Virg. Æn. VI, 714: «Lethæi ad fluminis undam Securos latices et longa oblivia potant.»

Digitized by Google

Lucisque pavidos ante te populos age.
Indigna te sunt spolia, si tantum refers,
Quantum imperatum est. Magna sed nimium loquor, 295
Ignara nostræ sortis. Unde illum mihi,
Quo te tuamque dexteram amplectar, diem,
Reditusque lentos nec mei memores querar?
Tibi, o deorum ductor, indomiti ferent
Centena tauri colla : tibi, frugum potens, 300
Secreta reddam sacra : tibi muta fide

293. *Lucisque pavidos.* Jam tenebris inferorum ita assuetos, ut lucem expavescant refugiantque. Cf. not. ad vers 566.

296. *Unde illum.* Subaudi *sperem* aut *exspectem.* Hæc nonnullis displicuit loquendi formula, locumque vexaverunt, ut lucidius aliquid reponerent. Eos abunde confutavit Gronovius, hoc latine dictum approbans: sic Senec. de benef. III, 36 : *Unde certamen tam optabile, unde tantam felicitatem parentibus, ut fateantur se ipsos filiorum beneficiis impares?* Horat. II, sat. 7 : « Unde mihi lapidem ? quorsum est opus ? unde sagittas»? Vid. etiam Senec. epist. 95. Stat. Silv. I, 2, v. 188.

297. *Dexteram.* Victricem et tot præclaris facinoribus insignitam.

300. *Tauri.* Delrio ex Macrob., Serv. et aliis collegit tauros Jovi immolari vetitum ; itaque Megaram Jovi centena taurorum colla vovere, irrito et illicito voto, eo quod optata non consecutura sit : quemadmodum apud Virg. Æn. III, 21, Æneas cælicolum regi taurum mactat in littore, insolito et infausto ritu, ut secuturo monstro locum faciat. Huic Delrionis opinioni, licet auctoritatibus subnixæ, haud libenter accedam, quum passim in poetis, quod ipsum non latuit, tauri Jovi immolentur, acceptæ et litatæ hostiæ. Ovid. Metam. IV, 752 : « Dis tribus ille focos totidem de cespite ponit, Lævum Mercurio, dextrum tibi, bellica virgo; Ara Jovis media est : mactatur vacca Minervæ, Alipedi vitulus, taurus tibi, summe deorum. » Sil. XV, 252 : «Principio statuunt aras : cadit ardua taurus Victima Neptuno pariter pariterque Tonanti.»Et Noster in Med. 59 :«Primus sceptriferis colla Tonantibus Taurus celsa ferat tergore candido.» — *Frugum potens.* Ceres, Saturni et Opis filia, frugum inventrix : unde spicea corona caput cincta pingitur, et peculiari attributione *alma* appellatur, quia homines alit. Ovid. Am. III, 10, v. 35 : « Diva potens frugum silvis cessabat in altis. » Eleganter *potens* cum genitivo. Vid. Horat. I, od. 3 et 6; III, 25; carm. sæc. v. 1. Virg. Æn. I, 80. Lucan. VI, 485. Liv. VIII, 13; XXIII, 16, etc.

301. *Secreta.* Vid. inf. *muta fide.* — *Reddam sacra.* Debita pro redonato conjuge sacra exsolvam. — Inter illa quæ Græci sacra instituerunt, nulla sanctiora et majoris fa-

Digitized by Google

Longas Eleusi tacita jactabo faces.
Tum restitutas fratribus rebor meis
Animas, et ipsum regna moderantem sua
Florere patrem. Si qua te major tenet 305
Clausum potestas, sequimur : aut omnes tuo
Defende reditu sospes, aut omnes trahe.
Trahes, nec ullus eriget fractos Deus.

mæ exstitisse videntur quam Cereris mysteria. Quæ quidem fuere majora et minora, illa Eleusinia, hæc Thesmophoria nuncupata; majora, Cereri dicata et propria; minora, Proserpinæ et Cereri τῇ θεσμοφόρῳ, id est, quæ prima hominibus leges scripsit. Thesmophoria gradus Eleusiniorum erant, quibus nonnisi post quinquennium initiari licebat. Exacto vero tempore, conventus fiebat, juxta templum, in capaci porticu. Nox eligebatur, incrementum formidinis; et peragebantur initiamenta, arcano terroris apparatu, confusa vocum admurmuratione, et prodigialibus rerum figuris subitisque lucis et noctis vicissitudinibus. — *Muta fide.* Id maxime initiatis præcipiebatur, ne quid revelarent, in sacrorum celebratione visum aut auditum. Quod quanta omnium invidia violaretur, æstimari potest ex illo Horatii loco, III, od. 2, *Vetabo*, etc. Ut per imprudentiam mysteria prodere, sic per fraudem audire, nefas: introitu templi profani prohibebantur; capitis discrimen erat, si hanc legem perfregissent. Ignorantiam vero ne quis prætenderet, per præconem nuntiabatur, recederent impii, scelerati, Epicurei, etc.; tantamque hujus promulgationis auctoritatem fuisse tradunt, ut ea Neronem ipsum ab initiatione submoverit, teste Suetonio, in Ner. 34.

302. *Eleusi. Eleusin* vel *Eleusis*, oppidum maritimum Atticæ, in quo regnavit olim Celeus: qui quum Cererem, terras filiæ quærendæ causa obeuntem, benignissime hospitio recepisset, ab ea rationem omnem agriculturæ edoctus est; in cujus rei memoriam, Cereri templum Eleusi dedicatum est, et solemnia illa sacra instituta, quorum hoc loco Noster meminit. — *Faces.* Scilicet viri et mulieres per vias noctu discurrebant et vagabantur λαμπαδηφόροι, id est, longas faces gerentes manu, in imitationem Cereris, quæ, quum diem totum in investiganda Proserpina consumpsisset, sub vesperum tædas duas ad Ætnæum fornacem accendisse dicitur, ut nec in tenebris a quærendo absisteret. Vid. not. ad vers 660.

303. *Tum restitutas.* Amissis fratribus et patre, solatium saltem orbitatis fore profitetur, si redditum sibi conjugem videat. Conf. Thyest. 1098, et Med. 982.

306. *Sequimur.* Ad superas auras si tibi remeare non detur, tecum in inferos demitti tuis placet; tui te sequimur.

308. *Trahes.* Damnat spes suas Megara, et, subita quasi animi conversione, ad desperationem relabi-

Digitized by Google

AMPH. O socia nostri sanguinis, casta fide
Servans torum natosque magnanimi Herculis, 310
Meliora mente concipe, atque animum excita.
Aderit profecto, qualis ex omni solet
Labore, major. MEG. Quod nimis miseri volunt,
Hoc facile credunt. AMPH. Immo quod metuunt nimis,
Nunquam amoveri posse, nec tolli putant: 315
Prona est timori semper in pejus fides.
MEG. Demersus, ac defossus, et toto insuper
Oppressus orbe, quam viam ad superos habet?
AMPH. Quam tunc habebat, quum per arentem plagam,

tur, et ullum ab ullo deo auxilium sibi adfore negat.

310. *Servans torum.* In Herculem, seu uxorem seu matrem respicias, fida.

312. *Qualis ex omni.* Ex hoc labore, ut solet, evadet major quam, nondum suscepto, fuit: quidquid enim operis aggressus est, novam hactenus gloriæ materiam illi attulit. Mihi videntur erravisse Gallici interpretes, qui locum secus intelligi voluere. *Coupé: Vous le verrez bientôt revenir plus grand qu'après tous ses autres travaux.* Et *Levée*, pressis, ut solet, alterius vestigiis: *Vous le verrez revenir, et, cette fois encore, plus grand qu'après tous ses autres travaux.*

316. *Prona est timori.* Qui timent, ad pejora vero sibi fingenda semper inclinant. Lucan. I, 484: «Sic quisque pavendo Dat vires famæ, nulloque auctore malorum, Quæ finxere timent.» Stat. Theb. III, 5: «Tunc plurima versat Pessimus in dubiis augur timor.»

317. *Defossus.* Optime Gronovius, ad hunc locum, sequentia Senecæ collegit. Consolat. ad Marciam, 2: *Ipsam magnitudinis fraternæ nimis circumlucentem fortunam exosa, defodit se et abdidit.* Consol. ad Polybium, 32: *Quæ* (misericordia Cæsaris) *quum ex ipso angulo, in quo ego defossus sum, complures multorum jam annorum ruina obrutos effoderit, et in lucem eduxerit....* Quæst. natur. V, 15: *Quæ tanta necessitas hominem ad sidera erectum incurvavit, et defodit, et in fundum telluris intimæ mersit*, etc. Hoc addiderim, ex Thyest. 1015: « Nosque defossos tege Acheronte toto. » Sumpsit a Virgilio, ait Gronovius, in Culic. « Defossasque domos ac Tartara nocte cruenta Obsita. »

318. *Superos.* Ubi de inferis agitur, dicuntur *superi* qui in terra et sub sole versantur. Vell. II, 48: *Quam apud superos habuit magnitudinem, illibatam detulisset ad inferos.* Vid. sup. v. 48. Sic apud Græcos οἱ ἄνω.

319. *Arentem plagam*, etc. Describuntur Syrtes, de quibus hæc Delrio: « Syrtes duæ, major minorque, in mari quod Africam Ægypto proximam alluit, fluxu et refluxu pelagi, qui bis quotidie fit, naves ad se tractas (unde et nomen sor-

Digitized by Google

Et fluctuantes more turbati maris 320
Abiit arenas, bisque discedens fretum,
Et bis recurrens; quumque deserta rate
Deprensus hæsit Syrtium brevibus vadis,
Et puppe fixa maria superavit pedes.
MEG. Iniqua raro maximis virtutibus 325
Fortuna parcit : nemo se tuto diu
Periculis offerre tam crebris potest.
Quem sæpe transit casus, aliquando invenit.
Sed ecce sævus, ac minas vultu gerens,
Et qualis animo est, talis incessu venit, 330
Aliena dextra sceptra concutiens Lycus.

LYCUS, MEGARA, AMPHITRYON.

LYC. Urbis regens opulenta Thebanæ loca,

titæ) in cæca et vada, quibus abundant, compellunt : modo enim arenosa sunt loca, modo profundissima, et impetuosis fluctibus cooperta. » Vid. et Sallust. Jugurth. 78. Pomp. Mel. I, 7. Lucan. IX, 303 : « Syrtes, vel primam mundo natura figuram Quum daret, in dubio pelagi terræque reliquit. Nam neque subsedit penitus, quo stagna profundi Acciperet, nec se defendit ab æquore tellus; Ambigua sed sede loci jacet invia sedes, Æquora fracta vadis, abruptaque terra profundo, Et post multa sonant projecti litora fluctus. »

323. *Brevibus vadis.* Virg. Æn. I, 114 : « Tres Eurus ab alto In brevia et Syrtes urget, miserabile visu, Illiditque vadis atque aggere cingit arenæ. »

324. *Puppe fixa.* Navi arenis implicata. — *Superavit pedes.* Quod erat intervalli a captiva navi ad litus, ea relicta, pedibus superavit. — De hoc portentoso Herculis facinore nullum prope alium locutum miror, nisi eo referenda sint quæ de aureo poculo prodiderunt, ab Apolline Herculi dato, et in quo Oceanum ille tranavit. Vid. Apollod. Biblioth. II, 5. Macrob. V, 21.

328. *Quem sæpe*, etc. Postquam haud semel casum effugeris, veniet tamen aliquando, quum te fortuna, quam semper lacessis, opprimet. *Transit* et *invenit* aptissime de *casu* dicta, quippe qui cæcus sit, et neminem sequatur consultoque premat, sed omnes temere aut præteat aut offendat. Senec. quæst. nat. VI, 1 : *Circuit fatum, et si quid diu præterit, repetit.*

330. *Qualis animo est.* Vultu et incessu animi superbiam præferens. Vid. Med. 446; Thyest. 330; Agam. 128; Herc. OEt. 255 et 705.

332. *Urbis regens*, etc. Sensus est:

Digitized by Google

Et omne quidquid uberi cingit solo
Obliqua Phocis, quidquid Ismenos rigat,
Quidquid Cithæron vertice excelso videt, 335
Et bina findens Isthmos exilis freta,
Non vetera patriæ jura possideo domus
Ignavus heres : nobiles non sunt mihi
Avi, nec altis inclytum titulis genus,
Sed clara virtus : qui genus jactat suum, 340
Aliena laudat. Rapta sed trepida manu

Regnum hoc Thebanum, quantum extenditur, non hereditario jure obtineo : parta virtute mea est, quæ tam late patet et tanta regionum spatia complectitur, potestas.

334. *Obliqua Phocis.* Credidere Farn. et Delrio Phocida *obliquam* dici, propter sinuosum litus ; inconsiderato, ut mihi videtur, judicio. Sic intelligendum potius putem, latus Bœotiæ ; qua in Occidentem et Septentrionem procurrit, Phocide oblique cingi ; quam interpretationem ex locorum dispositione facile intuleris. Tres enim Thebani regni partes designavit Seneca ; duas extremas, alteram Phocidi, alteram Atticæ, interjecto Cithærone monte, oblique conterminam ; mediamque tertiam, Ismeno flumine rigatam. — *Ismenos.* Fluvius Bœotiæ, qui Thebas alluit.

335. *Oithæron.* Jugum quod ab Austro in Orientem porrectum Bœotiam ab Attica dividit.—*Videt.* Id est quidquid terrarum a summo Cithærone prospicitur. Lucan. de Apennino, II, 428 : «Longior educto qua surgit in aera dorso, Gallica rura videt, devexasque aspicit Alpes.»

336. *Isthmos.* Corinthiacus seu Achaicus, qui Peloponnesum reliquæ Græciæ connectit : dicitur exilis, ut qui angustiis sex millium Ægæum mare ab Ionio disjungat.

340. *Qui genus*, etc. Senec. ep. 44 : *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus ; nemo in nostram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit nostrum est.* Vid. Juven. sat. VIII ; Sall. Jugurth. 85 ; Senec. ep. 44 ; Ovid. Met. XIII, 140, etc.

341. *Rapta sed*, etc. Sic intellige : Quamvis fortius sit et præclarius potestatem regiam manu sua et propria virtute occupavisse, quam hereditariam accepisse, attamen potestas vi rapta sollicite et anxie possidetur, ense semper tuenda : una potest Megara auctoritatem nostram stabilire et fundare, etc. Errant qui *rapta sed trepida manu* præcedentibus sententiis hoc modo adjungunt : « Qui genus jactat suum, aliena laudat ; at qui sceptrum rapuit, ei laborandum et vigilandum est, ut vi partum vi retineat : » licet enim *trepida manu* pro *periculose* posse accipi contendant et Horatianum hunc locum (III, od. 2) afferant, quo jubetur Romana juventus *trepidis in rebus* agere, verba incassum, ne dicam pejus, trahere et vexare mihi videntur. Quanto

Digitized by Google

Sceptra obtinentur : omnis in ferro est salus;
Quod civibus tenere te invitis scias,
Strictus tuetur ensis : alieno in loco
Haud stabile regnum est : una sed nostras potest 345
Fundare vires, juncta regali face
Thalamisque Megara : ducet e genere inclyto
Novitas colorem nostra. Non equidem reor
Fore ut recuset, ac meos spernat toros :

melius et lucidius, nulla mutata aut detorta voce, hæc intelligi queant! Lycus de rebus suis secum quasi consultat : postquam gloriatus est quod propria virtute regnum assecutus sit, ad contrariam sententiam, dum fortunam suam in utramque partem expendit, conversus, sceptrum raptum aliis nonnisi trepida et incerta manu gestari fatetur : unde ducendam in matrimonium Megaram concludit, quæ sibi titulum quemdam imperandi conferat. Conspirant ad hunc sensum sequentia, et in primis *alieno in loco haud stabile regnum est.*

342. *Obtinentur.* Retinentur, servantur. Cic. Verr. III, 35 : *Ejus omnes res gestas non solum obtinemus, verum etiam propter majorum incommodorum et calamitatum metum publica auctoritate defendimus.* Ernest. in Clav. Ciceron. ad verbum *obtinere* : « *Obtinere provinciam* dicitur, qui consequitur, habet, retinet, ut ex epist. ad Cornific. patet. » Vid. præsertim hanc ad Cornif. epist. 25 : *Mihi enim est assensus senatus de obtinendis provinciis. Nec vero postea destiti labefactare eum, qui summa cum tua injuria contumeliaque reipublicæ provinciam absens obtinebat.*

346. *Fundare.* Confirmare et stabilire. Virg. Æn. VI, 810, *fundare urbem legibus.* — *Regali face.* Quum ad sponsum nupta duceretur, faces præferri mos erat. Nota *regali* : Lycus enim conjugio Megaræ ideo gaudet, quod per illam in ordinem et quasi sanguinem regum adoptari videatur. Vid. inf. not. ad v. 494.

348. *Novitas.* Novi dicebantur qui per se ipsos famam sibi fecerant, nullis majorum honoribus aut facinoribus insignes. Appian. de bello civ. II, 2 : καλοῦσι οὕτω τοὺς ἀφ' ἑαυτῶν, ἀλλ' οὐ τῶν προγόνων γνωρίμους. Tacit. Ann. XIV, 53 : *Inter nobiles et longa decora præferentes, novitas mea enituit.* Vox sumpta ex usu Romanorum et consuetudine, ideoque homini Græco, et priscæ quidem ætatis, male attributa. — *Colorem.* Metaphorice pro ornamento et splendore externo. Sperat enim Lycus se conjugio Megaræ illustrationem et quemdam nobilitatis colorem novitati suæ additurum. In Plaut. Pseud. act. IV, scen. 7, *nullius coloris homo,* pro homine prorsus ignoto, reperitur. — *Colorem ducere,* i. e. trahere et quasi induere. Sic Virgil. Bucol. IX, 49 : « Duceret apricis in collibus uva colorem. » Et per translationem Senec. epist. 108 : *Novimus quosdam, qui multis apud philosophum annis persederint, et ne colorem quidem duxerint.*

Digitized by Google

Quod si impotenti pertinax animo abnuet, 350
Stat tollere omnem penitus Herculeam domum.
Invidia factum ac sermo popularis premet?
Ars prima regni, posse te invidiam pati.
Tentemus igitur : fors dedit nobis locum.
Namque ipsa tristi vestis obtentu caput 355
Velata, juxta præsides adstat Deos,

350. *Impotenti.* Furenti. Cic. de Harusp. resp. 2 : *Nihil feci iratus, nihil impotenti animo.*

352. *Invidia*, etc. At malevoli plebis rumores facinus damnabunt, inquit hoc sibi ipse objiciens Lycus... Damnent; regis est invidiam scire pati. — *Premet.* Nempe urgentur et obruuntur facta nocentium maledictis populi odioque publico. Cic. de Orat. I, 53 : *Quum et invidia et odio populi Galba premeretur*...Tacit. Hist. I, 7: *Inviso semel principe, seu bene, seu male facta premunt.*

355. *Ars prima*, etc. Vid. Œdip. 704. Phœniss. 654. — Hæc sententia non semel a Tragicis nostris usurpata est et malis suasoribus regesque ad prava hortantibus attributa. Sic *Racine*, *Britannicus*, act. IV, scen. 4 :

Hé! prenez-vous, seigneur, leurs caprices pour guides! etc.

Et *P. Corneille*, mort de Pompée, act. I, scen. 1 :

La justice n'est pas une vertu d'état, etc.

355. *Vestis obtentu.* Tristi et apud Euripidem Megara velatur amictu, Herc. fur. 549. Necnon filii ejus, devotæ victimæ, lugubribus vestimentis induuntur et ad mortem ornantur, vers 329. Quapropter redux ab inferis Hercules, suos sacrificio destinari indignatus, exclamat, v. 562 : « Οὐ ῥίψεθ' ᾅδου τάς δε περιβολὰς κόμης; » *Non abjicietis infernos hos vestitus a coma?* Indicium quoque sævissimi doloris erat, velari caput et amictu tegi. In Euripid. eadem trag. 1159, Hercules, quum mentem recepit et per furorem admissa cognovit, offundit peplum capiti, signum intolerandi luctus. Sic et Agamemnon, Euripid. Iphig. in Aulid. 1550. Apud Romanos, hæc erant lugentium mulierum insignia, circumfusa capiti et humeris velamina. Vid. Adam. antiquit. Roman. de *ricinio*, et Cic. de leg. II, 23.

356. *Præsides.* Auxiliatores et defensores. Similiter familiam Herculis ad aram Jovis servatoris supplicem inducit Euripid. apud quem Amphitryon, 48 : « Σὺν μητρὶ, τέκνα μή θάνωσ' Ἡρακλέος, Βωμὸν καθίζω τόν δε σωτῆρος Διός. » Rei et quicumque instanti periculo urgebantur, si ad aras deorum confugissent, ipsa loci reverentia præsentique numine protegebantur, nec jam eis sine piaculo quisquam manum injicere poterat. — Aliter *præsides* intelligit Scaliger, qui hæc in Animadvers. suis : « Non bene capitur hic locus vulgo. *Præsides* vocat deos, quos aliter *præstites*, imitatione Græcorum, qui προστατηρίους ab eadem mente vocarunt. Eorum ara juxta fores posita erat. Hæc est de qua intelligit. » Haud contemnenda interpretatio.

Digitized by Google

Laterique adhæret verus Alcidæ sator.
MEG. Quidnam iste, nostri generis exitium ac lues,
Novi parat? quid tentat? LYC. O clarum trahens
A stirpe nomen regia, facilis mea 360
Parumper aure verba patienti excipe.
Si æterna semper odia mortales agant,
Nec cœptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix paret,
Nihil relinquent bella : tum vastis ager 365
Squalebit arvis; subdita tectis face
Altus sepultas obruet gentes cinis.

357. *Verus*. Innuit Lycus Herculem, divinam stirpem mentitum, non a Jove, sed ab Amphitryone ortum duxisse. Illum igitur Alcidem, i. e. Alcæi nepotem, nuncupat. Non statim ab initio, sed post primos tantum labores suos, filius Jovis et Alcmenæ nominatus est Hercules. M. Porc. Caton. origin. fragment. : «Græci ubicumque nomen Herculis audiunt, putant esse suum, a nomine sumentes argumentum, quum tamen ille neque nomine Libyus, a quo devicti Libyi, sed Alcæus dictus sit, neque dictio Hercules sit Græca, sed Ægyptia; nam illi Heraclio, id est, Junonis gloria, cognomen fuit.»

362. *Si æterna*, etc. Haud incallide a Lyco præmissum. Ille enim ne Megaram, recentibus infortuniis intentam, subita ad conjugium invitatione gravius offendat, incipit longiorum simultatum mala recensendo, unde illa reconciliandæ cum ipso gratiæ necessitatem inferat; nec ante v. 413 conjugii nomen proponitur.—*Agant*. Recte Gruterus hanc vocem *agant* sollicitari vetat, atque in *gerant* mutari, sive ad nominativum *casum*, sive ad accusativum *odia* referas; utramque enim locutionem usitatam et vere latinam esse multa approbant exempla, in quibus Horat. epod. VII, 17, *acerba fata Romanos agunt*. Attamen, quamvis uterque possit recipi sensus, magis arridet mihi posterior, ut qui sæpius in Nostro recurrat : sup. v. 27, « vivaces aget Violentus iras. » Thyest. 179, « questibus vanis agis Iratus.» Herc. Œt. 737, « ipsa tellus spumeos motus agit. »

364. *Sed arma*, etc. Sed semper felicibus infelices ita sint infesti, ut illi semper arma in manibus habeant oporteat, ut vim ab his paratam repellant.

365. *Vastis*. Incultis et vacuis, quia, quæ vacua sunt loca, vasta et majora videntur. Cic. de leg. agrar. II, 26 : *Alterum genus agrorum, propter sterilitatem incultum, propter pestilentiam vastum atque desertum*.

366. *Squalebit*. Virg. Georg. I, 507 : « Squalent abductis arva colonis. »

367. *Altus... cinis*. Coacervatus et in quamdam altitudinem congestus. Virg. Æn. XI, 211 : « Mœren-

Digitized by Google

Pacem reduci velle, victori expedit,
Victo necesse est. Particeps regno veni :
Sociemus animos : pignus hoc fidei cape; 370
Continge dextram. Quid truci vultu siles?
MEG. Egone ut parentis sanguine aspersam manum
Fratrumque gemina cæde contingam? Prius
Exstinguet Ortus, referet Occasus diem;
Pax ante fida nivibus et flammis erit, 375
Et Scylla Siculum junget Ausonio latus;

tes altum cinerem et confusa ruebant Ossa focis. »

368. *Pacem reduci velle*, etc. Sic Tacit. Hist. III, 70 : *Pacem et concordiam victis utilia, victoribus tantum pulchra esse.*

369. *Particeps*. Non Farnabio assentior, qui sic interpretatur, *particeps in conjugium meum.* Si enim Lycus de conjugio loquatur, quid est cur Megara de contingenda tantum dextra respondeat, *Egone ut parentis sanguine*, etc.? et eadem rursus obstupeat, tremiscat, indignetur (v. 414), quasi ad inopinatum novumque flagitium, postquam tyrannus consilium suum aperuit? Intellige tantum, ut voluit Seneca, ambiguo et suspenso sensu, *particeps summæ auctoritatis.* — *Particeps regno* pro *particeps regni*, ut in Ovid. de Pont. II, 5, v. 42, *participem studiis*, quanquam alii legunt *studii.* Quintilian. declam. III, 3, *mater frigoribus ac solibus perusta et in plerisque ruris operibus marito particeps.*

370. *Pignus.* Apud veteres porrecta dextera pignus amicitiæ fuit. Virg. Æn. III, 610 : « Ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus, Dat juveni, atque animum præsenti pignore firmat. »

372. *Egone ut*, etc. Vox admirantis et interrogantis per indignationem, tanquam vix credibile videri debeat, ut, quod petitur, potuisse concedi quisquam speraverit. Sic Terent. Heaut. act. V, scen. 7, v. 6 : MENED. *Da veniam, Chreme : sine te exoret.* — CHREM. *Egone mea bona, ut dem Bacchidi dono sciens? Non faciam.*

373. *Prius.* Poetica denegationis formula, in veteribus poetis crebra et obvia. Vid. Horat. epod. XVI, 25. Ovid. in Ibid. 31; Trist. I, 7, v. 1. Claud. epist. ad Olybr. 13. Propert. III, 17, v. 5. Virg. Bucol. I, 60. Senec. Thyest. 476; Hipp. 568; Herc. OEt. 335 et 1582; Octav. 222.

376. *Et Scylla.* Prius solidescet fretum, et Italiæ Sicilia, ut quondam fuisse perhibent, conjungetur. *Scylla*, scopulus quidam Brutiorum in Italia mulieris formam speciemque utcumque præferens, navigantibus periculosissimus et famosus naufragiis : is Siciliam spectabat, adversus Charybdi, vorticoso juxta Pelorum promontorium gurgiti. Vid. Virg. Æn. III, 420. — *Ausonio*, Italico. Auson, filius Ulyssis et Calypsus, aut Circes, ut placuit Servio

Digitized by Google

Priusque multo vicibus alternis fugax
Euripus unda stabit Euboica piger.
Patrem abstulisti, regna, germanos, larem,
Patriam : quid ultra est? Una res superest mihi, 380
Fratre ac parente carior, regno ac lare,
Odium tui : quod esse cum populo mihi
Commune doleo ; pars quota ex illo mea est?
Dominare tumidus; spiritus altos gere :
Sequitur superbos ultor a tergo deus. 385

ad Æn. VIII, 328, regnavit in ea parte Italiæ, quæ Beneventum et Cales urbes continet : ab ejus nomine hæc primum regio, mox omnis Italia *Ausonia* dicta est.

378. *Euripus.* Fretum inter Eubœam et Bœotiam brevi spatio contractum, cujus stare et quiescere undas inter ἀδυνάτα ponitur, propter assiduam et violentissimam jactationem : Pomp. Mel. II, 7 : *Mare rapidum, et alterno cursu septies die ac septies nocte, fluctibus invicem versis, adeo immodice fluit, ut ventos etiam ac plena ventis navigia frustretur.* Liv. XXVIII, 6 : *Non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat, sed temere in modum venti, nunc huc, nunc illuc verso mari, velut monte præcipiti devolutus torrens rapitur; ita nec nocte nec die quies navibus datur.* Adde Plin. II, 97, et Senec. Troad. 837, et Herc. OEt. 779. *Euripus* communi nomine quodlibet fretum nuncupabatur, in quo fluctus alternis concursibus æstuarent; sed quod Eubœam et Bœotiam interjacet, cæteris turbulentius, per ἀντονομασίαν proprio Euripus nomine appellabatur.

382. *Quod esse*, etc. Dolet Megara quod non sola omnium inimicitiis Lycum persequatur, magnamque odii partem sibi subducat tantæ multitudinis societas. Sententia studiosius accersita nec sinceri splendoris, quum animi affectus, si fiunt multis communes, non ideo singulis minuantur et hebescant, nec prædæ queant comparari, quæ, quo plures sortiuntur, eo paucior unicuique contingit.

385. *Ultor a tergo.* Tibull. I, 10, v. 75 : « Hinc Marathus quondam miseros ludebat amantes, Nescius ultorem post caput esse deum. » — *Deus.* Illud accipiendum contendit Delrio de Nemesi seu Rhamnusia, quæ superbiæ et impietatis pœnas proprio et peculiari munere exigere credebatur (Vid. Ovid. Trist. V, 8, v. 9; Amm. Marcell. XIV, 11). *Deus* igitur pro *Dea* positum arbitratur ex stoicorum sententia, qui deos utriusque sexus singulos putabant. Multa quidem reperias exempla quæ illius sententiam confirment. Virgil. Æn. II, 632 : *Descendo, ac ducente deo*, etc. hoc est *Venere;* et VII, 498 : *Nec dextræ erranti deus abfuit*, hoc est *Alecto.* Q. Catulus apud Cic. de natur. deor. I, 28 : *Mortalis visus pulchrior esse deo*, hoc est *Aurora.* Sic sæpe Græcis non tantum ὁ θεὸς,

Digitized by Google

Thebana novi regna. Quid matres loquar
Passas et ausas scelera? quid geminum nefas,
Mixtumque nomen conjugis, nati, patris?
Quid bina fratrum castra? quid totidem rogos?

sed et ἡ θεὸς dicitur, ut Suidas, ad verb. Ἀδράστεια, ex Antimacho, ἔστι τὶς Νέμεσις μεγάλη θεός. Farnabius contra dubium relinquit Nemesisne an quilibet alius deus, superbiæ ultor, intelligendus hoc loco sit. Nec equidem video cur Nemesim tantum intelligi necesse sit, quum alii dei, et in primis Jupiter et Mars, *ultores* quoque appellentur; Jupiter passim in scriptoribus et poetis, quippe qui summam rerum in manu habeat et malorum juxta bonorumque auctor haberi soleat; Mars, in Sueton. August. 21: *Ut quorumdam barbarorum principes in æde Martis Ultoris jurare coegerit.* Et in ejusd. C. Caligul. 24: *Tres gladios in necem suam præparatos Marti Ultori, addito elogio, consecravit.* Copiose de hoc loco Bapt. Pius, in annotament. c. 70.

386. *Thebana novi regna.* Novi Thebarum regna quam sint funesta occupantibus. Cujus rei Cadmum, Nioben, Laium, Jocastam, OEdipum, Eteoclem ejusque fratrem testes appellat, Lycoque minatur, si in eorum imperium successerit, ipsum in calamitatum quoque hereditatem venturum. Sic apud Stat. XI, 701, OEdipus in Creontem accensus: « . . . . habeas Thebana, regasque Mœnia, quo Cadmus, quo Laius omine rexit, Quoque ego. Sic thalamos, sic pignora fida capessas.» Vid. etiam Nostri Phœn. 648.

387. *Passas et ausas.* Quæ infanda admiserint aut passæ sint, scilicet Agaven, quæ filium Pentheum interfecerat (Vid. Phœniss. 17; OEdip. 616); Ino, filiam Cadmi et Hermiones, Athamantis uxorem, quæ quum Phrixum et Hellen, ejusdem Athamantis, sed ex alia uxore, filios interficere voluisset, illo ultionem minitante et parante, mare fuga petierat et in fluctus cum Melicerta filio se præcipitaverat (Vid. Ovid. Metam. IV, 416 et seqq.); Nioben, de qua inf. 390; Jocastam, quæ postquam intellexit se nupsisse filio, sibi ipsa violentas manus attulit. (Vid. Nostri OEdip.) — *Geminum nefas.* OEdipi, qui et patrem interfecit, et matrem in matrimonium duxit.

388. *Mixtumque*, etc. Vid. Phœniss. 134. Agam. 35.

387. *Quid bina*, etc. Mortuo OEdipo, filii ejus Eteocles et Polynices alternis vicibus suo quemque anno regnaturum pacti sunt. Prior regnavit Eteocles; sed, exacto anno, imperium dimittere noluit. Itaque Polynices, Adrasto aliisque ducibus in fratrem concitatis collectoque exercitu, Thebas obsidione cinxit. Post varias utrinque cædes, fratres singulari certamine congressi, alter ab altero confossi ceciderunt. Vid. Nostri Phœniss. Stat. Thebaid. Æschyl. Sept. ad Theb. — *Totidem rogos.* Binos ex uno; nam quum germanorum cadavera in eodem rogo posita fuissent, flamma repentino divortio in duas partes discessit; suprema odii significatio, quod nec

Digitized by Google

Riget superba Tantalis luctu parens, 390
Mœstusque Phrygio manat in Sipylo lapis.
Quin ipse torvum subrigens crista caput

morte fratrum restinctum fuisset. Stat. Theb. XII, 429 : « Ecce iterum fratres : primos ut contigit artus Ignis edax, tremuere rogi, et novus advena bustis Pellitur : exundant diviso vertice flammæ, Alternosque apices abrupta luce coruscant. Pallidus Eumenidum veluti commiserit ignes Orcus, uterque minax globus, et conatur uterque Longius. Ipsæ etiam commoto pondere paulum Secessere trabes. »

390. *Riget superba Tantalis.* Niobe, Tantali filia, unde dicta *Tantalis*, septem filiorum, ut inter plures constat, totidemque filiarum mater, superbia et repentina orbitate famosa. Liberorum numero et uteri fecunditate elata, recens Latonæ gemelliparæ numen aspernari ausa est, et publice coli vetuit. Quum ultionis curam Latona Apollini et Dianæ delegavisset, hæc filias, ille filios Niobes sagittis transfixerunt. Tanta et tam inopina calamitate perculsa, mater, præ dolore muta et stupida, in saxum diriguisse narratur. Vid. Hygin. fab. 9. Ovid. Metam. VI. Senec. Œdip. 613 ; Med. 954 ; Agam. 374. De interpretatione hujus fabulæ, consule Palæphatum de incredibil. 9. Cic. Tuscul. III, 26 : *Niobe fingitur lapidea propter æternum, credo, in luctu silentium.*

391. *Mœstus... manat.* Dicebatur lacrymari lapis in quem transformata fuerat Niobe. Sic Callimach. hymn. Apollin. v. 22 : « Καὶ μὲν ὁ δακρύοεις ἀναβάλλεται ἄλγεα πέτρος, Ὅστις ἐνὶ Φρυγίῃ διερὸς λίθος ἐστήρικται, Μάρμαρον ἀντὶ γυναικὸς οἰζυρόν τι χανούσης. » Ovid. Metam. VI, 312 : « Liquitur, et lacrymas etiamnum marmora manant » — *Phrygio.... Sipylo.* Scilicet hoc fabulæ Niobes additum est, illam, in lapidem versam, venti turbine raptam fuisse in Sipylum, Lydiæ montem. Ovid. Metam. VI, 310 : « Flet tamen, et validi circumdata turbine venti In patriam rapta est. » Sipylus autem Phrygius dicitur, propter magnæ Phrygiæ vicinitatem, Lydis conterminæ. Solebant enim poetæ antiquissimam aut celeberrimam gentem inter multas eligere, cujus nomine populos omnes finitimos et sub eodem cælo degentes complecterentur. Sic Græci apud poetas modo Achæi, modo Argivi, etc., collectivo nomine, appellantur. Stat. Silv. V, 3, v. 87, *Phrygium silicem* scripsit, quod de lapide in quem versa fertur Niobe accipiendum putat Forcell. lexic. ad vocem *Phrygius.*

392. *Subrigens crista caput.* Quum Cadmus ex oraculo cognovisset, calamitates quam gravissimas nepotibus suis imminere, ultro in exsilium profectus, aut, si credatur aliis, pulsus subjectorum seditione, in Illyriam cessit cum Harmonia conjuge, et uterque in anguem ibi versus est. *Subrigens.* Attollens. Sic de benef. V, 15, et quæst. natur. I, præfat. *subrectis vexillis*, et VI, 4, *subrigit plana ;* de ira, I, 1, *subriguntur capilli*, et II, 2, *subriguntur pili.* Virg. Æn. IV, 183, *tot subrigit aures.*

Digitized by Google

Illyrica Cadmus regna permensus fuga,
Longas reliquit corporis tracti notas.
Hæc te manent exempla. Dominare, ut lubet, 395
Dum solita regni fata te nostri vocent.
LYC. Agedum, efferatas rabida voces amove,
Et disce regum imperia ab Alcide pati.
Ego, rapta quamvis sceptra victrici geram
Dextra, regamque cuncta sine legum metu, 400
Quas arma vincunt, pauca pro causa loquar
Nostra. Cruento cecidit in bello pater?
Cecidere fratres? arma non servant modum,
Nec temperari facile, nec reprimi potest
Stricti ensis ira; bella delectat cruor. 405

393. *Illyrica*. Illyria, regio ampla post sinum Adriaticum, inter Tergestum oppidum et Macedoniam posita, Liburniamque et Dalmatiam complectens.

394. *Longas reliquit*. Stat. Theb. II, 291 : « Illyricos longo sulcavit pectore campos. »

398. *Et disce*. Disce ab Hercule servire regibus ? quoties enim ille Eurysthei mandatis in suscipiendis laboribus obtemperavit !

399. Hoc habeas pro modestiæ meæ experimento, quod, quum victor sim, nec jam legum religione obligatus, ad defensionem oratione descendam, et me purgare coram te non dedigner.

402. *Cruento*, etc. Quidquid sibi oppositurum Megaram prævidet Lycus, ipse per industriam præoccupat, et, quoad licet, refellit. « Mihi exprobrabis, inquit, cæsos patrem et fratres? Sed, inter hunc belli civilis tumultum, militis ad cædem præcipitis impetum nemo coercere queat. Si rursus objicias patrem tuum pro servando regno suo, nos vero pro alieno invadendo pugnavisse, cogita non jam ad pugnandi causas, sed ad ipsum belli eventum, respiciendum esse, nec quis justius arma sumpserit æstimandum, sed quis felicius. » Idem expressit Lucan. VII, 260 : « . . . hæc acies victum factura nocentem est. » Et Noster in Hipp. 598 : « Honesta quædam scelera successus facit. »

403. *Arma non*, etc. Sil. II, 21 : « . . . notum quid cæde calentibus armis, Quantum iræ liceat, motusve quid audeat ensis. »

405. *Stricti ensis ira*. Sil. VII, 343 : « At socii renovant tela, arentemque cruorem Ferro detergent, et dant mucronibus iras. » Sed quæ in Silio audax tantum est locutio, eadem in Nostro bene callida et felicissimæ subtilitatis est, quippe quæ dimicantium furorem et impotentiam ad ensem ipsum quasi transferat, ut minuatur belli invidia. Sic in Racin. Androm. act. I, scen. 2, Pyrrhus fatales et cæcas pugnarum furias

Digitized by Google

Sed ille regno pro suo, nos improba
Cupidine acti? quæritur belli exitus,
Non causa. Sed nunc pereat omnis memoria :
Quum victor arma posuit, et victum decet
Deponere odia. Non ut inflexo genu 410
Regnantem adores, petimus : hoc ipsum placet,
Animo ruinas quod capis magno tuas.
Es rege conjux digna : sociemus toros.
MEG. Gelidus per artus vadit exsangues tremor.
Quod facinus aures pepulit? Haud equidem horrui, 415
Quum pace rupta bellicus muros fragor
Circumsonaret; pertuli intrepide omnia :
Thalamos tremisco; capta nunc videor mihi.
Gravent catenæ corpus, et longa fame
Mors protrahatur lenta, non vincet fidem 420

causatur, cur tam multa in capta incensaque Troja inhumane admissa fuerint, partemque crudelitatis victoriæ et nocti imputat.

La victoire et la nuit, plus cruelles que nous,
Nous excitaient au meurtre et confondaient nos coups, etc. etc.

411. *Adores*. Vox ducta ex *ad* et *os*, quia mos fuit venerantibus dexteram ad os referre. Amm. XXI, 7, *adorare purpuram principis* dixit, quia qui principem adibant dextera manu purpuream ejus vestem proni contingebant et admovebant ori. Inde pro quolibet modo corporis per venerationem aut obsequium demittendi *adorari* usurpatum est. Hoc tamen discriminis salutationem inter et adorationem fuit, quod summa tantum corporis parte salutabatur, adorantibus vero corpus humi sternebatur, sive more Persarum proni ad terram procumberent manibusque post tergum reductis humum fronte ferirent, sive genu tantum flecterent. Justin. XII, 7 : *Non salutari, sed adorari se jubet...Accerrimus inter recusantes Callisthenes fuit : quæ res et illi et multis principibus Macedonum exitio fuit; siquidem sub specie insidiarum omnes interfecti. Retentus tamen est a Macedonibus mos salutandi regis, explosa adoratione.*

412. *Ruinas quod capis*. Hoc mihi placet, quod fortunæ tuæ ruinas intrepido feras animo. *Capis* pro *subis*, *perfers*, ut in Liv. V, 20, *invidiam capere apud aliquem ex prodiga largitione*. Eleganter *ruinas* per translationem dictum. Cic. Catil. I, 6 : *Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis idibus senties.*

419. *Gravent*, etc. Sed quæcunque in me supplicia adhibeantur, nihil contra conjugii fidem admittere mihi certum est : moriar, at moriar, o conjux, tua.

420. *Mors protrahatur*. Vita mihi lente adimatur.

Digitized by Google

Vis ulla nostram : moriar, Alcide, tua.
LYC. Animosne mersus inferis conjux facit?
MEG. Inferna tetigit, posset ut supera assequi.
LYC. Telluris illum pondus immensæ premit.
MEG. Nullo premetur onere, qui cælum tulit. 425
LYG. Cogere. MEG. Cogi qui potest, nescit mori.

422. *Animosne*, etc. Hic orditur concisum quoddam et abruptum dialogi genus, sæpe et poetis Græcis usurpatum, ut videre est in Æschyl. Suppl. 302, Pers. 717; Sophocl. OEdip. tyr. 1017, Elect. 1179, Antig. 745; Eurip. Iphig. in Aulid. 697, Iphig. in Taurid. 494; et alibi. Scilicet intellexerant Græci, incorrupti naturæ imitatores, aptius esse et colloquentium usui propius, præsertim accensis animis et in acriorem affectum concitatis, si singuli pauca vicissim subjicerent, quam si multa, uno tenore nec quidquam aliis interponentibus, dissererent. At nonnulli, et in primis Euripides, hanc dicendi formam, per se probabilem, interdum corrupere, tum diutius eam producendo, tum accuratiori symmetria concinnando: alternis enim versibus conversantes induxerunt et sententiam sententia verbumque verbo, quasi per ludum, prementes. Hoc arripuere vitium, Græcorum in pejus imitatores, et Seneca et nostri poetæ qui, ineunte decimo septimo sæculo, antiquam Melpomenem Gallicis pulpitis intulere. Nec eo plane caruit, artis dramaticæ apud nos restitutor et vere parens, *P. Corneille*, sicut ipse mira ingenuitate confessus est in censura comœdiæ quæ inscribitur *la Suivante*. Sæpius tamen eum haud infelicem in hac brevioris dialogi ratione adhibenda judicaveris : vid. *Le Cid*, act. I, scen. 6, et act. II, scen. 2; *Polyeucte*, act. II, scen. 6, act. IV, scen. 3, act. V, scen. 3. Vid. et *Racine*, non in tragœdiis quas ad imitationem Cornelii curiosius accommodavit, sed in illis quas, jam maturo ingenio judicioque, ex se ipso extulit et pro natura sua disposuit et adornavit, *Britannicus*, act. III, scen. 8; *Iphig. en Aulide*, act. II, scen. 2; *Athalie*, act. II, scen. 7.

425. *Cælum tulit*. Dicitur enim Hercules, quum de aureis Hesperidum malis potiundis laboraret, pollicente auxilium Atlante, vicariam ferendi cæli vicem suscepisse. Vid. supra v. 69, et Herc. OEt. 1905. Claudian. de Raptu Proserp. II, præf. 45, et de Laud. Stilich. I, 143.

426. *Cogi qui potest*, etc. Sententia Stoica. Sic Herc. OEt. 443 : « Contempsit omnes ille, qui mortem prius. » Stob. (in fol. p. 174) : Ὁ δὲ πρὸς θάνατον οὕτως ἔχων (id est qui mortem non modo non timeat, sed et ejus amore ducatur), τί ἂν ἄλλο τῶν δοκούντων δεινῶν καταπτήξειε ; Virg. Æn. IV, 604 : « Quem metui moritura? » Senec. Consol. ad Helv. 13 : *Si ultimum diem non quasi pœnam, sed quasi naturæ legem aspicis, ex quo pectore mortis metum ejeceris, in id nullius rei timor audebit intrare*. Vid. et Quæst. Natur. II, 59, VI, 32; de Prov. 6, et passim.

Digitized by Google

LYC. Effare, thalamis quod novis potius parem
Regale munus? MEG. Aut tuam mortem, aut meam.
LYC. Moriere demens. MEG. Conjugi occurram meo.
LYC. Sceptrone nostro potior est famulus tibi? 430
MEG. Quot iste famulus tradidit reges neci!
LYC. Cur ergo regi servit, et patitur jugum?
MEG. Imperia dura tolle, quid virtus erit?
LYC. Objici feris monstrisque, virtutem putas?
MEG. Virtutis est domare, quæ cuncti pavent. 435
LYC. Tenebræ loquentem magna Tartareæ premunt.
MEG. Non est ad astra mollis e terris via.

427. *Effare*, etc. « Dic mihi quodnam regale munus offerre tibi possim, quod tibi potius præstantiusque videatur, quam novæ nuptiæ? » Possis quoque sic interpretari: « Dic mihi, quodnam munus in his novis nuptiis, quas celebrare apparo, dari tibi cupias, fidei vinculum? » Sponsus enim solebat uxori aliquid dono dare, quod *munus nuptiale* vocabatur. Vide Cic. pro Cluent. 9.

433. *Imperia dura tolle*. Dictum generaliter; si tollantur tyranni et dura eorum imperia, quam habebit virtus elucendi materiam? Senec. de Prov. 4: *Calamitas virtutis occasio est*. Docet Epictet. in Arrian. I, 6, immanitate imperantis datum Herculi exercendæ virtutis locum.

434. *Objici feris*. Incipit Lycus facta Herculis elevare. Confer cum Euripid. Herc. fur. 158 et sqq., ubi Amphitryoni per injuriam objectat Lycus Herculem contra feras tantum fortem fuisse, cæteris in rebus timidum et imbellem; hoc quoque partem esse ignaviæ, quod eminus pugnet et arcu utatur.— Falso Farnab., ut Lyci sententiam explanet, feras aggredi potius temeritatis et audaciæ quam veræ virtutis proprium scribit; nam Lycus ne temeritatem quidem, quæ cæca effrenataque et inconsulta fortitudo est, Herculi concessisse vult videri. Contra asserit non esse digna, quæ virum animosum exerceant, ferarum pericula; itaque Megara *virtutis esse domare quæ cuncti pavent*, et Amph. v. 455, *primum sagittas Phœbi imbuisse draconem*, reponunt. In Euripide, ex quo scena hæc fere tota sumpta est, Lycus Megaram per ironiam interrogat, gestumne præclare putet, quod maritus palustrem hydram interfecerit, aut Nemeæum leonem retibus captum strangulatione exstinxerit? Vid. infra not. ad vers. 454.

436. *Loquentem magna*. Id est ferocem, superbia elatum. Sic apud Ovid. Metam. XIII, 222, Ulysses, Ajacis vaniloquentiam increpans, « Non erat hoc nimium nunquam nisi magna loquenti ».

437. *Ad astra*. Vulgo *ire ad astra* pro *deorum potentiæ et felicitatis in partem venire* accipitur: notandum tamen hanc locutionem in plerisque locis proprie et sine translatione di-

Digitized by Google

LYC. Quo patre genitus cælitum sperat domos?
AMPH. Miseranda conjux Herculis magni sile:
Partes meæ sunt, reddere Alcidæ patrem, 440
Genusque verum: post tot ingentis viri
Memoranda facta, postque pacatum manu
Quodcunque Titan ortus et labens videt,
Post monstra tot perdomita, post Phlegram impio
Sparsam cruore, postque defensos deos, 445
Nondum liquet de patre? mentimur Jovem?
Junonis odio crede. LYC. Quid violas Jovem?
Mortale cælo non potest jungi genus.
AMPH. Communis ista pluribus causa est deis.
LYC. Famuline fuerant ante quam fierent dei? 450
AMPH. Pastor Pheræos Delius pavit greges.

ci; omnibus enim abunde notum, eos sidera factos fuisse, qui apud Veteres in numerum deorum adoptati sunt; unde mythologia originem ab arte astronomica ducere dicta est. Vid. Virg. Georg. I, 32, et Æneid. IX, 641; Ovid. Metam. XV, 838; Lucan. I, 45; Stat. Theb. I, 25; Claudian. Tert. Consul. Honor. 172, etc. etc.

438. *Quo patre genitus.* Cælum intrare nonnisi heroibus concessum, i. e. aut patre divino, aut divina matre procreatis. Lycus autem, ut sup. dictum, v. 357, Jovis cum Alcmena concubitum et divinum Herculis genus pro fictis et commentitiis habet.

444. *Phlegram.* Juxta Phlegram, urbem Macedoniæ, vallis fuit, in qua gigantes olim cum cælestibus pugnam conseruisse, et ab illis, Herculis ope, victi fuisse narrantur. Cf. Euripid. Hercul. fur. 177. Ovid. Metam. X, 150. Stat. Theb. II, 595.

447. *Junonis odio crede.* Scilicet Juno, ut sup. dictum, v. 36, dum nimis sæva imperaret Herculi, Jovem huic patrem esse approbabat.

449. *Communis*, etc. Plures enim ex illis qui nunc Olympum obtinent dei, misto mortalium ac immortalium semine, ut Hercules, nati sunt; Apollo ex Jove et Latona, Mercurius ex Jove et Maia, etc. etc.

451. *Pastor Pheræos Delius.* Quum Jupiter, querente fratre Plutone quod Æsculapius vitam Hippolyto reddiderit, et legibus imperii sui obstiterit, intempestivum medicatorem fulmine percussisset, Apollo filii necem male ferens, Cyclopas fulminis fabricatores telis confixit: quam ob rem cælo pulsus, exsul ad Admetum regem Thessaliæ venit, et ejus greges per novem annos pavit; unde postea consueverunt pastores eum invocare, præcipuum et quasi sibi proprium numen. *Pheræos*, a Pheris, Thessaliæ oppido. *Delius.* Cognomen Apollinis, du-

Digitized by Google

LYC. Sed non per omnes exsul erravit plagas.
AMPH. Quem profuga terra mater errante edidit.
LYC. Num monstra, sævas Phœbus aut timuit feras?
AMPH. Primus sagittas imbuit Phœbi draco. 455
LYC. Quam gravia parvus tulerit, ignoras, mala?

ctum a Delo insula, in qua natus erat, vel a δῆλος, *clarus*, quia sol omnia radiis illustrat.

453. *Errante*. Vid. supra not. ad v. 15.

454. *Timuit*. Corruptum hunc locum putat Badenius, in Specim. (1798) p. 51, quod ad Lyci objurgationem minime Amphitryon respondeat, nec timoris diluat crimen, sed draconem ab Apolline interfectum tantum memoret; aliud esse si Hercules feras timuerit, aliud si Apollo feras vicerit, et illud male per hoc excusari; non autem posse ad vers. 45 provocari, ubi *pro telis gerit quæ timuit et quæ fudit*, quod Herculis virtutem et audaciam minime deprimat, quippe qui ea fuderit quæ nemo non primo aspectu horreat paveatque: nec ad v. 792, ubi de Hercule et Cerbero, *uterque timuit*, quod sublime verbis pariter atque sententia judicat, quum poeta Herculem suum ab omni sensu alienum esse non voluerit, sed eo admiratione digniorem fecerit, quod non posuerit extra humanitatem: itaque sublato *timuit*, subrogandum *attrivit* Badenius opinatur. Duo possunt afferri ad vulgatæ lectionis defensionem et interpretationem loci. 1° Lycus, laudum Herculis et gloriæ obtrectator, quidquid ille præclare gessit, relatione et verbis imminuit, nec pugnasse tantum cum feris, sed feras timuisse probri causa memorat: sic sup. v. 434, eum *objici feris*, tanquam prædam inermem et pavidam, dictum est pro *cum feris committi*, et ita committi, ut non restiterit tantum, sed tulerit victoriam. 2° Quum tamen sensus non in *timuit*, sed in prælio cum feris, versetur, et hoc præsertim contendat Lycus, scilicet digladiari cum feris infra dei dignitatem esse, Amphitryon convicium obiter et in transcursu missum silentio præterit, ad capitale argumentum conversus, sicut sup. v. 435, omissa quæ in voce *objici* continetur exprobatione, hoc tantum Megara refutat quod ad concertationem cum feris pertinet.

455. *Draco*. Python, serpens immanis magnitudinis, quem ex recenti Deucalionei diluvii cœno natum, Juno in insectationem fugientis Latonæ immisit. Vix autem in insula Delo Apollo in lucem prodiit, quum Pythona sagittis confixit, et Pythios ludos in memoriam victoriæ instituit. Ad teneram ætatem dei, quo tempore serpentem occidit, alludens Stat. Theb. VI, 9: « Apollineæ bellum puerile pharetræ. » Et Lucanus, V, 80: « . . . adhuc rudibus Pæan Pythona sagittis Explicuit. »

456. *Parvus*, etc. Ignoras quam gravia puer adhuc Hercules mala tulerit? Cui vix nato pugna fuit cum serpentibus. Ante Gruterum, hæc aliter et minus commode intelligebantur; quæ enim v. 455 sequuntur, Amphitryoni sine diverbio attribui jubebat vulgata et recepta ab

Digitized by Google

AMPH. E matris utero fulmine ejectus puer,
Mox fulminanti proximus patri stetit.
Quid? qui gubernat astra, qui nubes quatit,
Non latuit infans rupis exesæ specu? 460
Sollicita tanti pretia natales habent,

omnibus lectio. De qua re sic a Gronovio disseritur: «Hæc pars responsionis, qua Lycum monstra et feras exprobrantem confutat Amphitryo, quamvis Bacchum ingerat, prorsus est ἀπροσδιόνυσος. Quod enim Bacchus utero matris ejectus fulmine, quod infans Jupiter vix patris dentibus subductus, nihil ad certamen cum monstris et feris. Habet Gruterus, quod fidenter glorietur hos versus ante ipsum intellectos non esse. Nihil verius quam quod monuit, hunc esse Lyci versum, nova contradictione objicientis tam exercitam infantiam superis genito non convenire. Scilicet oblitus es quæ pertulerit Hercules et infans? Regerit Amphitryo exempla Bacchi et Jovis, ex quibus constat sollicita pretia tantos habere natales, et ingentem nobilitatem ingenti cum discrimine conjunctam. In vulgata nihil cohæret: quod sensit Delrio; sed inutiliter versus transponit.»

457. *Fulmine ejectus puer.* Bacchus. Quum enim Semele, ex Jove gravida, ab illo flagitasset, Junonis inducta dolo, ut sibi se videndum daret, ea ipsa qua Junonem adibat majestate, Jupiter, sacramento prius obligatus, miseræ sese obtulit fulguribus et flammis circumcinctum, quibus ipsa et palatium ejus conflagravere: sed Jupiter abortivum fetum servari curavit et femori suo inseruit, donec, maturo tempore, Bacchus exiit in lucem. Vid. Ovid. Metam. III, 260, et Euripid. Bacch. 91.

458. *Mox fulminanti*, etc. Fertur enim Bacchus, in bello deorum cum gigantibus, in leonem se transformasse, et invadentes cælum aut deturbavisse aut terruisse, genitore, ad accendendam virtutem augendumque robur, succlamante *Evohe, Evohe*, unde vox illa in Bacchanalibus sacra postea et ritualis habita est.

460. *Non latuit infans.* Titanus, Urani filius natu major et propior heres, quum intellexisset matrem sororesque suas fratri Saturno magis favere, cæli regnum ei concessit, ea lege, ne prolem masculinam Saturnus educaret. Hic igitur filios, quotquot sibi nascebantur, devorabat. At uxor ejus Rhea Jovem subduxit, et lapidem pannis involutum pro partu conjugi tradidit: infans autem Jupiter in antro quodam Idæi montis occultatus et altus est. Pomp. Mel. II, 7: *Inter colles, quod ibi nutritum Jovem accepimus, fama Idæi montis excellit.* Vid. Virg. Georg. IV, 152; Ovid. Fast. V, 112, aliosque vel mythologos vel poetas.

461. *Sollicita....pretia.* Id est, pretia curis et periculis exsolvenda. *Sollicita* enim sæpe dicuntur quæ sollicitos faciant, et curis aut discriminibus exerceant animos: sic Cic. de Amicit. 15: *In tyrannorum vita omnia semper suspecta atque sollicita.* Horatius, II, sat. 6, v. 78:

Digitized by Google

Semperque magno constitit, nasci deum.
LYC. Quemcunque miserum videris, hominem scias.
AMPH. Quemcunque fortem videris, miserum neges.
LYC. Fortem vocemus, cujus ex humeris leo 465
Donum puellæ factus, et clava excidit,
Fulsitque pictum veste Sidonia latus?
Fortem vocemus, cujus horrentes comæ
Maduere nardo? laude qui notas manus
Ad non virilem tympani movit sonum, 470

« ... si quis laudat Arelli Sollicitas ignarus opes.» Seneca, Hipp. 518 : « Sollicito bibant Auro superbi.» — *Natales*. Avi, majores. Tacit. Hist. II, 86 : *Cornelius Fuscus, vigens ætate, claris natalibus*. Juvenalis VIII, 231 : « Quis, Catilina, tuis natalibus, atque Cethegi, Inveniet quicquam sublimius? »

464. *Quemcunque fortem*, etc. Seneca, Epist. 92 : *Ita miser quidem esse, qui virtutem habet, non potest.*

465. *Cujus ex humeris*, etc. Hercules enim, Omphales Lydorum reginæ amore accensus, positis clava leonisque spolio, colos tractavit et muliebri ornatu femineam minervam exercuit. Interea Omphale, pharetram et leonis pellem induerat, Herculique genas sandalio percutiebat, ejus imperitiam in torquendis fusis castigans. Ovid. Fast. II, 318 : « Cultibus Alciden instruit illa suis. Dat tenues tunicas Gætulo murice tinctas..... Ipsa capit clavamque gravem spoliumque leonis, etc. » Vid. etiam Heroid. IX, et Nostri Herc. OEt. 371.

467. *Fulsitque pictum*, etc. Inter muliebria fuere, tum pictæ aut purpureæ vestis affectatio, tum unguentorum usus et mitrarum usurpatio et pulsatio tympanorum. Ovid. Metamorph. III, 554, de Baccho : « Quem neque bella juvant, nec tela, nec usus equorum; Sed madidus myrrha crinis mollesque coronæ; Purpuraque et pictis intextum vestibus aurum. » Virg. Æn. IX, 614, Numanus eadem Phrygibus exprobrat quæ Lycus Herculi : « Vobis picta croco et fulgenti murice vestis.... Et tunicæ manicas et habent redimicula mitræ. O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.... Tympana vos buxusque vocant Berecynthia matris Idææ; sinite arma viris et cedite ferro. » — *Veste Sidonia*. Purpurea. Ovid. Trist. IV, 2, v. 27. Virg. Æn. IV, 137. Mart. XIV, 154.

469. *Nardo*. De nardo vid. Plin. XII, 12, et XIII, 2. Crines autem ungere exquisitum habebatur et luxuriosum. Vid. Cic. pro Sextio, 8; Catil. II, 3; Horat. II, od. 3, v. 13, et od. 7, v. 22.

470. *Ad non virilem tympani*. Tympanum in sacris præsertim Cybeles et Bacchi adhibebatur, et ideo semiviris et mulieribus proprium erat. Vid. Ovid. Metam. III, 537, et IV, 29; Fast. IV, 342. Unde Justin. vocat *instrumentum luxuriæ*, XXX, 1, et, per translationem, Quintil. V, 12.

Digitized by Google

Mitra ferocem barbara frontem premens?
AMPH. Non erubescit Bacchus effusos tener
Sparsisse crines, nec manu molli levem
Vibrare thyrsum, quum parum forti gradu
Auro decorum syrma barbarico trahit. 475

Nos qui oratorem studemus effingere, non arma, sed tympana eloquentiæ demus, id est, genus dicendi molle, nervis carens, et ad solam voluptatem compositum. De tympani figura cf. Sueton. in August. 68; Euripid. Bacch. 124; Stat. Theb. II, 78, et VIII, 221.

471. *Mitra*. Ovidiana Dejanira, Heroid. IX, 63: «Ausus es hirsutos mitra redimire capillos.» *Mitra* vocabatur fascia quædam longa, qua Lydi, Phrygii, Syri, Persæ, etc. pro capitis tegumento utebantur. Recte igitur barbara dicitur. Apud Romanos inter virorum effeminatorum insignia ponebatur, ut quæ ab Asiaticis, gentium omnium delicatissimis, venerit. Virg. Æneid. IV, 215: «Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu, Mæonia mentum mitra, crinemque madentem Subnixus.» Claudian. in Eutrop. II, 182. «Mentitoque ferox incedens barbara gressu... Inque orbem tereti mitra redimente capillum Struxerat.» Cic. de Harusp. resp. 21: *P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis, purpureisque fasciolis, a strophio, a psalterio, a flagitio, a stupro, est factus repente popularis*. Adde Mart. II, 36; Lucr. IV, 1119; Juven. III, 66.

472. *Non erubescit Bacchus*. Bacchus enim inter omnes mollis et delicatus habebatur. Illi sacra fuere, quæcunque ad imponendam Herculi labem Lycus enumeravit, tympana scilicet, unguenta, mitræ, etc. Ovid. Metam. IV, 391. Stat. Theb. IX, 795; Achilleid. I, 616, et II, 41. Euripid. Bacch. 819 et sqq., et rursus 925 et sqq. — *Tener*. Id est mollis, solutus, pronus ad delicias. Juven. XII, 49: «...vestem Purpuream teneris quoque Mæcenatibus aptam.» Ovid. Amor. lib. III, 2, v. 53: «Ruricolæ Cereri teneroque adsurgite Baccho.»

473. *Sparsisse crines*. Euripides, Bacch. 150, τρυφερὸν πλόκαμον εἰς αἰθέρα ῥίπτων et 235, ξανθοῖσι βοστρύχοισιν εὔκοσμος· κόμην et 240, ἀνασείοντά τε κόμας.

474. *Vibrare thyrsum*. Thyrsus erat hasta frondibus viteis, hederaceis aut pampineis implicata. Ovid. Metam. III, 666, de Baccho: «Ipse racemiferis frontem circumdatus uvis, Pampineis agitat velatam frondibus hastam.» Vid. et Euripid. Bacch. 240, et passim in eadem tragœdia. — *Parum forti gradu*. Incerto et titubanti propter vinolentiam. Claud. de Raptu Proserpinæ, I, 19: «Ebria Mæonius firmat vestigia thyrsus.»

475. *Auro....barbarico*. Cf. cum Æn. II, 604. — *Syrma*. Vestis prælonga et sinuosa, amplissima pone lacinia in modum caudæ producta. Noster in Œdip. 423: «Et sinus laxi fluidumque syrma.» Prudent. in Psychom. 362: «Ut tener incessus vestigia syrmate verrat, Sericaque infractis fluitent ut pallia membris.» — *Trahit*. Optime dictum de syrmate, cui nomen a σύρω, *traho*.

Digitized by Google

Post multa virtus opera laxari solet.
LYC. Hoc Euryti fatetur eversi domus,
Pecorumque ritu virginum oppressi greges.
Hoc nulla Juno, nullus Eurystheus jubet:
Ipsius hæc sunt opera. AMPH. Non nosti omnia. 480
Ipsius opus est, cæstibus fractus suis
Eryx, et Eryci junctus Antæus Libys;

476. *Laxari.* Remitti et recreari quiete. Cic. in Brut. 93 : ... *laxaret judicum animos, atque a severitate paullisper ad hilaritatem risumque traduceret.* Seneca, de Tranquill. 15 : *Cato vino laxabat animum curis publicis fatigatum.*

477. *Euryti.* Refert Hyginus in fabulis Herculem, quum petiisset ab Euryto, OEchaliæ rege, filiam Iolen in matrimonium, et ab illo repudiatus fuisset, OEchaliam expugnavisse, et, ut a virgine rogaretur, parentes ejus coram ipsa se interfecturum denuntiavisse; illam autem, pertinaciorem animo, parentes suos ante se necari potius perpessam, quam Herculi volens se permitteret. De Euryti nece et clade domus suæ, vid. Nostri Herc. OEt. 100, 173 et sqq., 207 et sqq. Si quis miretur de facinore mentionem a Lyco fieri, quod nonnisi post Lycum interfectum, ut patet ex Herc. OEt. et Sophoclis Trachin., patratum est, meminerit non præter consuetudinem accidere, ut Seneca tempora confundat; sic in hac ipsa tragœdia, v. 14, Tyndaridas nondum mortuos, in cælum tamen illatos indignatur Juno. Cæterum consule quæ notavimus in Animadversionibus nostris de varietate lectionum.—*Hoc fatetur.* Dixit Amphitryon virtuti opus esse laxamento; reponit per ironiam Lycus, hoc confirmari tum indigna Euryti et suorum cæde, tum quinquaginta virginum compressione; quæ quidem virtutis et roboris experimenta edere a nemine Hercules jussus erat.

478. *Pecorumque ritu.* Liv. III, 47 : *Placet pecudum ferarumque ritu promiscue in concubitus ruere?* — *Virginum oppressi greges.* Thespius, Teuthrantis, Mysiæ regis, filius, quinquaginta filias genuerat, quas omnes unus una nocte gravidas fecisse Hercules traditur. Ovid. Heroid. IX, 51 : « Nec tibi crimen erunt, Teuthrantia turba, sorores, Quarum de populo nulla relicta tibi. » Stat. Silv. III, 1, v. 42 : « ..... qualemque vagæ post crimina noctis Thestius obstupuit toties socer. » Thestius idem est ac Thespius. Vid. Nostri Herc. OEt. 369.

481. *Cæstibus fractus suis.* Eryx, Butæ et Veneris filius, advenas omnes ad cæstus provocabat victosque perimebat. Superatus est ab Hercule, eo ipso prælii genere, quo se supra cæteros excellere arbitrabatur, et cæstu occisus. Virgilius Æneid. V, 361, Erycem *deum* appellat, scilicet ut filio Veneris et Æneæ fratri honorem præstet.

482. *Antæus.* Neptuni et Terræ filius, qui ad quadragesimum cubitum excreverat. Is arenas Libyæ

Digitized by Google

Et qui hospitali cæde manantes foci
Bibere justum sanguinem Busiridis.
Ipsius opus est, vulneri et ferro obvius, 485
Mortem coactus, integer Cygnus, pati :

obtinebat, et si quem transeuntem prospexisset, hunc ad colluctationem adactum corporis mole opprimebat; Neptuno enim ex humanis capitibus templum voverat. Hercules, quem lacessiverat, eum ter afflixit humi; sed frustra: nam Terra suo filio, quoties illam tetigerat, vires sufficiebat novas. Sublatum igitur in aera et a contactu terræ distractum, Hercules brachiorum compressu exanimavit. Ovidius in Ibid. 393 : « ... jacet Aonio luctator ab hospite pressus, Qui (mirum) victor, quum cecidisset, erat. » Cf. Lucan. IV, 593 et seqq. — *Libys.* Stat. Theb. VI, 893 : « Herculeis pressum sic fama lacertis, Terrigenam sudasseLibyn,quum fraude reperta Raptus in excelsum, nec jam spes ulla cadendi, Nec licet extrema matrem contingere planta. »

483. *Et qui hospitali*, etc. Busiris, Ægypti tyrannus, Antæi frater, hospites omnes suis immolare diis solebat. Hygin. fab. 31 : ..., *Busiridem in Ægypto* (occidit Herc.), *qui hospites immolare solitus erat. Hujus legem quum audiit, passus est se cum infula ad aram adduci. Busiris autem quum vellet deos imprecari, Hercules eum clava,ac ministros sacrorum interfecit.* Adde Ov. Metam. IX, 182. — *Cæde manantes.* Liv. I, 59, *cultrum manantem cruore* scripsit. — *Foci* pro *aræ*, ut apud Ov. Met. IV, 752; de arte amand. I, 638; Fast. IV, 935. Virg. Georg. III, 4 : « Quis aut Eurysthea durum, Aut illaudati nescit Busiridis aras? » Vid. et Stat. Silv. III, 1, v. 31.

484. *Bibere...sanguinem.* Maduere sanguine. Virg. Æn. XI, 804. — *Justum.* Juste effusum; ut in Liv. I, 13, *sanguine nefando*, pro sanguine per nefas effuso. Ovid. in Ibid. 399: « Frater ut Antæi, quo sanguine debuit, aras Tinxit, et exemplis occidit ipse suis. »

485. *Vulneribus et ferro obvius.* Qui vulneribus et ferro obvium se ferebat, contra hæc securus propter robur et pugnandi peritiam.

486. *Cygnus.* Martis et Pelopiæ filius, qui hospites ad pugnam provocatos mactabat: cum Hercule congressus, ab illo interfectus est. Euripid. Herc. fur. 391 : « Κύκνον δὲ ξενοδαΐκταν Τόξοις ὤλεσεν, Ἀμφαναίας οἰκήτορ' ἄμικτον. » — Admissa Florentini codicis lectione, qua *integer Cygnus* pro *ante Geryonem* scribitur, de ipsius lectionis sensu cum Gronovio contendere ausim. *Integrum* enim pro *invulnerabili* male accipi opinor; quæ vox pro *invulnerato* tantum, ut optime notavit Badenius, adhibenda sit. Opponitur *integer* superioribus verbis *ferro obvius* : Cygnus enim pericula et mortem lacessebat et ex omni tamen certamine evadebat *integer;* tantum robur illi fuit! Haud inutiliter dictum, quum inde inferatur quanta virtute animi et firmitate corporis opus Herculi fuerit, ad istum vincendum occidendumque. Adde quod nullibi in mythologis reperia-

Digitized by Google

Nec unus una Geryon victus manu.
Eris inter istos; qui tamen nullo stupro
Læsere thalamos. LYC. Quod Jovi, hoc regi licet:
Jovi dedisti conjugem, regi dabis. 490
Et te magistro non novum hoc discet nurus,
Etiam viro probante, meliorem sequi.
Sin copulari pertinax tædis negat;
Vel ex coacta nobilem partum feram.

tur invulnerabilem Cygnum illum fuisse, qui ab Hercule interemptus est. Videtur Gronovius de eo per errorem accepisse, quod de Cygno Neptuni filio, Achillis manu occiso, plerique tradiderunt, et in primis Ovid. Metam. XII, 64 et sqq.

487. *Nec unus.* Geryon *non unus* dicitur, ob tria capita corporaque. Vid. not. ad vers. 232.

488. *Eris inter istos*, etc. Eadem ac isti ab Hercule experieris, qui non modo istorum scelera imitaris, sed, inauso cæteris facinore, thalamos stupro violare paras.

490. *Jovi dedisti conjugem.* Ironice dictum : nam Jovis et Alcmenæ concubitum pro vana et superba fabula a Lyco habitum supra vidimus (v. 357).

491. *Et te magistro.* Quum Alcmena, conjux tua, Jovi juncta fuerit, discat Megara posse a marito suo ad meliorem diverti; eo magis exemplo tuo inducta, quod Jovem tui matrimonii collegam fuisse et probes et glorieris.

493. *Tædis.* Vid. not. ad v. 346.

494. *Nobilem partum.* Lycus, sicut jam antea notavimus, legitimam familiam ideo tantum in partem amissæ potestatis revocare meditatur, ut imperium suum confirmet et prisci regni jura in se transferat. Intelligit enim non ante securum sibi regnum fore, quam publica odia exstincta fuerint prolis ortu, quæ utrique stirpi media, adversas partes communitate sanguinis et æterna regnandi societate conciliet. Sic *P. Corneille*, *Héraclius*, act. I, scen. 2, Phocantem inducit nuptias filii sui cum filia occisi imperatoris Pulcheria imperantem : quam ubi precibus frustra tentavit, ad minas, ut Lycus in Nostro, convertitur :

...Enfin, Madame, il est temps de vous rendre :
Le besoin de l'État défend de plus attendre;
Il lui faut des Césars; et je me suis promis
D'en voir naître bientôt de vous et de mon fils.
.....
.....si votre orgueil s'obstine à me haïr,
Qui ne peut être aimé, se peut faire obéir.

Non alienum a re nostra fuerit quædam ex his referre quæ respondet Pulcheria; quibus optime, ut Phocantis, sic Lyci consilia explicantur:

Tu ne me rends mon bien que pour te le donner.
Tu veux que cet hymen, que tu m'oses prescrire,
Porte dans ta maison les titres de l'empire,
Et de cruel tyran, d'infame ravisseur,
Te fasse vrai monarque et juste possesseur.

P. Corneille Senecæ ingenio gaudebat, nec semel illius vestigia implevit. Confer et quæ loquitur Polyphontes, quem ad Lyci et Phocantis similitudinem expressit *Voltaire*, *Mérope*, act. I, scen. 4 :

Digitized by Google

MEG. Umbræ Creontis, et Penates Labdaci, 495
Et nuptiales impii Œdipodæ faces,
Nunc solita nostro fata conjugio date.
Nunc, nunc cruentæ regis Ægypti nurus,
Adeste, multo sanguine infectæ manus.
Deest una numero Danais : explebo nefas. 500

J'ai besoin d'un hymen utile à ma grandeur,
Qui détourne de moi le nom d'usurpateur,
Qui fixe enfin les vœux de ce peuple infidèle,
Qui m'apporte pour dot l'amour qu'on a pour elle.

Et act. IV, scen. 1 :

Mais ce n'est pas son cœur, c'est sa main que je veux.
Telle est la loi du peuple ; il le faut satisfaire.
Cet hymen m'asservit et le fils et la mère,
Et par ce nœud sacré, qui la met dans mes mains,
Je n'en fais qu'une esclave utile à mes desseins.

495. *Umbræ Creontis.* Poeticum, pro *umbra Creontis.* Ovid. Metam. IX, 410 : « Vultibus Eumenidum matrisque agitabitur umbris. » — *Penates Labdaci.* Labdacus, rex Thebanorum, Laii pater, cujus domum ac Penates invocat Megara, tanquam antiqui regis, posteros omnes et infausta regum Thebanorum fata repræsentantis. Vid. sup. v. 386.

496. *Œdipodæ.* Œdipodes, idem ac Œdipus. Claudian. in Eutrop. I, 289 : « Œdipodes matrem, natam duxisse Thyestes Cantantur. » Vid. Nostri Œdip.

497. *Nunc solita*, etc. Locum sollicitavere Gronovius et Baden. in Specim. Sed quid opus conjecturis? Sensum optime explanat Farnab., *nuptiis meis coactis date calamitates nostro generi accidere solitas.* Non referendum *solita* ad *conjugio ;* sed ita distinguenda oratio est : *date, adsignate huic meo conjugio fata quæ domum nostram premere solent.* Verum *Solita* nulla sensus offensione absolute dici potest, quum nemo non statim videat quo spectet et pertineat.

498. *Nunc, nunc,* etc. Danai filiæ, dictæ Danaides, quinquaginta fuere. Ægyptus, qui totidem filios genuerat, Danaum rogavit liberorum suorum conjugio utramque domum sociarent. Quum vero Danaus ab oraculo fore accepisset ut a generis occideretur, filias ad perimendos prima nocte conjuges impulit. Paruerunt omnes, excepta Hypermnestra ; ideoque illas imprecatur Megara, tanquam impiarum uxorum patronales umbras, petitque ut ejusdem patrandi facinoris audaciam sibi inspirent. — *Cruentæ.* Gronovius opinatur legendum *cruenti regis,* quia sequenti versu hoc idem occurrit, *sanguine infectæ.* Sed fastidium etiam jure moveant hæc conjuncta verba *cruenti regis Ægypti.* Præterea, cur Ægyptus cruentus diceretur, quum Danaus sit qui cædem jusserit? Hoc discrimen inter *cruentæ* et *infectæ sanguine* est, quod prior vox idem ac *sævæ, barbaræ* significet et de Danaidum animis intelligenda sit ; posterior contra habitum earum exprimat et imaginem effingat, fidelius percipiendam oculis et plenius hauriendam.

500. *Deest una*, etc. Scilicet Hypermnestra ; quæ Lynceo conjugi pepercit. De illa Horat. III, od. 11, v. 31 : « Impiæ sponsos potuere du-

Digitized by Google

LYC. Conjugia quoniam pervicax nostra abnuis,
Regemque terres, sceptra quid possint, scies.
Complectere aras, nullus eripiet deus
Te mihi; nec, orbe si remolito queat
Ad supera victor numina Alcides vehi. 505
Congerite silvas : templa supplicibus suis
Injecta flagrent; conjugem et totum gregem
Consumat unus igne subjecto rogus.
AMPH. Hoc munus a te genitor Alcidæ peto,
Rogare quod me deceat, ut primus cadam. 510
LYC. Qui morte cunctos luere supplicium jubet,

ro Perdere ferro. Una de multis face nuptiali Digna, perjurum fuit in parentem Splendide mendax, etc.» Vide etiam Ovidium Heroid. XIV. Herc. Œt. 948 : «Vacat una Danais; has ego explebo vices.» Nec adeo absimile illud Euripid. in Phœniss. 1667 : «ANT. Ἡ γὰρ γαμοῦμαι ζῶσα παιδὶ σῷ ποτέ; KPE. Πολλή σ'ἀνάγκη · ποῖ γὰρ ἐκφεύξῃ λέχος; ANT. Νὺξ ἄρ'ἐκείνη Δαναΐδων μ'ἕξει μίαν.»

502. *Terres*. Minis et imprecationibus terrere tentas.

504. *Remolito*. Ovid. Metam. V, 354, de Typhœo : «Sæpe remoliri luctatur pondera terræ, Oppidaque et magnos evolvere corpore montes.» Adde Stat. Theb. X, 527; Senecæ Quæst. Natur. VI, 13.

505. *Supera....numina*. Superas auras. Vid. supra not. ad vers. 276, et inf. v. 586.

506. *Congerite silvas*. Hoc servis et famulis a Lyco imperatum. Sic apud Euripid. 240 : « Ἄγ', οἱ μὲν Ἑλικῶν', οἱ δὲ Παρνασσοῦ πτύχας Τέμνειν ἄνωχθ' ἐλθόντας ὑλουργοὺς δρυὸς Κορμοὺς · ἐπειδὰν δ'εἰσκομισθῶσιν πόλει, Βωμὸν πέριξ νήσαντες ἀμφήρη ξύλα, Ἐμπίπρατ' αὐτῶν, καὶ πυροῦτε σώματα Πάντων. Legibus cautum erat ne quis ab aræ complexu abstraheretur; frustra, quum religio, si visum fuisset, posset eludi. Modo obstruebantur valvæ tectisque nudabantur ædes, ut qui confugerant in templum, a nemine quidem tacti et violati, fame tamen et cæli inclementia exstinguerentur. Vid. Corn. Nep. Pausan. 5. Modo templis ignis admovebatur, ut miseri aut conflagrarent cum ædibus, aut incendii metu pulsi in satellitum manus decurrerent. Hæc enim suppliciorum genera sic æstimabantur, quasi supplices, non ab hominibus, sed a deis expugnati et oppressi fuerint. Cf. et Euripid. Androm. 256; Plaut. Most. act. V, scen. I, v. 65.

507. *Injecta flagrent*. Deflagratione et ruina templi obruantur supplices, et omnes uno velut rogo crementur.

509. *Hoc munus*, etc. Euripid. 321 : « Μίαν δὲ νῶν δὸς χάριν ἄναξ ἱκνούμεθα · Κτεῖνόν με, etc.

511. *Qui morte cunctos*, etc. Sen-

Digitized by Google

Nescit tyrannus esse : diversa irroga;
Miserum veta perire, felicem jube.
Ego, dum cremandis trabibus accrescit rogus,
Sacro regentem maria votivo colam. 515
AMPH. Proh numinum vis summa, proh cælestium
Rector parensque, cujus excussis tremunt
Humana telis, impiam regis feri
Compesce dextram ! Quid deos frustra precor?
Ubicunque es, audi, nate. Cur subito labant 520
Agitata motu templa? cur mugit solum?

tentia quæ multis et Nostro in primis multum placuit. Vid. Phœniss. 100; Thyest. 248; Troad. 1175; Med. 19 et 1018; Agam. 994, etc. Tacit. Ann. XII, 20 : *Servaret exsulem; cui inopi quanto longiorem vitam, tanto plus supplicii fore.* Adde Senec. de Benef. II, 5. Euripid. Troad. 632; Heraclid. 595. Ovid. Trist. III, 8, v. 39. Hæc Suetonius in Tiber. 61 : *Mori volentibus vis adhibita viuendi : nam mortem adeo leve supplicium putabat, ut, quum audisset unum ex reis, Carvilium nomine, anticipasse eam, exclamaverit : « Carvilius me evasit ». Et in recognoscendis custodiis, precanti cuidam pœnæ maturitatem respondit : « Nondum tecum in gratiam redii ».*

515. *Regentem maria.* Neptunum. Sacrificat Neptuno Lycus, non quod iste, ut nonnulli tradidere, ab illo genus ducat; facile enim ex vers. 338 et seqq. inferas, fabulæ, qualem adoptavit Seneca, repugnare, si Lycum a diis ortum putaveris : sed Neptuno, numinum omnium sævissimo, et plerorumque qui immanitate innotuerunt, Polyphemi, Amyci, Antæi, Busiridis, etc. genitori, apte a tyranno et sanguinem sitiente sacrificatur. — *Votivo.* Multi, in quibus Farnab. et Gallici interpretes, putant hic agi de sacrificio quod se facturum antea voverat Lycus. Sed nihil in tota tragœd. de hoc promisso sacrificio reperias; seu quando, seu quam ob causam promissum fuerit requiras. Quin potius intelligimus Megaram et ejus liberos Neptuno sacrificari, et, dum eorum mors paratur, ire Lycum ad aram dei, ut eum precetur oblatas et *devotas* victimas pro gratis acceptisque habeat? Hoc enim sæpissime sensu et *votivus* accipitur, nullo ad præterita respectu, sed tantum ut deus vota supplicantium secundet. Ovid. Amor. III, 12, v. 9 : « Accipit ara preces votivaque thura piorum. » Addit nostræ sententiæ fidem, quod in MSS. et omnibus ante Gronovium libris, non *colam*, sed *rogem* legatur, et nonnisi de precibus et votis in posterum factis *rogem* intelligi queat.

518. *Humana.* Loca hominibus habitata. — *Telis.* Id est, fulminibus.

520. *Cur subito labant*, etc. Cf. Herc. Œt. 1128.

Digitized by Google

Infernus imo sonuit e fundo fragor.
Audimur : est, est sonitus Herculei gradus.

CHORUS THEBANORUM.

O fortuna viris invida fortibus,
Quam non æqua bonis præmia dividis! 525
Eurystheus facili regnet in otio :
Alcmena genitus bella per omnia
Monstris exagitet cæliferam manum;
Serpentis resecet colla feracia;
Deceptis referat mala sororibus, 530
Quum somno dederit pervigiles genas
Pomis divitibus præpositus draco.
Intravit Scythiæ multivagas domos,

525. *Non æqua bonis.* Hæc gallice reddidere *Coupé* et *Levée*, tanquam eadem essent ac *quam inæqualiter bona inter mortales dividis!* omiserunt *bonis*, i. e. *virtute et sanctitate præstantibus viris.* Sic intelligendum opinor : « O fortuna, viris fortibus invida, quam injusta et immerita illis præmia rependis! » — *Dividis.* In distributione præmiorum bonis impertiris.

526. *Regnet in otio.* Ellipsis. « Quam immerita, inquit, bonis præmia impertiris, quæ Eurystheum tyrannum facili in otio regnare jubeas, Herculem vero per omnia bella manum exagitare, etc. » Non tamen putandum hæc esse Fortunæ verba, ut affirmavit *Bothe.*

528. *Cæliferam manum.* Humeris, non manibus, cælum tulisse Herculem Lipsius disputat, nec dubitat ideo *teliferam* substituere. Huic nemo assensit. Non meminerat Lipsius ipsum scripsisse Senecam inf. v. 1101, de Hercule : « Mundum solitos Ferre lacertos.... » Et Herc. Œt. 1243 : « Has ego opposui manus Cælo ruenti. » Accedit quod sensus omnis hujus loci in vocum *cæliferam* et *monstris* oppositione contineatur : profitetur chorus quam sibi videatur indignum, eum qui deos tulit, ad ferarum et monstrorum stragem retrahi et quasi demitti.

529. *Serpentis*, etc. Hydræ. Vid. not. ad vers. 240.

530. *Deceptis..... sororibus.* De fabula Hesperidum vid. not. ad vers. 257.

533. *Intravit Scythiæ mult.* Quum Amazonibus bellum intulit, quæ circa Caucasum Scythicum habitabant. Stat. Theb. IV, 393 : « Æternis potius me, Bacche, pruinis Trans et Amazoniis ululatum Caucason armis..... » — *Multivagas*

Digitized by Google

Et gentes patriis sedibus hospitas;
Calcavitque freti terga rigentia, 535
Et mutis tacitum litoribus mare.
Illic dura carent æquora fluctibus;
Et, qua plena rates carbasa tenderant,

domos. Scythæ stabiles sedes non habebant: quum enim eorum vita omnis in pascendis gregibus versaretur, loca alia ex aliis petere cogebantur ut mutarent pabula, Herodot. IV, 46: « Τοῖσι γὰρ μήτε ἄστεα μήτε τείχεα ἢ ἐκτισμένα, ἀλλὰ φερέοικοι ἐόντες, πάντες ἵππωσι ἱππότοξόται, ζώοντες μὴ ἀπ' ἀρότου, ἀλλ' ἀπὸ κτηνέων, οἰκήματά τέ σφι ἢ ἐπὶ ζευγέων, etc. etc. Adde Justin. II, 2; Curt. VII, 15; Plin. IV, 12; Horat. III, od. 24, v. 9; Sil. III, 291, etc, etc. — *Scythia* communi nomine dicebatur quidquid regionum a Ponto in Septentrionem extendebatur. Justin. II, 2: *Scythia autem in Orientem porrecta includitur ab uno latere Ponto, et ab altero montibus Riphæis; a tergo Asia et Phasi flumine. Multum in longitudinem et latitudinem patet.*

534. *Patriis sedibus hospitas.* Quia Scythæ huc illuc cursitantes non hereditaria prædia, more cæterarum gentium, incolunt, et hospites advenæque regiones adeunt quas majores obtinuere. Sententiam Seneca, ut solet, exacuit, aliena et contraria verba *patriis* et *hospitas* sociando. Similiter Claudianus, de Laud. Stilich. III, 155: « Veluti patriis regionibus utitur hospes. » Cic. Academ. Quæst. I, 3: *Nos in nostra urbe peregrinantes errantesque, tanquam hospites*, etc.

535. *Calcavitque freti.* Ponti Euxini. Vid. not. ad vers. 540. Ovid. Trist. III, 10, v. 37: « Vidimus ingentem glacie consistere Pontum. ..... Nec vidisse sat est: durum calcavimus æquor, Undaque non udo sub pede summa fuit. » *Terga rigentia.* Ovid. de Ponto, I, 3, v. 13: « ..... Ubi frigore constitit Ister, Dura meant celeri terga per amnis equo. » Adde ex eodem, IV, 7, v. 7; et 9, v. 85. Non dubium est quin Nasonem ante oculos Seneca habuerit, quo neminem melius potuit imitari, in hujus descriptione regionis, quam ille decem circiter annos exsul incoluit.

536. *Et mutis tacitum.* Cujus non sonant fluctus in litora, inclusi glacie. Harum vocum *mutis* et *tacitum* alterutra sensui satisfacere videri queat; sed has repetere et conjungere prope in consuetudinem romanis poetis venit. Lucan. I, 247: « Et tacito mutos volvunt in pectore questus. » Sil. XV, 615: « Et muta elabi tacito jubet agmina passu. » Ovid. Metam. IV, 433, et VII, 184, *muta silentia.* Virg. Æn. II, 255: « Tacitæ per amica silentia lunæ. » Sup. v. 301: « Tibi muta fide longas Eleusi tacita jactabo faces. » etc. etc.

537. *Illic dura carent.* Ovid. Trist. III, 10, v. 45: « Et quamvis Boreas jactatis insonet alis, Fluctus in obsesso gurgite nullus erit. »

538. *Et, qua plena rates.* Ovid

Digitized by Google

Intonsis teritur semita Sarmatis.
Stat pontus vicibus mobilis annuis, 540

Trist. III, 10, v. 31 : « Quaque rates ierant, pedibus nunc itur, et undas Frigore concretas ungula pulsat equi, Perque novos pontes subterlabentibus undis, Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves. » Vid. etiam Trist. III, 12, v. 29. — *Carbasa tenderant.* Rates carbasa explicuerant plena et contenta ventis ; sic Med. 320 : « Nunc lina sinu tendere toto. »

539. *Intonsis.* Incultis et priscam morum asperitatem retinentibus populis, plerumque mos fuit crinem intonsum gerere, ut veteribus Romanis, docente Ovidio, Fast. II, 30, et VI, 264. Vid. Tacit. de mor. German. 31 et 38. Nonnulli hic *intonsis Sarmatis* accipiunt, tanquam diceretur *indomitis et libertatis avidis*, quod majus et ardentius vigeat studium libertatis apud eas gentes quæ nondum barbariem exuerunt. Hæc interpretatio longius petita et supervacaneæ subtilitatis est. Confirmatur exemplis Senecam ad incultum tantummodo corporis habitum respexisse. Ovid. Trist. V, 7, v. 13 : « Sarmaticæ major Geticæque frequentia gentis Per medias in equis itque reditque vias..... Vox fera, trux vultus, verissima Martis imago ; Non coma, non ulla barba resecta manu. » Ibid. v. 50 : « Oraque sunt longis horrida tecta comis. » Trist. V, 10, v. 32 : « Pellibus et longa tempora tecta coma. » Adde de Pont. IV, 2, v. 2. — *Sarmatis.* Sarmatæ in finibus Scythiæ positi, nonnunquam nomine Scytharum, ut Sarmatarum nomine Scythæ, appellabantur. Vastissima hæc regio a Ponto in tractus septentrionales et in Asiam porrecta, innumeras diversasque complexu suo continebat gentes, quas, communi *barbarorum* appellatione junctas permixtasque, Romani nunc Scythas, nunc Sarmatas, nunc Gelones, etc. etc. nuncupabant. Ovid. de Pont. II, 2, v. 95 : « At mihi Sauromatæ pro Cæsaris ore videndi. » Et infr. v. 112 : « Eximat ut Scythici me feritate loci. » Vid. passim in ejusdem Trist. et de Pont.

540. *Pontus.* Delrio, glaciale mare ; Farnabius, septentrionale ; *Coupé* et *Levée, la mer Baltique.* Nulli eorum auscultandum arbitramur, 1° quia nullis monumentis constat Herculem eo loci pervasisse ; 2° quia Amazones, quas bello persecutus est Hercules, circa Caucasum tantummodo et Euxinum mare versabantur ; 3° quia manifesta est Ovidii imitatio, et quæ de *rigentibus freti tergis* et *tacito mari* et *mobili ponto* scribit Seneca, mire congruunt cum Ovidiana Ponti descriptione. Vid. superiores notas. Distinguunt quoque *Coupé* et *Levée* mare, quod putant esse *la mer Baltique*, et fretum, quod interpretantur *le détroit du Sund.* Frustra, quum *fretum* et pro mari ipso sæpe numero dicatur, ut in Ovid. de Pont. II, 2, v. 2 : « Pulsus ad Euxini Naso sinistra freti » ; nisi malis intelligere Bosphorum Cimmerium, qui Mæotidem Paludem et Pontum Euxinum interjacet. — *Vicibus...annuis.*

Digitized by Google

Navem nunc facilis, nunc equitem pati.
Illic quæ viduis gentibus imperat,
Aurato religans ilia balteo,
Detraxit spolium nobile corpori,
Et peltam, et nivei vincula pectoris, 545
Victorem posito suspiciens genu.
Qua spe præcipites actus ad inferos,
Audax ire vias irremeabiles,
Vidisti Siculæ regna Proserpinæ?
Illic nulla Noto, nulla Favonio 550

Ovidius exsilii sui annos similiter computat et digerit. Trist. V, 10, v. 1 : « Ut sumus in Ponto, ter frigore constitit Ister, Facta est Euxini dura ter unda maris. »

541. *Navem nunc*, etc. Virgil. Georg. III, 362 : « Undaque jam tergo ferratos sustinet orbes, Puppibus illa prius, patulis nunc hospita plaustris. » — *Facilis....pati.* Lucan. II, 460, *terror facilis vertere mentes*, et X, 310, *facilis cedere*. Vid. et Val. Flacc. IV, 723. Stat. Theb. I, 607. Sil. XII, 163.

542. *Illic quæ viduis.* Hippolyte vel Antiopa. Vid. not. ad vers. 245.

543. *Aurato*, etc. Ovid. Metam. IX, 188 : «...vestra virtute relatus Thermodontiaco cælatus balteus auro. »

544. *Spolium nobile.* Et quia auro cælatum erat, et quia a Marte acceptum. Apollod. II, 5 : Εἶχε δὲ Ἱππολύτη τὸν Ἄρεος ζωστῆρα, σύμβολον τοῦ πρωτεύειν ἁπασῶν. Unde id potissimum jussi laboris tropæum et pignus ab Hercule petiit Eurystheus.

545. *Peltam.* Parvum scutum, in cornua falcatum : *lunata* igitur pelta Virgilio dicitur, Æneid. I, 490, et Nostro, Hipp. 402. Propria quidem fuit Amazonibus. Vid. Ovid. de Pont. III, 1, v. 96. Sil. II, 80. Mart. IX, 104. Claudian. in Fescenn. de nupt. Honor. 33. Virg. Æn. XI, 663. Nostr. Agam. 218, et alibi.—*Nivei vincula pectoris.* Hoc intelligendum videtur de lorica, seu thorace. Scilicet exuit Hippolyte omne instrumentum pugnandi, et posito genu se victam confessa est.

547. *Præcipites actus. Præcipites ad inferos actus* pro *præceps actus ad inferos*, per hypallag.

548. *Audax ire.* Vid. Horat. I, od. 3, v. 25. Propert. IV, 5, v. 13. Lucan. VII, 246.

549. *Siculæ.* Sicula dicitur Proserpina multiplicem ob causam. Scilicet 1° in Siculis arvis a Plutone rapta est. 2° Mater ejus Ceres Siciliam cæteris terris anteposuisse narratur, ibique prima artis aratoriæ documenta hominibus dedisse. 3° Sicilia a Jove tributa Proserpinæ in dotem cessit. 4° Denique volunt nonnulli Proserpinam in Sicilia natam, ex Cerere et rege Sicano. Cf. not. ad v. 660.

550. *Favonio.* Vulgo Favonii lau-

Digitized by Google

Consurgunt tumidis fluctibus æquora.
Non illic geminum Tyndaridæ genus
Succurrunt timidis sidera navibus.
Stat nigro pelagus gurgite languidum;
Et, quum Mors avidis pallida dentibus 555
Gentes innumeras Manibus intulit,
Uno tot populi remige transeunt.
Evincas utinam jura feræ Stygis,
Parcarumque colos non revocabiles!
Hic, qui rex populis pluribus imperat, 560

dantur lenitas et tepor: in hoc Senecæ loco, pro vento tantum ab Occasu flante accipiendus est.

552. *Geminum Tyndaridæ genus.* Castor et Pollux, quos Jupiter ex Læda, Tyndari uxore, genuit: in cælum translati sunt. Vid. not. ad vers. 14. — Hoc autem loco non intelligenda sunt ipsa cæli sidera quæ *Gemini* nominantur, sed igniculi quidam, in mediis tempestatibus aera pervolitantes, et summitate mali aut velorum insidentes, quos Castoris et Pollucis sidera nautæ appellabant: si gemini apparuerant, secundo gaudebant omine navigantes; si unus tantum, pejora augurabantur. Senec. quæst. natur. I, 1: *In magna tempestate apparent, quasi stellæ velo insidentes. Adjuvari se tunc periclitantes existimant Pollucis et Castoris numine.* Ad quem locum, *Lagrange: Les nautonniers leur donnaient le nom de Castor et de Pollux, quand il y en avait deux, et celui d'Hélène, quand il n'y en avait qu'un: ils regardaient les premiers comme un présage favorable, parce que Castor et Pollux avaient purgé la mer de brigands; et le second comme sinistre, parce que l'enlèvement et la navigation d'Hélène furent la source d'une guerre cruelle. Sénèque devait observer deux choses. La première, que ces feux se trouvent au nombre de plus de deux; on en voit quelquefois en grand nombre attachés aux voiles, aux mâts, aux cordages: c'est ce qu'on appelle le feu St. Elme. La seconde, que leur apparition est un signe très-équivoque, puisqu'elle est quelquefois suivie d'un retour de tempête plus violent encore que la première attaque.* Adde Plin. II, 37. Horat. III, od. 29, v. 62.

557. *Remige.* Charonte, de quo vid. Virg. Æn. VI, 298.

558. *Jura feræ Stygis.* Virg. Georg. IV, 479: « .... tardaque palus inamabilis unda Alligat, et novies Styx interfusa coercet. »

560. *Rex populis*, etc. Pluto *pluribus* populis imperare dicitur, utpote qui gentium omnium umbras sub ditione teneat: eum vocat Seneca, in Herc. Œt. 560, *turbæ ducem majoris.* Defuncti Græcis absolute appellabantur οἱ πλείονες, quod nec Romanis insolens fuisse patet ex Plaut. Trinum. act. II, scen. 2, v. 12: « Lacrymas hæc mihi, quum

Digitized by Google

Bello quum peteres Nestoream Pylon,
Tecum conseruit pestiferas manus,
Telum tergemina cuspide præferens :
Effugit tenui vulnere saucius,
Et mortis dominus pertimuit mori. 565
Fatum rumpe manu : tristibus inferis
Prospectus pateat lucis, et invius
Limes det faciles ad superos vias.
Immites potuit flectere cantibus

video, eliciunt, quia ego ad hoc genus hominum duravi : quin prius Me ad *plures* penetravi ? »

561. *Nestoream Pylon.* Pylum, urbem in Messenia, aut Elide, a Neleo, Nestoris patre, conditam. Quum ille Herculis iras in se concitavisset (qua de causa incertum; non enim Hyginum Seneca secutus est, narrantem, fabula 31, Neleum ab Hercule occisum, quod noluerit eum lustrare aut purgare, uxoris Megaræ et filiorum Therimachi et Ophitis cæde contaminatum), Alcides Pylum expugnavit, Neleumque et ejus filios, excepto Nestore, trucidavit. Vid. Homer. Iliad. XI, 689 et sqq. Odyss. XI, 280 et sqq. Ovid. Metam. XII, 549.

562. *Tecum conseruit.* Quo enim certamine Hercules Neleum et suos vicit, fertur Pluto Pyliis auxilium tulisse et ab Hercule vulnus accepisse. Paucis de hoc Alcidis cum Plutone congressu mentio facta est. Apollod. II, 7 : Κατὰ δὲ τὴν μάχην, καὶ Ἅδην ἔτρωσε Πυλίοις βοηθοῦντα. — *Pestiferas*, Infernas, funestas.

563. *Telum tergemina cuspide.* Gallici interpretes hæc reddiderunt verbo francico *trident*; tanquam tridens proprius fuerit Plutonis ! Hastam interpretare tricuspidem, quam ei nonnunquam pro sceptro et bidenti furca veteres attribuere; ut ex argenteo Diocletiani numismate inferri potest; in quo Pluto exhibetur hastatus, hoc addito cognomine *Tutor animarum justarum.*

565. *Mortis dominus.* Claudian. de rapt. Proserp. I, 55 : « O maxime noctis Arbiter, umbrarumque potens,.... qui finem cunctis et semina præbes, Nascendique vices alterna morte rependis, Qui vitam letumque regis, etc. etc. »

566. *Fatum rumpe manu.* Id est, legem perrumpe, qua gradum retro flectere vetantur, qui ad inferos penetraverunt. *Manu.* Scilicet per vim.

567. *Prospectus pateat lucis.* Cf. supra vers. 290 et sqq. Homer. Iliad. XX, 56, et qui illum imitati sunt, Virg. Æn. VIII, 243; Ovid. Metam. V, 356, et *Boileau*, in Longin. interpretat. 7 ;

L'enfer s'émeut au bruit de Neptune en furie, etc.

569. *Immites potuit.* Stat. Silv. III, 3, v. 193 : « Immitem potuit Styga vincere supplex Thracius. » — Dicitur Orpheus, quum amisisset Eurydicen a serpente occisam, ad inferos descendisse, vocis-

Digitized by Google

Umbrarum dominos, et prece supplici 570
Orpheus, Eurydicen dum repetit suam.
Quæ silvas et aves saxaque traxerat
Ars, quæ præbuerat fluminibus moras,
Ad cujus sonitum constiterant feræ,
Mulcet non solitis vocibus inferos, 575
Et surdis resonat clarius in locis.
Deflent Eurydicen Threiciæ nurus,
Deflent et lacrymis difficiles dei;

que et citharæ dulcedine adeo Plutonem cæterosque deos movisse, ut eam receperit, sed ea lege ne prius uxorem pone sequentem respiceret, quam excesserit inferis: victus amore et legis impatiens, receptam iterum amisit. Nulla fabula veteribus poetis celebratior: hanc inprimis Ovidius (Metam. X) et Virgilius (Georg. IV, 457 et sqq.) carminibus adornavere, tanta præsertim Virgilius felicitate, ut cæterorum meminisse supervacaneum prope videatur.

572. *Quæ silvas et aves*, etc. Virg. Georg. IV, 510: « Mulcentem tigres et agentem carmine quercus. » Ovid. Metam. X, 143: « Tale nemus vates contraxerat; inque ferarum Concilio medius turba volucrumque sedebat. » Vid. et Eurip. Bacch. 561. Horat. I, od. 12, v. 7, et de art. poetic. 393, etc. etc.

573. *Præbuerat.... moras.* Moras fecerat: languidius scriptum quam solet.

576. *Surdis.... in locis.* Locis mutis et silentibus, ut sæpe in scriptoribus latin. et præsertim in poetis. Juvenal. VII, 71: « Surda nihil gemeret grave buccina. » Stat. Silv. I, 4, v. 19: «....mihi surda sine illo plectra. » Ovid. de Pont. II, 6, v. 32: «Non erit officii gratia surda tui. »

577. *Threiciæ nurus.* Gruterus « aliquid monstri latere in illo *Threiciæ* » suspicatur, interrogans quid sibi velint hic Threiciæ nurus. Locus Gronovium pariter offendit, qui aut *Threiciæ manus* vel *fides*, aut *Threicii modi* vel *nomi* malle se fatetur. *Bothe* pronuntiat non mutanda quidem verba, sed interpunctionem tantum hoc modo emendandam: *Deflent Eurydicen Threiciæ nurus? Deflent et lacrimis difficiles dei;* id est, si mulieres, seu nymphæ Thraciæ deflent Eurydicen in terris, deflent eam et inferorum dei; si dolor tantæ et tam inopinæ cladis tenera movit feminarum corda, movit etiam dura Plutonis, Furiarum, et eorum qui judicant defunctos. Badenius, in specimine tragœdiar., contenderat hic agi de nuribus Ægypti, id est, Danaidibus, ratus *Threicia nurus* proverbialiter usurpari posse pro *sæva et immanis nurus.* Idem vero in editione sua (1821), *Threicias nurus* nominari affirmat, tanquam populares et familiares defunctæ; sic novam nuptam, e partu exstinctam, ab umbris innuptarum

Digitized by Google

Et qui fronte nimis crimina tetrica
Quærunt, ac veteres excutiunt reos, 580
Flentes Eurydicen juridici sedent.
Tandem mortis, ait, « Vincimur », arbiter :
« Evade ad superos, lege tamen data :
« Tu post terga tui perge viri comes;
« Tu non ante tuam respice conjugem, 585
« Quam quum clara deos obtulerit dies,
« Spartanique aderit janua Tænari. »

Cnidiarum deploratam fingi Antipatro II. Anthol. græc. p. 35 : « Ἦ που σὺ χθονίας, Ἀρετημιὰς, etc. » — Recte nobis videntur Both. et Baden. Gronovii conjecturas respuisse, et longius arcessitas et ad sensum loci explicandum non ita necessarias. Innuit Seneca eam fuisse vim Orphici carminis, ut *difficiles lacrymis dei*, non secus ac virgines et molles puellæ, fletus profuderint. Nec ad hanc arripiendam interpretationem nova, ut Botheo placuit, interpunctione opus est. Rem enodat et abunde explicat iteratum *deflent*, præsertim subjecta posteriori conjunctione *et*. Nurus autem Threicias utrum in superis, ut Both., an in inferis, ut Baden. opinatus est, designari Noster voluerit, dijudicare non tanti esse arbitramur; quamvis paulo simplicior et obvia magis Badenii sententia videatur.

579. *Et qui*. Æacus, Minos et Rhadamantus. Vid. Horat. II, od. 13, v. 22. Ovid. Metam. XIII, 25. Stat. Theb. VIII, 27 et 101. Cic. Tuscul. I, 41. Virg. Æn. VI, 566. Claudian. in Rufin. II, 477.

580. *Quærunt*. Vox forensis. Vid. Cic. pro Rosc. Amer. 41; pro Mil. 22. Liv. XXXIII, 36. Sueton. in Tiber. 58, etc. — *Veteres*. In eamdem sententiam dictum ac infra, v. 727 : « Verane est fama, inferis tam sera reddi jura....? » — *Excutiunt reos*. Id est, reorum vitam inspiciunt, explorant, scrutantur. Cic. pro Rosc. Amer. 34 : *Nihil est, Glaucia, quod metuas : non excutio te; si quid forte ferri habuisti, non scrutor*. Plin. VI, epist. 31 : *Cæsar, excussis probationibus, centurionem exauctoravit*.

582. *Tandem*, etc. Ovid. Metam. X, 46 : « Nec regia conjux Sustinet oranti, nec qui regit ima negare, Eurydicenque vocant.... Hanc simul et legem Rhodopeius accipit Orpheus, Ne flectat retro sua lumina, donec Avernas Exierit valles, etc. » Imitatus est Senecam Sever. Boetius, de consolat. philos. III, 12 : « Tandem vincimur, arbiter Umbrarum miserans ait; Donamus comitem viro Emptam carmine conjugem. »

586. *Deos*. Id est, cælum, lucem. Vid. sup. not. ad vers. 276.

587. *Spartani.... janua Tænari*. Fuit Tænarus promontorium Laconiæ silvis umbrosum, ubi patebat vastum quoddam et profundum antrum, fædum uligine et exhala-

Digitized by Google

Odit verus amor, nec patitur moras.
Munus, dum properat cernere, perdidit.
Quæ vinci potuit regia carmine, 590
Hæc vinci poterit regia viribus.

tionibus fetidum. His igitur faucibus ad inferos descendi poetæ finxerant. Ovid. Metam. X, 13, de Orpheo : « Ad Styga Tænaria est ausus descendere porta. » Vid. Virg. Georg. IV, 467; Lucan. VI, 648; Stat. Theb. II, 32. Confer et notam nostram ad vers. 664.

589. *Munus, dum properat*, etc. Virg. Georg. IV, 490 : « Restitit, Eurydicenque suam jam luce sub ipsa, Immemor heu ! victusque animi respexit : ibi omnis Effusus labor... » Ovid. Metam. X, 56 : « ...avidusque videndi, Flexit amans oculos, et protinus illa relapsa est. »

590. *Quæ vinci potuit*, etc. Virg. Æn. IV, 119 : « Si potuit manes arcessere conjugis Orpheus, Threicia fretus cithara..., etc. » — His optime concluditur chorus, et sententiarum series, a versu 558 ad finem chori perducta; quarum hæc summa est : « Utinam, Hercules, evincas feræ Stygis jura ! Cur autem id fieri posse desperemus ? jam Plutonem superavisti. Quin etiam, Orpheus cantu vicit inferos. Quod effecit ille carminibus, nonne queas et viribus efficere ? »

Digitized by Google

ACTUS TERTIUS.

HERCULES.

O lucis alme rector, et cæli decus,
Qui alterna curru spatia flammifero ambiens,
Illustre lætis exseris terris caput,
Da, Phœbe, veniam, si quid illicitum tui 595
Videre vultus : jussus in lucem extuli
Arcana mundi. Tuque cælestum arbiter
Parensque, visus fulmine opposito tege;
Et tu secundo maria qui sceptro regis,
Imas pete undas. Quisquis ex alto aspicit 600
Terrena, facie pollui metuens nova,
Aciem reflectat, oraque in cælum erigat,
Portenta fugiens : hoc nefas cernant duo,

593. *Alterna .... spatia.* Id est, spatia alternis vicibus lustrata; quod de utroque hemisphærio intelligunt interpretes, licet Herculeis temporibus nondum terræ formam astrorumque vicissitudines homines suspicarentur, existimarentque solem, dum nox tot regionibus incumberet, non alteri orbis parti lucem præbere, sed apud Tethyn et in fluctibus Oceani occultari et quiescere.

595. *Illicitum.* Cerberum videlicet, quem æterna Tartari nocte fata incluserant et terris ostendi vetuerant.

596. *Jussus.* Nunquam abstraxissem Cerberum ab inferis, nisi a Junone et ab Eurystheo jussus fuissem et coactus : non igitur in me, sed in jubentes recidat facinoris invidia.

599. *Et tu secundo.* Neptune, qui secundam mundi provinciam obtines : primam enim Jupiter, tertiam Pluto sortiti erant. Vid. not. ad vers. 609.

603. *Portenta.* Sic dicebantur, ut plurimum, insolita et prodigiosa quæ aliquid portendere crederentur. Cic. de nat. deor. II, 3 : *Prædictiones vero et præsensiones rerum futurarum quid aliud declarant, nisi hominibus ea, quæ sint, ostendi,*

Digitized by Google

Qui advexit, et quæ jussit. In pœnas meas,
Atque in labores non satis terræ patent. 605
Junonis odio vidi inaccessa omnibus,
Ignota Phœbo, quæque deterior polus
Obscura diro spatia concessit Jovi;
Et si placerent tertiæ sortis loca,
Regnare potui. Noctis æternæ chaos, 610

monstrari, portendi, prædici? ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur. Sæpius tamen *portentum* pro omni monstro et re qualibet prodigiali usurpatur. Horat. II, epist. 1, v. 10. « Diram qui contudit hydram, Notaque fatali portenta labore subegit. »

604. *Qui advexit et quæ jussit.* Ego, jam Cerberum intuendi haud insolens, quippe quem vicerim, et Juno, justam odii sui et pervicaciæ pœnam terrore videndi habitura. Sup. v. 61, Juno : « Me quoque invasit tremor, Et terna monstri colla devicti intuens, Timui imperasse. »

605. *Non satis terræ patent.* Sup. v. 46 : « Nec satis terræ patent : Effregit ecce limen inferni Jovis. » Commode ad hunc locum sequentia Senecæ Gronovius collegit : de tranquill. animi, 9 : *sine illa* (parcimonia), *nec ullæ opes sufficiunt, nec ullæ non satis patent.* Epist. 23 : *Hoc de quo loquor, ad quod te conor perducere, solidum est, et quod plus pateat introrsus.* De brevit. vit. 1 : *Ætas nostra bene disponenti multum patet.* Ad Marc. 24 : *Scies multum patuisse hoc tempus, ex quo nihil perdidisti.*

607. *Ignota Phœbo.* Euripides, Herc. fur. 607 : « . . . ἀνελθὼν ἐξ ἀνηλίων μυχῶν. » *Deterior polus.* Id est, antarcticus polus. Duo fingunt ur poli in cælo, arcticus seu borealis, et antarcticus seu austrinus : quorum prior nobis obliquam sphæram habitantibus semper conspicuus et sublimis est; alter depressus et absconditus, quem ideo inferis tantum aspici veteres tradiderunt. Virg. Georg. I, 242 : « Hic vertex nobis semper sublimis; at illum Sub pedibus Styx atra videt Manesque profundi. » Unde et in Nostro, *obscura spatia quæ deterior polus concessit diro Jovi*, hoc est, obscura inferorum regna, ad antarcticum polum sita, quæ Pluto sortitus est.

608. *Diro. . . Jovi.* Plutoni. Vid. not. ad vers. 47.

609. *Tertiæ sortis loca.* Inferos, ut sup. v. 599 de Neptuno, *secundo maria qui sceptro regis.* Apollod. I, 2 : Αὐτοὶ δὲ διακληροῦνται περὶ τῆς ἀρχῆς· καὶ λαγχάνει Ζεὺς μὲν τὴν ἐν οὐρανῷ δυναστείαν, Ποσειδῶν δὲ τὴν ἐν θαλάσσῃ, Πλούτων δὲ τὴν ἐν ᾅδῃ. Ovid. Fast. IV, 584, de Proserpina : « Nupta Jovis fratri tertia regna tenet. » Vid. et locum in seq. not. citatum Ovid. Fast. IV, 597.

610. *Noctis æternæ chaos.* Vulgo accipitur *chaos* pro hac informi et confusa cæli et terræ materia, qualem initio fuisse tradiderunt, priusquam summus rerum arbiter cuncta in singulas species formas-

Digitized by Google

Et nocte quiddam gravius, et tristes deos,
Et fata vici : morte contempta redii.
Quid restat aliud? vidi, et ostendi inferos.
Da, si quid ultra est; tam diu pateris manus.
Cessare nostras, Juno? quæ vinci jubes? 615

que digesserit. Sic Ovid. Metam. I, 5 : « Ante mare et tellus et, quod tegit omnia, cælum, Unus erat toto naturæ vultus in orbe, Quem dixere chaos, rudis indigestaque moles. » Et Noster in Thyest. 829 : « ... ne fatali cuncta ruina quassata labent, iterumque deos hominesque premat Deforme chaos. » Sæpe tamen in script. et poet. lat. significat gurgitem in profundum et immensum patentem; *chaos* enim originem ducit a χάω, *hio:* unde pro inferis nonnunquam ponitur. Virg. Æn. IV, 510 : « Tercentum tonat ore deos, Erebumque, chaosque. » Id. VI, 265 : « Et chaos, et Phlegethon, loca nocte silentia late. » Ovid. Fast. IV, 597 : « Jupiter hanc *(Cererem)* lenit, factumque excusat amore : Nec gener est nobis ille *(Pluto)* pudendus, ait. Non ego nobilior. Posita est mihi regia cælo : Possidet alter aquas; alter inane chaos. » Noster in Med. 9 : « ... noctis æternæ chaos, aversa superis regna, Manesque impios.... » et vers. 741 : « ... chaos cæcum atque opacam Ditis umbrosi domum. »

611. *Nocte quiddam gravius.* Non enim tenebris tantum horrendi sunt inferi, sed et tristibus deis, qui vetant quemquam ad superas auras redire, et ferrea fatorum lege cunctos intra stygias paludes coercentium : at Hercules, cum nocte æterna, deos et fata et mortem ipsam vicit, nocte æterna graviora.

613. *Ostendi inferos.* Putat Farnabius, Cerberum significari in lucem tractum : intelligam potius patefactam defunctorum sedem et *sacra diræ Mortis in aperto jacentia*, ut sup. v. 56.

614. *Da.* Præbe, suggere. Virg. Bucol. I, 19 : « Sed tamen, iste deus qui sit, da, Tityre, nobis. » Cic. Academ. quæst. I, 3 : *Sed da mihi nunc, satisne probas?*

615. *Quæ vinci jubes?* Non sibi hoc loco temperare potest Gallicus interpres, *Coupé*, quin exclamet, admiratione elatus et exsultans : *Cette pensée est superbe. S'il avait dit simplement : « Que voulez-vous que je vainque encore? » l'idée eût été commune. On conviendra que ce monologue est de la plus grande beauté, et qu'Hercule y parle avec la grandeur qui convient à un tel héros.* Adeo non tantis laudibus suffragamur, ut omnia in his redeuntis Herculis vocibus affectata et male turgida judicemus; magniloquentiæ et venditationis esse, nec veræ magnitudinis, si Alcides, ad Phœbum conversus, grandi statim oratione ab illo veniam petat, quod Cerberum ad lucem abstraxerit; Jovemque, et Neptunum, et deos omnes aciem jubeat reflectere, id portenti non aspecturos; mox autem, quæ ipse fecerit manu, tanta jactatione, solus et nullo audiente, enarret, ut se inferorum regno po-

Digitized by Google

Sed templa quare miles infestus tenet,
Limenque sacrum terror armorum obsidet?

MEGARA, AMPHITRYON, HERCULES, THESEUS.

AMPH. Utrumne visus vota decipiunt meos,
An ille domitor orbis, et Grajum decus,
Tristi silentem nubilo liquit domum? 620
Estne ille natus? membra lætitia stupent.
O nate! certa et sera Thebarum salus!
Teneone in auras editum, an vana fruor

tiri sceptroque Plutonis potuisse glorietur, etc. Quanto decentior in Euripide Herculis reditus, salutantis domum, tam jucundam aspectu post superata æternæ noctis pericula, et vix pauca locuti, quum, acclamante ad conspectum conjugis Megara, ruunt ad genitorem liberi et ejus lateribus adhærent, paternisque pendent vestibus, non tuti minus quam ad Jovis servatoris aram! Vid. Euripid. Herc. fur. vers. 520 et seqq.

616. *Templa.* Vid. v. 356 et 506.

617. *Obsidet.* Occupat. Virgil. Æneid. III, 420: « Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis Obsidet. » Sallust. Catil. 27: *Opportuna loca armatis hominibus obsidere.* »

618. *Visus vota decipiunt.* Non hæc diligenter et recte interpretatus est *Levée: En croirai-je mes yeux, ou mes vœux seraient-ils déçus? Ce vainqueur du monde, l'honneur de la Grèce, est-il échappé enfin du séjour des ombres silencieuses?* etc. Sic intellige: « Utrum Herculis videndi cupido me et oculos meos adeo fallit, ut eum adesse credam, ut eum videre mihi videar, an reipsa ille coram adstat, ab inferis redux? » Miscuit et perturbavit incuriosus interpres quæ voculis *utrum* et *an* plane distinguuntur.

620. *Tristi silentem nubilo.* Hoc quoque de inferis Noster in Hippol. 221: « Adiit Silentem nocte perpetua domum. »

621. *Estne ille natus?* Euripid. Herc. fur. 514: MEG. « Ἔα, ὦ πρέσβυ, λεύσσω τἀμὰ φίλτατ'; ἦ τί φῶ; — AMPH. Οὐκ οἶδα, θύγατερ· ἀφασία δὲ κἄμ' ἔχει. — MEG. Ὅ δ' ἐστιν, ὃν γῆς νέρθεν εἰσηκούομεν, Εἰ μή γ' ὄνειρον ἐν φάει τι λεύσσομεν. Τί φημί; ποῖ' ὄνειρα κηραίνουσ' ὁρῶ; Οὐκ ἔσθ' ὅδ' ἄλλος ἀντὶ σοῦ παιδὸς, γέρον.

622. *Sera.* Quia Creon et filii ejus interfecti sunt a Lyco.

623. *Teneone.* Solemne verbum. Terent. Heaut. act. II, scen. 4, v. 27: « Teneone te, Antiphila, maxime animo exoptata meo? » Plaut. Rud. act. I, scen. 4, v. 25:

Digitized by Google

Deceptus umbra? tune es? agnosco toros,
Humerosque, et alto nobilem trunco manum. 625
HERC. Unde iste, genitor, squalor, et lugubribus
Amicta conjux? unde tam fœdo obsiti

« Ut vix mihi credo ego hoc, te tenere! » Adde Nostr. Phœniss. 501. Hoc sumptum a Græcis videtur. Vid. Euripid. Iphig. in Taur. 828; Elect. 579. Sophocl. Elect. 1229.

624. *Agnosco toros.* Sophocl. Trachin. 1096: « Ὦ χέρες, χέρες, etc. » Quæ sic vertit Cic. Tuscul. II, 8: « O ante victrices manus! O pectora! O terga! O lacertorum tori! » Ovid. Metam. XV, 229: « Fletque Milon senior, quum spectat inanes Illos, qui fuerant solidorum mole tororum Herculeis similes, etc. »

625. *Alto..... trunco.* Clava scilicet, quæ propria Herculis fuit. Propert. IV, 10, v. 39: « Quis facta Herculeæ non audit fortia clavæ? » Inde dictus ille *claviger.* Ovid. Metam. XV, 22 et 284; Fast. IV, 68; in Ibid. 253. Proverbialiter *Clavam Herculi extorquere*, pro re quæ fieri nequit, invenitur in Macrob. Saturn. V, 3.

626. *Unde iste*, etc. Euripid. Herc. fur. 525.: « Τί χρῆμα; τέκν' ὁρῶ πρὸ δωμάτων Στολμοῖσι νεκρῶν κρᾶτας ἐξεστεμμένα, etc. » —*Squalor.* Dicebantur nonnunquam *squalidi*, quorum præferebatur dolor inculto corporis habitu. Scilicet rei et supplices et qui se viduos aut orbatos aut quolibet luctu affectos testari volebant, lavationum et munditiæ curam omnem omittebant, pulveris et sordium illuviem excipientes. — *Lugubribus.* Atris vestibus. — Contendunt nonnulli non atris et nigris vestibus, sed candidis, veteres luctum significare solitos, auctore Plutarcho, qui quæstion. Roman. 26, « cur feminæ togis albis pro lugubribus utantur », interrogat et expendit. Sed constat Plutarchum de propria et singulari ætatis suæ consuetudine locutum, et de Romanis tantummodo. Adeo antiquus est et rerum naturæ consentaneus mos ille nigros vestitus dolentibus attribuendi, ut jam in Homero memoretur. Iliad. XXIV, 93: Ἣς ἄρα φωνήσασα, κάλυμμ' ἕλε δῖα θεάων Κυάνεον· τοῦ δ' οὔτι μελάντερον ἔπλετο ἕσθος. » Servius ad Æn. lib. II, ab Ægyptiis hunc derivari ait: *Morem lugendi quidam dicunt Ægyptios invenisse. Eos enim primos Liberum, quem Osirim appellant, a fratre Typhone per insidias interemptum, atra veste luxisse*, etc. Idem ille semper apud Græcos servatus est, necnon apud Romanos, dum stetit respublica: unde Ovid. Metam. VI, 288: « Stabant cum vestibus atris Ante toros fratrum demisso crine sorores. » Et Metam. VIII, 447: « .... Quæ, plangore dato, mœstis ululatibus urbem Implet, et auratis mutavit vestibus atras. » Unde et additum mœrentibus mœroremque habitu significantibus solemne vocabulum *atrati.* Obtinentibus vero summam potestatem Imperatoribus, mulieres romanæ de hac consuetudine deflexisse videntur et albas

Digitized by Google

Pædore nati? quæ domum clades gravat?
AMPH. Socer est peremptus : regna possedit Lycus;
Natos, parentem, conjugem leto petit. 630
HERC. Ingrata tellus! nemo ad Herculeæ domus
Auxilia venit? vidit hoc tantum nefas
Defensus orbis? Cur diem questu tero?
Mactetur hostis. THES. Hanc ferat virtus notam,
Fiatque summus hostis Alcidæ Lycus? 635
Ad hauriendum sanguinem inimicum feror.
HERC. Theseu, resiste, ne qua vis subita ingruat :

identidem vestes, insignia doloris, prætulisse. Herodian. IV, 3. ..... Λιτὰς ἐσθῆτας λευκὰς ἀμφιεννύμεναι, σχῆμα παρέχουσι λυπουμένων. Vid. et *Noris*, Cœnotaph. Pisan. p. 357. Kirchman. de funer. roman. II, 17. Lips. Excurs. ad Tacit. Annal. II. Plutarch. in quæstion. roman. loco supra citato. Illis tamen nonnulli contradixere, et albas vestes lugentium omnium mulierum non proprias, vel regnantibus Imperatoribus, fuisse affirmaverunt, his Julii Pauli, celeberrimi Alex. Severi Imper. tempore jurisconsulti, vocibus freti, (Recept. sentent. lib. I, tit. 21, § 3): *Qui luget, abstinere debet a conviviis, ornamentis, purpura et alba veste.* Sed potuit dicere tantum de viris. Duo igitur colliguntur ex illa auctoritatum et exemplorum universitate; 1° Græcos et Romanos luctum atris vestibus declarare solitos; 2° Romanas tantum mulieres, et regnantibus tantum Imperatoribus, candorem vestium in significationem luctus et doloris divertisse. Cf. Winckelmann, Hist. art. apud antiq. IV, 5.

629. *Socer est peremptus*, etc. Promptus ad admirationem Gallicus interpres, de quo sup. notavimus ad vers. 615, hanc dicendi brevitatem, omnia, quæ scire Herculem oportet, subita et pressa oratione complectentem, jure laudavisset; eo magis, quod Euripidem hoc loco Seneca non secutus sit, melius forsan, aliter tamen, summam scenæ disponentem.

631. *Ingrata tellus.* Sic Euripid. Herc. fur. 558. et seqq. « Οὕτω δ' ἀπόντες ἐσπανίζομεν φίλων; etc. »

634. *Hanc ferat*, etc. Verba interrogantis cum indignatione an passurus sit Hercules gloriam suam hac nota inquinari, scilicet dimicatione cum Lyco, tantulo hoste. Herc. OEt. 816 : « Hercules perimit Lichan. Facta inquirentur : fiat hic summus labor. » Vid. Curt. IX, 6. Virg. Æn. X, 829, et XI, 857. Ovid. Metam. IX, 5; XII, 80, et XIII, 16, etc.

635. *Summus.* Indignus est Lycus quem suprema et cæteris facinoribus fastigium impositura victoria Hercules prosternat. Herc. OEt. 474 : « Amorque summus flet Alcidæ labor. » Vid. superiorem not. ad vers. 634.

637. *Theseu, resiste.* Theseu,

Digitized by Google

Me bella poscunt. Differ amplexus, parens,
Conjuxque, differ : nuntiet Diti Lycus
Me jam redisse. THES. Flebilem ex oculis fuga, 640
Regina, vultum : tuque nato sospite
Lacrymas cadentes reprime : si novi Herculem,
Lycus Creonti debitas pœnas dabit :
Lentum est, dabit, dat : hoc quoque est lentum, dedit.
AMPH. Votum secundet, qui potest, nostrum deus, 645
Rebusque lapsis adsit. O magni comes
Magnanime nati, pande virtutum ordinem;
Quam longa mœstos ducat ad Manes via;
Ut vincla tulerit dura Tartareus canis.

serva latus parentis mei uxorisque et filiorum, eos defensurus, si quid periculi, me absente, ingruat. *Resiste* proprie pro *sta*, *consiste*, adhibetur. Terent. Andr. act. II, scen. 3, v. 7 : « DAV. Abeo. — PAMPH. Dave, ades; resiste. »

640. *Flebilem ex oculis*, etc. O regina, fuga hunc mœstum vultum e conspectu nostro. Lucret. III, 48 : « ....longeque fugati Conspectu ex hominum... » Cf. etiam Thyest. 625; Agamem. 301; Herc. Œt. 1977.

642. *Lacrimas cadentes reprime.* Eurip. Herc. fur. 624 : «....θάρσος ἴσχετε, Καὶ νάματ' ὄσσων μηκέτ' ἐξανύετε. » Quæ sequuntur in Euripide, apud Nostrum desiderantur, et quidem quam vehementia! quam exprimendis affectibus animisque commovendis idonea! — *Si novi Herculem.* Consuetissima scriptoribus latin. dicendi formula. Cic. pro Roscio Amer. 20 : *sed si ego hos bene novi*, etc.

644. *Lentum est, dabit.* Senec. epist. 78 : *Inter hæc tamen aliquis non gemuit : parum est; non rogavit : parum est; non respondit : parum, est; risit, et quidem ex animo.* Hoc locutionis genus, si apposite adhibeatur, quantum valeat manifestum est. Sed in Nostri tragœdia, si reputes quales Theseum affectus deceant, miraberis eum ad talia descendere. Tragicum Senecæ versum vir magnæ diligentiæ et sani judicii, *Brumoy (théâtre des Grecs)*, comicæ vatis Gallici sententiæ assimilavit, (*Molière*, in comœd. cui titulus *l'Avare*, act. IV, scen. 7) : *Je meurs, je suis mort, je suis enterré.*

645. *Votum secundet... deus.* Volunt interpretes hæc dici de Hercule; quasi ad quodlibet numen non referri queant!

647. *Pande virtutum ordinem.* Narra ex ordine, quidquid Hercules sua virtute gessit. *Pande.* Consuetum et solemne poetarum verbum. Vid. Lucret. V, 55. Virg. Æn. VI, 723. Ovid. Metam. IV, 679. Stat. Silv. I, 4, v. 92, et III, 2, v. 40, etc.

Digitized by Google

THES. Memorare cogis acta, securæ quoque 650
Horrenda menti : vix adhuc certa est fides
Vitalis auræ : torpet acies luminum,
Hebetesque visus vix diem insuetum ferunt.
AMPH. Pervince, Theseu, quidquid alto in pectore
Remanet pavoris; neve te fructu optimo 655
Frauda laborum : quæ fuit durum pati,
Meminisse dulce est : fare casus horridos.
THES. Fas omne mundi, teque dominantem precor
Regno capaci, teque, quam tota irrita
Quæsivit Ætna mater, ut jura abdita 660

650. *Memorare cogis.* Virg. Æn. II, 3 : « Infandum, regina, jubes renovare dolorem. » Et v. 12 : « ...animus meminisse horret luctuque refugit. » — *Securæ quoque.* Tantus est inferorum terror, ut, postquam periculum effugi, nondum metus recesserit.

656. *Quæ fuit*, etc. Senec. epist. 79 : *Deinde quod acerbum fuit, retulisse jucundum est.* Conf. quoque Virg. Æn. I, 203. Cic. V, epist. 12; de fin. bon. et mal. II, 32.

658. *Fas omne mundi.* Omnes mundi vel cæli (vid. not. ad vers. 18) dei, omnia supera numina. *Fas* a *fando*, i. e. quod dictum est a diis : hinc pro numinibus ipsis aliquando accipitur. Auson. Eidyll. XII, de deis, v. 1: « ... prima deum fas, Quæ Themis est Graiis. » Liv. I, 32 : *Audi Jupiter, audite fines, audiat fas.* Hanc invocationem Seneca sumpsit ex Virg. Æn. VI, 264 : « Di, quibus imperium est animarum, umbræque silentes, Et Chaos et Phlegethon, loca nocte silentia late, Sit mihi fas audita loqui, sit numine vestro Pandere res alta terra et caligine mersas. » Hoc Nostri proprium est, quod, non inferorum modo, sed et cæli deos invocaverit, *fas omne mundi. Teque.* Pluton.

659. *Regno capaci.* Sil. XIII, 529 : « ...descendunt cuncta, capitque Campus iners quantum interiit restatque futurum. » — *Teque.* Proserpina. — *Irrita.* Vox ista sæpissime cum persona jungitur. Virg. Æn. V, 441 : « Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat Arte locum, et variis adsultibus irritus urget. » Seneca de benef. VI, 11 : *Domum non minus lassus quam irritus rediit.* His adde Tacit. Annal. XV, 25.

660. *Quæsivit Ætna.* Non Ætnam tantum, sed universum terrarum orbem peragrasse dicitur Ceres in quærenda Proserpina. Cic. in Verr. IV, 48 : *Quam* (Proserpinam) *quum investigare et conquirere Ceres vellet, dicitur inflammasse tædas iis ignibus qui ex Ætnæ vertice erumpunt; quas sibi quum ipsa præferret, orbem omnium peragrasse terrarum.* Interrogat Both. cur Ætnam tan-

Digitized by Google

Et operta terris liceat impune eloqui.
Spartana tellus nobile attollit jugum,
Densis ubi æquor Tænarus silvis premit :
Hic ora solvit Ditis invisi domus,

tum nominet Seneca, et illi « jejuna videtur unius montis, etiam vastissimi, mentio, in tanto itinere, quantum hoc fuisse Cereris perhibetur. » Sed peregrinandi longinquitatem commemorare quid hoc loco attinuerit non video, quum Proserpinam et Cererem designari satis sit, nec melius hoc effici queat, quam mentione regionis illis plurifariam, ut jam notavi ad vers. 549, sacræ et dicatæ. Cic. loco nuper citato : *Vetus est hæc opinio...Siciliam totam esse Cereri et Liberæ consecratam. Hoc quum cæteræ gentes sic arbitrantur, tum ipsis Siculis tam persuasum est, ut animis eorum insitum atque innatum esse videatur : nam et natas esse has in his locis deas, et fruges in ea terra primum repertas arbitrantur, et raptam esse Liberam, quam eamdem Proserpinam vocant.* Adde quod null. locum diligentius serutari sollicita mater debuerit, quam montem cui tuendam servandamque filiam commiserat. Claudian. de rapt. Proserp. I, 151 : « In medio scopulis se porrigit Ætna perustis.... Hic ubi servandum mater fidissima pignus Abdidit...» Et III, 83. : « ... sævis Proserpina vincta catenis, Non qualem Siculis olim mandaverat arvis, Nec qualem roseis nuper convallibus Ætnæ Suspexere deæ. » Vid. et III, 186.

661. *Operta terris.* Vix errori locus esse videtur, præsertim si meminerimus Virgilii, qui *res alta terra et caligine mersas* (vid. not. ad vers. 658), non incerta et ambigua significatione, scripsit. Attamen *Coupé*, mira errandi industria, sic interpretatur, *les secrets ténébreux que la terre ne doit pas connoître.*

662. *Nobile... jugum.* Tænarus promontorium, de quo vid. sup. v. 587. Descripsit abunde Stat. Theb. II, 32. — Inter illos qui de inferis dixere, confer. præsertim Homer. Odyss. X, 508, et XI, 13 et sqq. Plat. in Gorg. et Phædon. Plut. in dæmon. Socrat. 39. Lucian. in Necyomant. Virg. VI, 264. Heyn. not. et excurs. ad Æneid. lib. VI. Ovid. Metam. IV, 432, et X, 13. Sil. XIII, 524. Stat. Theb. III, 107, et IV, 519. Claudian. in Rufin. I, 27, et de rapt. Proserp. passim. Noster quoque *Fénélon*, in eximio, qui Telemachus inscribitur, libro, Æthnicorum inferos descripsit, multa ab antiquis ita mutuatus, ut nova et propria existimes; nonnullis cæterum additis, quæ melior suasit philosophia et intelligentior rerum tum divinarum tum humanarum cognitio.

663. *Æquor.* Hinc Myrtoum, illinc Ionium mare.—*Silvis premit.* Silvarum mole fluctibus incumbit et imminet.

664. *Ora solvit.* Aperitur, aditus patet.—Tradit Seneca per Tænari fauces descensum ad inferos fuisse, secutus Apollod. Biblioth. II, 5, Strab. VIII, p. 363, et Ovid. Met. X, 13 : idem refert Pompon. Mel. II, 3. Contra Homer. Odyss.

Digitized by Google

Hiatque rupes alta, et immenso specu 665
Ingens vorago faucibus vastis patet,
Latumque pandit omnibus populis iter.
Non cæca tenebris incipit primo via :
Tenuis relictæ lucis a tergo nitor,
Fulgorque dubius solis afflicti cadit, 670
Et ludit aciem : nocte sic mista solet
Præbere lumen primus aut serus dies.
Hinc ampla vacuis spatia laxantur locis,
In quæ omne mersum pereat humanum genus.

X, 508, et XI, 13, in Cimmeriorum regione, ad occidentales Oceani terminos; Xenophon de expeditione Cyri, VI, in Acherusia, apud Heracleam Ponti; Virg. Æn. VI, 237, in Campania et Averno lacu; Pausan. Attic., in terra Thesprotide, Epiri parte; Plutarch. dæm. Socrat. 39, in Arcadia, ad Stygem fluvium, patere inferos prodidere. Diversæ illæ de inferorum aditu opiniones in eo concordant, quod hæc tantum loca ad inferos introitum præbuisse dicta fuerint, quæ opaco tenebrarum horrore et invio speluncarum recessu et pestilenti exhalationum fetore, nescio quam mortis imaginem hominum animis injicerent.

670. *Fulgorque dubius.* Cf. Hipp. 41. Œdip. 1, et Troad. 1142. — *Afflicti.* Prope deficientis. Justin. IV, 5 : *Res, quamvis afflictæ, nondum tamen perditæ.*

671. *Ludit aciem.* Non enim plane et perspicue singula dignoscuntur. — *Nocte sic mista.* Sic oriente aut labente die, miscentur umbræ lumini. Lucian. ver. hist. II : Οὐ μὴν οὐδὲ νὺξ παρ' αὐτοῖς γίγνεται, οὐδ' ἡμέρα πάνυ λαμπρά· ἀλλὰ καθάπερ τὸ λυκαυγὲς ἤδη πρὸς ἕω, μηδέπω ἀνατείλαντος ἡλίου, τοιοῦτον φῶς ἐπέχει τὴν γῆν. Ovid. Amor. I, 5 : « Qualia sublucent fugiente crepuscula Phœbo, Aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies. » Similiter et ingeniosus ille noster fabularum artifex, *La Fontaine*, X, 15 :

A l'heure de l'affût, soit lorsque la lumière
Précipite ses traits dans l'humide séjour,
Soit lorsque le soleil rentre dans sa carrière,
Et que n'étant plus nuit, il n'est pas encor
jour, etc.

672. *Primus aut serus dies.* Nascens aut occidens dies. Vid. Virg. Æn. VI, 255. Val. Flacc. V, 332, et VII, 400. Ovid. de art. amand. I, 65, etc. etc.

673. *Vacuis spatia.* Ad hunc locum Delrio : « Stoicis intra mundum nullum, extra eumdem infinitum vacuum. Aristoteles omnino nullum esse vacuum contendit, lib. IV, physic. lib. I, de ortu, lib. II, de cælo. Sed contra Aristotelem Cleomedes, finitum mundum in spatio seu vacuo infinito consistere, nititur probare. » Et alibi : « Sequitur Seneca eorum philosophorum sententiam, qui existimabant ἐντὸς τοῦ κόσμου οὐδὲν εἶναι

Digitized by Google

Nec ire labor est; ipsa deducit via : 675
Ut sæpe puppes æstus invitas rapit,
Sic pronus aer urget atque avidum chaos,
Gradumque retro flectere haud unquam sinunt
Umbræ tenaces. Intus immensi sinus
Placido quieta labitur Lethe vado, 680
Demitque curas : neve remeandi amplius
Pateat facultas, flexibus multis gravem
Involvit amnem. Qualis incerta vagus

κενὸν, ἐκτὸς δὲ ἄπειρον, quæ fuit opinio Stoicorum. »

675. *Nec ire labor est.* Virg. Æn. VI, 126 : « Facilis descensus Averni; Noctes atque dies patet atri janua Ditis. »

677. *Pronus aer.* Occultus quidam ventus, ut ait Lipsius, aut potius, ut mihi videtur, quædam cæli temperies et arcana vis ætheris, quæ mortales in interiora inferorum rapit loca : hunc sensum innuunt sequentia *avidum chaos*, quibus eadem sententia iteratur. De *prono aere* pro *aere qui pronos citosque rapiat* quidquam addere non operæ pretium est, quum hæc locutio obvia sit in latin. scriptor.

678. *Gradumque*, etc. Virg. Æn. VI, 128 : « Sed revocare gradum superasque evadere ad auras, Hoc opus, hic labor est. »

679. *Umbræ tenaces.* Manes, quidquid corripuerunt, tenaciter servantes. — *Immensi sinus.* Intelligit Forcell. in lexic. fluvium Lethen esse immensæ altitudinis, *senza fondo :* malim interpretari cum Gronovio vadum late sese immensis ambagibus sinuantem et circumagentem.

680. *Lethe* Fluvius inferorum, quem fabulantur filium esse Phlegethontis.

681. *Demitque curas.* Dicebantur enim, qui ad manes descenderant, præteritarum rerum cum aquis Lethes oblivionem haurire : unde nomen fluvio ex λήθη, *oblivio.* Virg. Æneid. VI, 714 : « Lethæi ad fluminis undam Securos latices et longa oblivia potant. » Ovid. de Pont. II, 4, v. 23 : « Non ego, securæ biberem si pocula Lethes, etc. » Vid. et de Pont. IV, 1, v. 17; Trist. IV, 1, v. 47. Luc. V, 221, etc.

682. *Gravem.* Tardum et languidum.

683. *Involvit amnem.* Quem amnem? Styga, inquit Farnab., secernens, ut videtur, et dividens duos fluvios, hinc Styga, quæ involvitur, illinc Lethen, quæ involvit. Secus locum interpretor, quum hic de una tantum Lethe memorari putem, quæ *amnem*, id est aquas suas multis flexibus involvit, et circum inferorum sedem iterum atque iterum implicat. *Amnis* enim sæpe pro *unda.* Virg. Georg. IV, 233 : « ... et Oceani spretos pede reppulit amnes. » Æn. VI, 659 : « Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis, etc. » Si quis miretur hoc loco ad

Digitized by Google

Mæander unda ludit, et cedit sibi,
Instatque, dubius, litus an fontem petat. 685
Palus inertis fœda Cocyti jacet.
Hic vultur, illic luctifer bubo gemit,

Lethen referri quod vulgo de Styge perhibetur, scilicet istius fluctu multoties inferos cingi, reputet, ut Stygem, sic Lethen, sæpissime in poetis pro quolibet inferno flumine usurpari, et eorum nomina confundi. Lucan. V, 221 : « Immisit Stygiam Pæan in viscera Lethen. » Tibull. III, 3, v. 10, et 5, v. 24, *Lethæa ratis*, pro cymba quam plerumque per Stygias undas agere dicitur, Orci portitor, Charon. Et nota præsertim sequentem Nostri locum, v. 776 : « ... gravior ratis Utrinque Lethen latere titubanti bibit », quum tamen supra, vers. 711 et sqq. 762 et sqq. aperte significaverit ratem illam Charontis per Acherontem aut Stygem ferri. Denique, ne credatur Senecam hæc, *gravem amnem*, de Styge intelligenda voluisse, id argumenti sit, quod v. 712 de illa quasi indicta mentionem faciat.

684. *Mæander*. Fluvius Asiæ in Phrygia magna, flexibus innumeris et multiplici cursus varietate notissimus. Vid. Plin. V, 29. Unde *more Mæandri* Colum. VIII, pro *flexuose;* et Cic. in Pison. 22, *Mæandros* pro *vafra et obliqua consilia*. Ovid. Heroid. IX, 55 : « Mæandros, toties qui terris errat in iisdem, Qui lassas in se sæpe retorquet aquas. » Id. Metam. VIII, 162 : « Non secus ac liquidus Phrygiis Mæandrus in arvis Ludit, et ambiguo lapsu refluitque fluitque, Occurrensque sibi venturas aspicit undas, Et nunc ad fontes, nunc in mare versus apertum, Incertas exercet aquas. » Quem locum præsertim ante oculos habuit Seneca, expressum et postea a Torquato Tasso in Hierosol. liberata, XVI, 8.

685. *Litus*. Litus maris; ea est enim prior et genuina hujusce vocis significatio. Cels. Dig. lib. ult. tit. penult. leg. 96 : *Litus est, quousque maximus fluctus a mari pervenit; idque M. Tullium aiunt, quum arbiter esset, primum constituisse.*

686. *Cocyti*. Fuit Cocytus cœnosum quoddam Thesprotiæ stagnum in Epiro, quod Acheronti influebat. Hunc infernis fluminibus poetæ adnumeraverunt, et ali finxerunt scelestorum fletibus; unde illi nomen a κωκύειν, *lugere*.

687. *Luctifer bubo gemit*. Virgil. Æn. IV, 462 : « Solaque culminibus ferali carmine bubo Sæpe queri et longas in fletum ducere voces. » Ad quem locum vid. Serv. Adde Ovid. Metam. V, 550, et XV, 791; Stat. Theb. III, 511, etc. etc. — Hunc locum et quæ sequuntur videtur noster respexisse *Fénélon*, Telemach. lib. XVIII, proprio et vere suo colore, ut solet, veteris poetæ sententiis addito : *Tout autour, il ne croissait ni herbes ni fleurs; on n'y sentait jamais les doux zéphirs, ni les graces naissantes du printemps, ni les riches dons de l'automne : la terre aride y languissait; on y voyait seulement quelques arbustes dépouillés et quelques cyprès funestes. Au loin*

Digitized by Google

Omenque triste resonat infaustæ strigis :
Horrent opaca fronde nigrantes comæ,
Taxo imminente, quam tenet segnis Sopor, 690
Famesque mœsta tabido rictu jacens,
Pudorque serus conscios vultus tegit;
Metus, Pavorque, Funus, et frendens Dolor,
Aterque Luctus sequitur, et Morbus tremens,
Et cincta ferro Bella : in extremo abdita 695

même, tout à l'entour, Cérès refusait aux laboureurs ses moissons dorées. Bacchus semblait en vain y promettre ses doux fruits; les grappes de raisin se desséchaient au lieu de mûrir. Les Naïades, tristes, ne faisaient point couler une onde pure; leurs flots étaient toujours amers et troublés. Les oiseaux ne chantaient jamais dans cette terre hérissée de ronces et d'épines, et n'y trouvaient aucun bocage pour se retirer : ils allaient chanter leurs amours sous un ciel plus doux. Là, on n'entendait que le croassement des corbeaux et la voix lugubre des hiboux, etc., etc.

688. *Strigis*. Quæ fuerit illa avis parum constat; nocturnam tantum et feralem fuisse accepimus. Sic eam adumbrat Ovid. Fast. VI, 123 : « Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinis; Canities pennis, unguibus hamus inest. Nocte volant puerosque petunt nutricis egentes, Et vitiant cunis corpora rapta suis. Carpere dicuntur lactentia viscera rostris, Et plenum poto sanguine guttur habent. Est illis strigibus nomen; sed nominis hujus Causa quod horrenda stridere nocte solent. »

689. *Horrent*, etc. Frequens silvis locus est, quas omnes sublimior taxus supereminet. Taxus umbra, succo et baccis mortifera habebatur, et ideo inter ferales tristesque arbores numeratur, et inferis propria attribuitur. Vid. Lucan. III, 419, et VI, 645. Ovid. Metam. IV, 432. Claudian. de rapt. Proserp. III, 386. Virgilius, Æn. VI, 282, non taxum, sed ulmum in inferis Stygiæ silvæ imminere fingit : « In medio ramos annosaque brachia pandit Ulmus opaca, ingens; quam sedem somnia vulgo Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus hærent. » Virgilium et Senecam videtur imitatione expressisse Sil. XIII, 595 : « Dextra vasta comas, nemorosaque brachia fundit Taxus, Cocyti rigua frondosior unda. Hic diræ volucres, pastusque cadavere vultur, Et multus bubo ac sparsis strix sanguine pennis, » etc. etc.

690. *Quam tenet segnis*, etc. Cf. Virg, Æn. VI, 273. « Vestibulum ante ipsum, etc. » Sil. XIII, 581 : « Luctus edax, Maciesque malis comes addita Morbis », etc. etc.

692. *Conscios vultus tegit*. Scilicet ne male admissa rubore prodantur.

694. *Aterque Luctus*. Atris velamentis indutus. Vid. not. ad v. 626.

695. *In extremo*. Quum senectus homini pestis venire novissima so-

Digitized by Google

Iners Senectus adjuvat baculo gradum.
AMPH. Estne aliqua tellus Cereris aut Bacchi ferax?
THES. Non prata viridi læta facie germinant
Nec adulta leni fluctuat Zephyro seges;
Non ulla ramos silva pomiferos habet : 700
Sterilis profundi vastitas squalet soli,
Et fœda tellus torpet æterno situ;
Rerumque mœstus finis et mundi ultima :
Immotus aer hæret, et pigro sedet
Nox atra mundo : cuncta mœrore horrida, 705
Ipsaque morte pejor est Mortis locus.

leat, ingeniose post omnia mala in inferis prospici fingitur.

696. *Adjuvat baculo.* Ovid. Met. VI, 26 : «Pallas anum simulat, falsosque in tempora canos Addit, et infirmos baculo quoque sustinet artus. »

697. *Estne aliqua tellus.* Indigna tragica majestate interpellatio, et quæ Amphitryonem sensusque ejus, quales in hoc rerum articulo esse debeant, minime deceat.

698. *Prata.* Gramina.

699. *Fluctuat.* Fluctuum speciem et agitationem ad segetem transtulerunt poetæ vera et eleganti imagine. Virgil. Georg. III, 198 : « Tum segetes altæ campique natantes Lenibus horrescunt flabris. »

702. *Situ.* Metonymice, pro illuvie et putredine, qua obducuntur res diu neglectæ et inertes. Seneca, de benef. III, 2 : *Quæ in usu sunt, et manum quotidie tactumque patiuntur, nunquam periculum situs adeunt.* Recte præsertim de terris incultis dictum Ovidio, Trist. III, 10, v. 70 : « Cessat iners rigido terra relicta situ. » Addantur Virg. Georg. I, 72. Colum. II, 18.

704. *Immotus aer,* etc. Lucan. VI, 648 : « Non Tænareis sic faucibus aer Sedit iners, mœstum mundi confine latentis Ac nostri.... »

706. *Ipsaque morte,* etc. Sic Badenius ad hunc locum : « Pejus, inquit Theseus, est mortuum esse, quam mori, contra ac sentit Epicharmus apud Cic. Tusc. quæst. I, 8 : *Emori nolo : sed me esse mortuum nihil æstumo.* Est qui neutram in partem moveatur. Idem comicus incerto dramate : « Ἀποθανεῖν ἢ τεθνάναι οὔ μοι διαφέρει. » Anthiteton vero tale est, quale illud Justini, XII, 9. *Curatio vulneris gravior ipso vulnere fuit.* » Locum non Badenio intellectum ex ipsa ejus explicatione constat : videtur enim nobis Theseus, non pejorem esse mortuorum quam morientium conditionem adagio morali et in universum dicto pronuntiare, sed tantum, ut terrorem inferorum augeat et de mortuorum sede magna tremendaque loquatur, Ditis domum tot monstrorum aspectu et

Digitized by Google

AMPH. Quid, ille opaca qui regit sceptro loca,
Qua sede positus temperat populos leves?
THES. Est in recessu Tartari obscuro locus,
Quem gravibus umbris spissa caligo alligat. 710
A fonte discors manat hinc uno latex:
Alter, quieto similis (hunc jurant dei),

fœda vastitate loci et tenebrarum horrore pejorem ipsa morte affirmare. Rectius quam Baden. Gallici interpretes, sed incerto tamen sensu nec satis ad latina verba composito. *Coupé : C'est la demeure horrible de l'accablement ; c'est l'habitation de la mort, pire que la mort elle-même.* Nec aliter *Levée : Tout y respire la tristesse la plus profonde : c'est, en un mot, la demeure de la mort pire que la mort elle-même.* Propius sensui fuerit, verbum verbo sic reddi : . . . . *Partout un deuil effrayant, et le séjour de la mort est plus affreux que la mort même.*

707. *Ille.* Pluton.

708. *Populos leves.* Umbras et corporis expertes animas. Ovid. Metam. X, 14 : « Perque leves populos simulacraque functa sepulcris. . . . »

710. *Alligat.* Quem cingunt et coercent spissæ et graves umbræ. Virg. Georg. IV, 479 : «. . . . tardaque palus inamabilis unda Alligat. »

711. *A fonte discors*, etc. Quamvis ex uno eodemque fonte oriantur, diversi tamen fluunt. *Discors* pro *diversus*, quadam poeseos licentia humanos sensus affectusque ad quælibet vel inanimata transferentis. *Discordes* igitur vocat Seneca fluvios, ut qui non forte, sed quodam odio, statim orti alter ab altero discedant; quod quidem dissimilitudine fluendi mox confirmari videtur, quum hic quietus labatur, ille magno rapiatur impetu. Hæc de communi Stygis et Acherontis origine fabula Nostri forsan propria est; sed memento poetas infernorum cuncta, ut suum quemque ingenium ferebat, disposuisse.

712. *Quieto similis.* Pro *quietus*, frequenti apud Romanos formula. Hoc autem inter omnes convenit, ut Styx languida et torpens dicatur. — Plura fuerunt in terris hujus nominis flumina; fons in Ægypto antiquissime memoratus, a quo nomen ad cætera flumina transiisse videtur; Styx alia in Arabia; tertia in Arcadia; quarta denique in Italia prope Lucrinum et Avernum; omnes cœnosis et insalubribus undis famosæ : Arcadica quidem mortifera fuisse narratur. Vid. Senecæ quæst. natur. III, 25. — *Hunc jurant dei.* Conf. Homer. Odyss. V, 185. Virg. Æn. VI, 324. Ovid. Metam. III, 290. Lucan. VI, 749. Stat. Theb. VIII, 31. Sil. XIII, 569. Add. Nostri Thyest. 667. Tributus hic honor Stygi, ait Delr., vel quia tres ejus natæ Victoria, Vis et Robur Jovi contra Titanas bellanti auxilium tulerunt, vel quod ipsa deorum conjurationem illi patefecerit. Quisquis e Superis fidem pejerasset, per totum annum mutus et exanimatus jacebat; deinde

Digitized by Google

Tacente sacram devehens fluvio Styga :
At hic tumultu rapitur ingenti ferox,
Et saxa fluctu volvit, Acheron, invius 715
Renavigari. Cingitur duplici vado
Adversa Ditis regia, atque ingens domus
Umbrante luco tegitur : hic vasto specu
Pendent tyranni limina : hoc umbris iter ;
Hæc porta regni : campus hanc circa jacet, 720
In quo superbo digerit vultu sedens
Animas recentes. Dira majestas deo,

societate deorum per novennium prohibebatur.

713. *Tacente.* Torpent enim undæ. — *Sacram.* Quia hanc jurant dei.

714. *At hic tumultu.* Virg. Æn. VI, 296 : « Turbidus hic cœno vastaque voragine gurges Æstuat, atque omnem Cocyto eructat arenam. » Add. Sil. XIII, 571 ; Stat. Theb. IV, 521. Acheron, in fabulis, est filius Solis et Terræ, in fluvium mutatus, et deturbatus ad inferos, quia Gigantibus contra deos præliantibus aquam subministraverat. Inter multos in terris hujus nominis fluvios, quidam fuit in Thesprotia, qui ex Acherusia palude ortus, et undarum amaritie infamis, per spatium non mediocre terram subterlabebatur, unde nasci potuit Acherontis ad inferos deturbati fabula. De Acheronte et palude Acherusia, Stobæum, p. 129, et Scholiastem Apollonii, II, 353, 731 et 748, consuli jubet Delrio.

715. *Et saxa fluctu*, etc. Virg. Æneid. VI, 551, de Phlegethonte, « Torquetque sonantia saxa. » — *Invius renavigari.* Irremeabilis, ut in Virg. Æn. VI, 425, de Styge : « ....ripam irremeabilis undæ. » De Acheronte Theocrit. XII, 19 : « Ἀγγείλειεν ἐμοί τις ἀνέξοδον εἰς Ἀχέροντα. »

716. *Duplici vado.* Id est, Styge et Acheronte.

717. *Adversa.... regia.* Frons regiæ. — *Ditis.* Cicero, de natura deorum, II, 26 : *Terrena autem vis omnis atque natura Diti patri dedicata est ; qui Dives, ut apud Græcos,* Πλούτων, *quia et recidant omnia in terras et oriantur e terris.*

719. *Pendent.* Quia pendere videntur cavæ et exesæ rupes, per quas aditur Plutonis regia. Lucret. VI, 194 : « Speluncasque velut saxis pendentibu' structas. » Ovid. Heroid. XV, 141 : « ....Antra scabro pendentia tofo. »

721. *In quo superbo digerit.* Vid. Sil. XIII, 601 ; Stat. Theb. IV, 523, et VIII, 22.

722. *Dira majestas deo.* De eodem, Claudian. de raptu Proserp. I, 79 : « Ipse rudi fultus solio, nigraque verendus Majestate sedet : squalent immania fœdo Sceptra situ ; sublime caput mœstissima nubes Asperat, et diræ riget inclementia formæ. » Claudianum Se-

Digitized by Google

Frons torva, fratrum quæ tamen speciem gerat
Gentisque tantæ : vultus est illi Jovis,
Sed fulminantis. Magna pars regni trucis 725
Est ipse dominus, cujus aspectus timet,
Quidquid timetur. AMPH. Verane est fama, inferis
Tam sera reddi jura, et oblitos sui
Sceleris nocentes debitas pœnas dare?
Quis iste veri rector atque æqui arbiter? 730
THES. Non unus alta sede quæsitor sedens

necæ hoc loco inferiorem contendit Delrio, cui libenter accedimus, propter hanc splendidam depingendi Plutonis brevitatem, *vultus illi Jovis, sed fulminantis.*

725. *Magna pars*, etc. Inter tam multa terribilia eminet terribilior Pluton; quem cætera inferorum monstra, ipsa metuenda, metuunt.

727. *Quidquid timetur.* Furiæ scilicet et quascumque pestes Noster v. 693 et seqq. enumeravit.

728. *Tam sera reddi jura.* Erravere qui ea sic interpretati sunt, tanquam in inferis sero redderentur jura, et multum temporis in Ditis regno versarentur nocentes priusquam coram judicibus sisterentur. Inter hos, *Coupé : Est-il vrai qu'on est tant d'années à juger les morts, et que les criminels ne se souviennent plus de leurs crimes quand on les punit?* Pariter *Levée : Est-il vrai qu'on diffère si long-tems aux enfers de juger les morts, et que les criminels, lorsqu'on les punit, ont perdu le souvenir de leurs crimes?* De dilata apud manes scelestorum pœna, nulla in mythologis mentio; neque, quamobrem veteres judiciorum infernorum fabulæ hoc addidissent, perspicio. Aliud a Seneca significatum arbitror; scilicet rogare tantum Amphitryonem, an jura reddantur in inferis, sera quidem, quum per longum vitæ tempus impunitate quadam frui nocentes potuerint; quæ quidem percontatio eo magis Amphitryonem decet, quod Lyci triumphare sævitatem et opprimi bonos non sine admiratione et ira viderit; unde scire peroptat, an saltem in inferis sua maneat scelestos pœna, postquam in terris judicia hominum elusere. Quo sæpius Noster in aliena discurrere solet, eo magis attendendum, ne illi, quæ peccavere interpp., imputemus. — *Oblitos.* Quia in terris inulti, nunquam sibi solvendam sceleris pœnam fore arbitrabantur.

731. *Non unus.* Æacum, Minoem et Rhadamanthum memorat Seneca, ut omnes poetæ. Sed ei proprium est, quod tribus quæsitoris munus tribuit. Vid. Virg. Æn. VI, 432, ubi inducitur quæsitor Minos, in ipso inferorum aditu; et Æn. VI, 566, ubi Rhadamanthus in Tartaro fingitur sententias judicum, triumvirorum capitalium more, exsequi. Conf. et Heyn. ad hunc lib. excurs. XI, in quo de hac ipsa re copiose disseritur. Clau-

Digitized by Google

Judicia trepidis sera sortitur reis.
Aditur illo Gnossius Minos foro;
Rhadamanthus illo; Thetidis hoc audit socer.

dian. in Rufin. II, 476 : « Quæsitor in alto Conspicuus solio pertentat crimina Minos, Et justis dirimit sontes : quos nolle fateri Viderit, ad rigidi transmittit verbera fratris. Nam juxta Rhadamanthus agit. » — *Alta sede.* « Tribunali, ait Delrio, non subsellio. Tribunal altius et fixum : minorum judicum subsellia inferiora, et loco movebantur : subselliis judices delegati utebantur... Tribunal erat maxime ejus, qui inter cæteros primus et quasi præses. » Vid. Cic. Brut. 84; in Vatin. 14. Sueton. in August. 56. Mart. XI, 99, etc. etc.

732. *Judicia... sortitur.* Notaverat Delr. hæc a ritu romano desumi : ad quod Gronov. « Observant translatum a romano ritu. Vere, sed quo? In gravibus enim et dubiis caussis tabellas literis, C. condemnationis, A. absolutionis, N. L. ampliationis inscriptas, in cistam vel urnam conjectas sortitione dedisse reis vel salutem vel capitis periculum. Sed tam dubiæ et graves caussæ possunt esse privatorum, quam publicorum judiciorum. Debebant ergo dicere, in publicis judiciis seu quæstionibus hoc esse factum. Deinde surpervacuum bis annotant illum ritum, qui nihil ad rem pertinet. Aliud est *sententiam ferre*, aliud *judices sortiri*. Nemo unquam veterum sententiæ lationem, etsi in urnam tabellæ conjicerentur, *sortitionem* dixit. *Judicia sortiri* est judices legere, id enim fiebat per sortem, judices sorte ducere, quod erat quæsitoris, conjectis omnium judicum nominibus in urnam, eum numerum educere, qui lege, qua judicium exercebatur, definitus erat : inde *rejectio*, et postea *subsortitio*. Hoc proprie : hic porro per synecdochen partis *judicia sortiri* pro exercere judicia ponitur. Quemadmodum *postulare*, *deferre nomen*, *subscribere*, *jurare calumniam*, quæ singulæ partes sunt accusationis, pro legitima accusatione, seu omni accusandi ordine et opere satis frequenter accipiuntur. » Hoc, *judicia sortiri*, de sortitione causarum, quo ordine habendæ sint, accipere malim, ut Serv., Pompon. Sabin. et alii ad Virgil. Æn. VI, 431 : quod quidem propius ad hunc Nostri versum accedat, Agam. 24, « Quæsitor una Gnossius versat reos. » Confer. Heyn. excurs. XI, ad lib. Æneid. VI, et notam nostram ad Agam. 24. — *Sera.* Eodem sensu dictum, quo sup. v. 728, *sera jura.*

733. *Gnossius*, sive Cretensis, a Gnosso urbe : Minos enim rex Cretæ fuit, adeo justitia apud veteres insignis, ut eum fabulati sint apud inferos judicem constitutum cum Rhadamantho et Æaco. — *Foro.* Propert. IV, 12, v. 22 : « Eumenidum intento turba severa foro. »

734. *Illo.... hoc.* Dubitari potest utrum Noster uno ac eodem loco, an diversos diversis sedibus infernos judices collocaverit; et vix

Digitized by Google

Quod quisque fecit, patitur : auctorem scelus 735
Repetit, suoque premitur exemplo nocens.
Vidi cruentos carcere includi duces,
Et impotentis terga plebeia manu

quidem tanti est disquirere. De inferorum judicum fabula nullæ tam receptæ opiniones fuisse videntur, ut in ea omnia pro compertis poetæ retinere coacti fuerint. Virg. quidem, omisso Æaco, Minoem quæsitorem statuit in ipso inferorum aditu, Æneid. VI, 432; Tartarum autem Rhadamantho sedem assignat, ibid. 566. Contra Claudian. (in Rufin. II, 480), Rhadamanthum juxta Minoem inducit. Stat. (Theb. VIII, 27) hos fingit uno præsidere loco. Propert. (IV, 12, v. 19), de Æaco, tanquam de præcipuo judice, loquitur, et mox de fratribus ejus, *Assideant fratres*. Si quis ad rerum contextum modo attenderit, facile crediderit et Senecam tres una sede judices constituisse, nullo verborum *illo* et *hoc* facto discrimine; sin autem ad vocularum *illo* et *hoc* vulgarem usum respexerit, duo designari loca arbitrabitur. Rem in medio relinquemus, nullo prope fructu dirimendam. — *Thetidis socer*. Æacus, pater Pelei, cui nupsit Thetis. — *Hoc audit*. In hoc foro auditor scelerum et judex assidet. Seneca, de benef. III, 22 : *Atqui de injuriis dominorum in servos qui audiat, positus est*.

735. *Quod quisque*, etc. Similiter Seneca, epist. 39 : *Quæ fecere patiuntur*. Vid. Claudian. in Eutrop. I, 157 et seqq.

736. *Repetit*. Redit in auctorem scelus, ipsa malefactorum suorum imitatione oppressum. Sallust. frag. orat. Philippi contra Lepidum : .... *Denique prava incepta consultoribus noxæ esse*. Thyest. 311 : « Sæpe in magistrum scelera redierunt sua. » Œdip. 706 : « Metus in auctorem redit. »

737. *Cruentos*. Sævos, ad pœnas exigendas promptos injiciendaque vincula : sic enim interpretandum est, ut præcedentia confirmentur, nempe suo premi exemplo nocentes. — Confer quæ *Fénélon* ad Nostri imitationem scripsit, lib. XVIII : *Au lieu que, sur la terre, ils se jouaient de la vie des hommes et prétendaient que tout était fait pour les servir, dans le Tartare, ils sont livrés à tous les caprices de certains esclaves, qui leur font sentir à leur tour une cruelle servitude : ils servent avec douleur, et il ne leur reste aucune espérance de pouvoir jamais adoucir leur captivité ; ils sont sous les coups de ces esclaves, devenus leurs tyrans impitoyables, comme une enclume est sous les coups des marteaux des Cyclopes, quand Vulcain les presse de travailler dans les fournaises ardentes du mont Etna*.

738. *Terga*. Alludit Seneca ad verberum morem : fustibus in milites, flagellis in servos sæviebatur. In cives autem et Quirites proprie virgæ adhibebantur; quod pœnæ genus, olim abrogatum, sub Imperatoribus revixit, civesque non jam virgis tantum, sed flagellis palumbatis fustigabantur. — *Plebeia*. Vox a Romanorum institutis ae-

Digitized by Google

Scindi tyranni. Quisquis est placide potens,
Dominusque vitæ servat innocuas manus, 740
Et incruentum mitis imperium regit,
Animæque parcit, longa permensus diu
Felicis ævi spatia, vel cælum petit,
Vel læta felix nemoris Elysii loca,

cersita et in orationem Thesei male translata.

739. *Placide potens.* Cujus potestas innoxia et lenis est, ut facile ex seqq. colligitur. Eodem sensu Sallust. Catilin. 39 : *Cæteros judiciis terrere, quo plebem in magistratu placidius tractarent.*

740. *Dominusque vitæ*, etc. Qui, quum vitas hominum in manu habeat, innocuas tamen servet manus et nihil per impotentiam delinquat. *Vitæ* absolute dictum, ut et inferius *animæ*, non satis per se planum et dilucidum est, duplicemque intellectum haberet, nisi rerum et sententiarum serie commodius definiretur.

741. *Imperium regit.* Dixit Virg. Æn. I, 340, *imperium regere*, sed alio sensu, pro *regere populos.* Apud Nostrum *imperium* pro *potestate* imperantis usurpatur; quam quidem locutionem insolentem minus quam apte et feliciter sententiæ accommodatam judicamus, quum hic *imperium regere* dicatur, qui potestatem ipsam, rem natura effrenatam, sapienter moderetur, ita ut regat ille hoc ipsum quod cæteros regit, et imperio suo quasi imperet. Confer Cicer. de finibus bonor. et malor. III, 22. Senec. epist. 113, circa fin.

742. *Animæque.* Vitæ hominum. Vid. sup. not. ad v. 740. — *Longa permensus*, etc. Postquam multos annos feliciter traduxit in terris, aut inter divos et heroas in cælo recipitur, aut Elysios saltus petit. Aliter Schrœd. *cælum petit* interpretatur : « Malim, inquit, intelligere de circulo lacteo, quem justorum sedem post mortem statuunt Platonici. Vid. Cicer. somn. Scip. 3. Opponitur enim hoc loco cælum Elysio nemori, tanquam natura designatus beatis locus, non opinione consecrantium. » Longius accersita nec probabilis explanatio.

744. *Nemoris Elysii.* Locus subterraneus ubi innocentium umbræ convenire atque perpetua felicitate frui dicebantur. Homer. Odyss. IV, 563. Tibull. I, eleg. 3, v. 57. Sil. XIII, 550; et in primis Virg. Æneid. VI, 638 et seqq. Vid. et nost. *Fénélon*, Telemach. lib. XIX. In hac justorum sede nemora, rivos, gramina Græci et Romani posuerant, quia ardentem, ut plurimum, solem experti, umbrosas valles et gelidos silvarum recessus pro deliciis habebant. Sic Virg. Georg. II, 484 : « Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes; Flumina amem silvasque inglorius. O ubi campi, Sperchiusque, et virginibus bacchata Lacænis Taygeta! O qui me gelidis in vallibus Hæmi Sistat, et ingenti ramorum protegat umbra! »

Digitized by Google

Judex futurus. Sanguine humano abstine, 745
Quicunque regnas : scelera taxantur modo
Majore vestra. AMPH. Certus inclusos tenet
Locus nocentes? utque fert fama, impios

745. *Judex futurus.* Optime ad hunc loc. Gronovius : « Hæc distinctio (scilicet interpunctio qua *judex futurus* a sententia *sanguine humano abstine* dividitur et præcedenti alligatur) est a Grutero, volente dici, reges omnes qui comi animo populos regunt, fieri a morte judices inferorum : non enim tantum tres facere judices Platonem, sed et Triptolemum καὶ ἄλλους ὅσοι τῶν ἡμιθέων δίκαιοι ἐγένοντο, idemque Herculi promittere chorum in OEtæo, v. 1558. Addo Lucianum, qui Rhadamanthi consilium facit et alios multos, et Atheniensem Aristidem, lib. II veræ histor. Συνῆδρευον δὲ ἄλλοι τε πολλοὶ καὶ Ἀριστείδης ὁ δίκαιος ὁ Ἀθηναῖος. Non illepide.. Primo enim meminisse debemus in Elysio fingi quemque imaginem pristini muneris, quo vivus fungebatur, referre : ut mirum non sit illos judicare, qui religiosi judices in superis fuissent. Ovid. Metam. IV, 444 : « Parsque forum celebrant : pars imi tecta tyranni ; Pars aliquas artes antiquæ imitamina vitæ Exercent : aliam partem sua pœna coercet. » Dein convenit hæc fictio pulchre illis, quæ modo notavimus de sortitione judicum apud inferos. *(Vid. quæ in not. nostr. ad v. 732, ex Gronovio excerpta, attulimus.)* Nam auctor Minoi, Æaco, Rhadamantho, non tam judicum aptat personam, quam quæsitorum vel prætorum, qui cum suo quisque consilio selectorum judicum causas cognoscant. Has ergo decurias vult conscribi ex umbris piorum et magistratuum. »

746. *Scelera taxantur*, etc. Scelera vestra, reges, gravius quam cæterorum hominum castigantur. Quidni? quum imperantes, si delinquant, in publica commoda, et multo majore quam cæteri detrimento, peccare soleant; unde recte Sallust. *in maxuma fortuna minumam licentiam esse* affirmavit, in Catilin. 51. Similiter *Fénélon*, lib. XIX : *Télémaque était effrayé de voir combien les rois étaient plus rigoureusement tourmentés que les autres coupables.* Crebra in Seneca philos. hæc vox *taxare :* vid. de clement. II, 7; consolat. ad Marc. 19; epist. 24; de benef. IV, 36.

748. *Utque fert fama.* Licet quæ respondet Theseus famæ videantur fidem addere, hæc omnia de inferis, a poeta in ornamentum fabulæ memorata, a philosopho pro veris accepta ne credideris. Epist. 24 : *Non sum tam ineptus, ut Epicuream cantilenam hoc loco persequar, et dicam vanos esse inferorum metus, nec Ixionem rota volvi, nec saxum humero Sisyphi trudi in adversum, nec ullius viscera et renasci quotidie et carpi. Nemo tam puer est, ut Cerberum timeat et tenebras et larvarum habitum nudis ossibus cohærentium.* Et Cons. ad Marc. 19 : *Cogita nullis defunctum malis affici; illa quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabulam esse ; nullas imminere mortuis tenebras*, etc.

Digitized by Google

Supplicia vinclis sæva perpetuis domant?
THES. Rapitur volucri tortus Ixion rota. 750
Cervice saxum grande Sisyphia sedet.
In amne medio faucibus siccis senex
Sectatur undas; alluit mentum latex;
Fidemque quum jam sæpe decepto dedit,

750. Describuntur famosissima apud inferos supplicia, Ixionis, Sisyphi, Tantali, Tityi, Danaidum, et quorum sæpius fit in poetis mentio: de istis, vid. Homer. Odyss. XI, 575 et seqq. Apollodor. I, 4. Virg. Georg. IV, 484; Æn. VI, 595, 601, 617. Horat. II, od. 14; III, 4 et 11; sat. I, v. 68. Ovid. Metam. IV, 456 et seqq.; X, 41 et seqq.; Amor. III, 7, v. 51; de Pont. I, 2, v. 41; in Ibid. 175. Propert. II, 1, v. 66. Tibull. I, 3, v. 73. Sil. XIII, 609. Mart. V, 81, et X, 6. Stat. Theb. IV, 536, et VIII, 50. Cic. Tuscul. I, 5. Claudian. de raptu Proserp. II, 335, etc. etc. — *Ixion.* Ixion socerum suum Deioneium per insidias sustulerat; quumque scelus illud inexpiabile videretur, neque quisquam eum hospitio excipere vellet, ad Jovem Ixion confugit, et ab eo in convivium deorum adhibitus, ausus est Junonem ad adulterium sollicitare. Quapropter in Tartarum fulmine deturbatus, rotæ serpentibus implicatæ alligatus est, ut in æternum volveretur. Vid. Hygin. fab. 62.

751. *Cervice saxum*, etc. Fingitur Sisyphus ad summum montem immane saxum trudere, quod semper in præceps propria gravitate revolvitur, perpetui laboris materies. Multiplex hujus supplicii causa traditur: nam dicebatur Sisyphus, 1° viatores spoliasse et lapidum mole spoliatos oppressisse; 2° catenis Mortem ipsam in regia Plutonis constrinxisse; 3° Asopen admonuisse de sua rapta a Jove filia; 4° quum impetravisset a Plutone, ut in terras reverteretur, certo se tempore rediturum pollicitus, fidem fefellisse, et, retrahente tantum Mercurio, ad Ditem remeasse. — At si trudere molem saxi et volvere cogitur Sisyphus, quid est cur scripserit Seneca *saxum cervice ejus sedere*, et Herc. OEt. 942: «Sisyphia cervix cesset, et nostros lapis Impellat humeros»? Respondet Apollod. I, 9, *eum manibus et capite* saxum impellere: Σίσυφος ἐν ᾅδου πέτρον ταῖς χερσὶ καὶ τῇ κεφαλῇ κυλίων, καὶ τοῦτον ὑπερβάλειν θέλων, etc. Vid. Nostr. Hipp. 1230. Med. 747, et not. ad vers. 748.

752. *In amne*, etc. Varia traduntur a Tantalo impie admissa: notissimum scelus, quod Pelopem filium suum diis convivantibus apposuerit, in eorum numinis experientiam. Poetæ eum in inferis collocavere sitientem semper et esurientem, circumfluentes undas et pendentes desuper fructus nequicquam appetentem. Vid. Thyest. vers. 144 et seqq.

754. *Fidemque*, etc. Et quum unda jam spem sitienti dedit hac ip-

Digitized by Google

Perit unda in ore, poma destituunt famem. 755
Præbet volucri Tityos æternas dapes :
Urnasque frustra Danaides plenas gerunt.
Errant furentes impiæ Cadmeides ;
Terretque mensas avida Phineas avis.
AMPH. Nunc ede nati nobilem pugnam mei. 760
Patrui volentis munus, an spolium refert?
THES. Ferale tardis imminet saxum vadis,
Stupente ubi unda, segne torpescit fretum :
Hunc servat amnem cultu et aspectu horridus,

sum jamjam fruiturum, fugit ex ore.

756. *Præbet volucri*, etc. Fuit Tityus gigas portentosæ proceritatis : quum Latonæ vim inferre tentavisset, eum Apollo et Diana sagittis confixerunt. Ad Tartarum detrusus est, ubi jecur ejus et viscera ab insatiato vulture renascentia quotidie, quotidie carpuntur. Thyest. 9 ; Hipp. 1233; Herc. OEt. 1070.

757. *Urnasque*, etc. Ad id damnatæ perhibebantur Danaides (vid. not. ad vers. 498), ut aquam urnis haurientes, dolium perforatum implerent : unde *frustra plenæ* dicuntur urnæ. Med. 748.

758. *Errant furentes.* Ino, Agave, Autonoe, filiæ Cadmi, atque ideo Cadmeides appellatæ, Pentheum laceraverant : finguntur in inferis eodem furore agitari, quo fuerant in scelus impulsæ. Apollod. III, 5. Theocrit. Idyll. XXVI, 20. Ovid. Metam. III, 710, etc. etc.

759. *Avida . . . avis.* Harpyæ, filiæ Neptuni. De his Virgil. Æn. III, 214. In Phineum senem immissæ fuerant, nec eum vesci patiebantur, apposita mensæ rapientes aut contactu fœdantes : pœnam ejus apud inferos continuari fingit Seneca. Causa fuit supplicii et additæ cæcitatis, quod Phineus futura pernoscere voluerit, vel quod suadente Idæa suos ex priore uxore excæcaverit filios. Vid. Apollod. I, 9, et Hygin. fab. 19.

761. *Patrui volentis*, etc. Cerberumne a Plutone accepit Hercules, an per vim abstraxit? Eurip. Herc. fur. 611 : HERC. Καὶ θῆρα γ' εἰς φῶς τὸν τρικάρηνον ἤγαγον. AMPH. Μάχῃ κρατήσας, ἢ θεᾶς δωρήμασιν ; HERC. Μάχῃ.

762. *Tardis..... vadis.* Stygi. Vid. sup. v. 712. — *Saxum.* De saxo hic agi putem, in quo antrum fuit Cerberi. Contra Gallici interpretes : *Au-dessus des eaux immobiles du Styx, ... s'élève un rocher fatal. Là demeure un vieillard*, etc. Sed quo pacto hunc sensum ex latinis verbis eruant non video, nisi mutata omnium editionum et MSS. lectione, *hinc* pro *hunc* substituant. Adde quod magis ad rem pertineat, rogante Amphitryone ut referatur Herculis cum Cerbero pugna, si de sede Cerberi statim loquatur Theseus. Cujus sedis facta mentione, poeta Charontem et omnia memorat, ut illa adeatur, prætereunda.

Digitized by Google

Pavidosque Manes squalidus gestat senex; 765
Impexa pendet barba; deformem sinum
Nodus coercet; concavæ lucent genæ:
Regit ipse conto portitor longo ratem.
Hic onere vacuam litori puppim applicans
Repetebat umbras : poscit Alcides viam, 770

765. *Senex.* Charon. Totus hic locus ex Virg. expressus, Æn. VI, 298 : « Portitor has horrendus aquas et flumina servat Terribili squalore Charon, cui plurima mento Canities inculta jacet : stant lumina flamma : Sordidus ex humeris nodo dependet amictus. Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat, etc. » — Hujus fabulæ, ut plerarumque aliarum, variæ origines traduntur. Plures credunt *Charon* a vocabulo Ægyptiaco ductum, quod idem ac *portitor* significaret : scilicet apud Heliopolim, inter urbem et locum ubi humabantur corpora, paludem esse Acherusiam; corpora, antequam transveherentur, in ripa sisti, et facto de mortui vita judicio (unde forsan inferorum judicum fabula), a naviculatore, pacto pretio accipi, aut repudiari et sepultura carere : hæc ad Græcos ab Orpheo delata et illorum Mythologiæ addita.

767. *Lucent genæ.* Dissensere de hoc loco interpretes, quum alii de malis, alii de palpebris et per extensionem de oculis accipiendum contendant. Delrio et Commelinus utramque interpretationem probabilem judicant; potuisse Senecam ad Virg. respicere, qui Æn. VI, 300, dixit Charontis *lumina stare flamma;* posse et senis genas eo macie redigi, ut *pellucidæ* videantur; sic Plautum Aulular. act. III, sc. 5, de agno macilento : « Ossa atque pellis totus est, ita cura macet. Quin exta inspicere in sole etiam vivo licet : ita is pellucet quasi laterna punica. » Quo exemplo motus Raphelengius posteriorem hunc sensum, repudiato altero, probaverat. Deinde Gronovius legendum *pallent* cum Nic. Heinsio censuit, quia color adumbratione Charontis hactenus omissus est. Recte Baden. in specimine (1798) et editione (1821), ad vulgat. recurrit, exemplis contra Nic. Heins. approbans *genæ* pro *oculi* sæpe apud Poetas usurpatum. Ovidius, Heroid. XX, 205 : « Ut te conspecta subito si forte notasti, Restiteram fixis in tua membra genis. » Propert. III, 12, v. 26 : « Exustæque tuæ mox, Polypheme, genæ. » Addam sqq. Ovid. de Pont. II, 8, v. 66 : « Et patiar fossis lumen abire genis. » Propert. IV, 5, vers. 16 : « Cornicum immeritas eruit ungue genas. » — Transtulit ad Plutonem *Fénélon*, quod poetæ latini de Charonte scripsere : *Pluton était sur un trône d'ébène : son visage était pâle et sévère; ses yeux, creux et étincelants.*

770. *Repetebat umbras.* Ad umbras redibat, quas in vacuam ratem rursus admitteret et in interiora inferorum transveheret.

Digitized by Google

Cedente turba : dirus exclamat Charon :
« Quo pergis audax? siste properantem gradum. »
Non passus ullas natus Alcmena moras,
Ipso coactum navitam conto domat,
Scanditque puppim : cymba populorum capax
Succubuit uni; sedit, et gravior ratis
Utrinque Lethen latere titubanti bibit.
Tunc victa trepidant monstra, Centauri truces,

771. *Cedente.* Hinc illinc discedente viamque aperiente Herculi.

772. *Quo pergis audax?* Virg. VI, 388 : « Quisquis es armatus qui nostra ad flumina tendis, Fare age, quid venias, jam istinc et comprime gressum. Umbrarum hic locus est, somni noctisque soporæ : Corpora viva nefas Stygia vectare carina. » In hoc eodem loco Charon Herculis meminit : « Nec vero Alciden me sum lætatus euntem Accepisse lacu, etc. »

775. *Cymba populorum capax.* Ad fabulam cymbæ tot populos exiguo sinu capientis alludit Juven. II, 151 : « Atque una tranare vadum tot millia cymba, Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur. » Ovid. ad Liv. 357 : « Omnes exspectat avarus Portitor, et turbæ vix satis una ratis. » At fingi à poetis decuit inanium et sine corpore umbrarum turba cymbulam neque impleri neque gravari, quæ vivi unius ponderi succumberet.

776. *Succubuit uni*, etc. Virgil. Æneid. VI, 412 : « Simul accipit alveo Ingentem Æneam : gemuit sub pondere cymba Sutilis, et multam accepit rimosa paludem. » Apollon. Argonaut. de Hercule, I, 532 : « Οἱ ἔνερθε Ποσσὶν ὑπεκλύσθη νηὸς τρόπις. » Stat. Theb. V, 400 : « Attonito manifestus in agmine supra est Amphitryoniades, puppemque alternus utrinque Ingravat. »

777. *Lethen.* Navigat in Styge Charon, et tamen bibit *Lethen* gravior cymba; quæ contraria et pugnantia videri queant, nisi infernorum fluviorum nomina sæpe in poetis miscerentur, ut notavimus sup. ad vers. 683. Heyn. ad Virg. Æn. VI, 295 : « Noli subtiliter et ad historici diligentiam, nomina fluviorum inferorum a Virgilio posita exspectare, sed poetæ more, variatis nominibus, *Acherontem* appellat, qui fere Styx esse solet; etiam *flumen*, mox *lacum* et *paludem.* » Id. in excurs. IX ejusdem lib. : « Mire seu turbant seu variant in fluminibus poetæ..... Ubi de Charontis transvectione agitur, non facile poetæ de triplici amni terras inferas ambiente cogitant, et melius unum tantum fluvium nominant; plerumque Stygem aut Acherontem. »

778. *Tunc victa trepidant.* Conspecto Hercule, trepidare finguntur umbræ monstrorum quæ in terris debellaverat. Sic in Virg. Æn. VI, 489 : « At Danaum proceres Agamemnoniæque phalanges, Ut videre

Digitized by Google

Lapithæque multo in bella succensi mero.
Stygiæ paludis ultimos quærens sinus, 780
Fœcunda mergit capita Lernæus labos.
Post hæc avari Ditis apparet domus :
Hic sævus umbras territat Stygius canis,
Qui trina vasto capita concutiens sono
Regnum tuetur : sordidum tabo caput 785

virum (*Trojanum Æneam*) fulgentiaque arma per umbras, Ingenti trepidare metu ; pars vertere terga, Ceu quondam petiere rates ; pars tollere vocem Exiguam. » — *Centauri truces*. Centauri Thessaliam incolebant, Ixione et nube illa, quam Jupiter in locum Junonis substituerat, progeniti : priore corporis parte homines, posteriore equi fuisse perhibentur ; quæ quidem fabula ex eo orta videtur, quod primi omnium Centauri equis bene uti instituerint. Illos fugavit et prope exstinxit Hercules, quum aprum Erymanthium peteret. Vid. Apollod. II, 5. Sil. III, 41. Eosdem Virg. in foribus inferni regni stabulantes inducit, Æn. VI, 286. Add. Sil. XIII, 590.

779. *Lapithæque*. Populi Thessaliæ, equitandi peritissimi : hos bello vicit Hercules. Apollodor. II, 7 : Αἰγιμίῳ βασιλεῖ Δοριέων συνεμάχησε. Λαπίθαι γὰρ περὶ γῆς ὅρων ἐπολέμουν αὐτῷ, Κορώνου στρατηγοῦντος. Ὁ δὲ πολιορκούμενος ἐπεκαλέσατο τὸν Ἡρακλέα βοηθὸν ἐπὶ μέρει τῆς γῆς. Βοηθήσας δὲ Ἡρακλῆς ἀπέκτεινε Κόρωνον μετὰ καὶ ἄλλων, καὶ τὴν γῆν ἅπασαν παρέδωκεν ἐλευθέραν αὐτῷ. De hoc Lapitharum contra Herculem bello paucissimi memoravere : multo celebratior est pugna illa a Centauris et Lapithis commissa, inter faciendas Pirithoi et Hippodamiæ nuptias, cujus etiam Noster meminit, addens *multo in bella succensi mero :* vinum enim et Centauris in aggressionem et Lapithis in defensionem victoriamque animos fecit. Vid. Hesiod. scut. Herc. 178. Horat. I, od. 18. Ovid. Metam. XII, 211.

780. *Stygiæ paludis*. Vid. v. 713. — *Ultimos quærens sinus*. Hydra paludis profundissima petere fingitur, propter metum Herculis, a quo in terris exstincta fuit ; de qua vid. sup. v. 241. Occurrit similiter in descript. infer. Æn. VI, 287, « bellua Lernæ Horrendum stridens ».

782. *Avari*. Qui nihil sibi subduci patitur, nec unquam rapta dimittit. Sic Virg. Georg. II, 491 : «...strepitumque Acherontis avari »; quod imitatus est Racin. in Phædra, act. II, scen. 5 :

Et l'avare Achéron ne lâche point sa proie.

783. *Hic sævus Stygius canis*, etc. Virgilius, Æn. VI, 415 : « Tandem trans fluvium incolumes vatemque virumque Informi limo glaucaque exponit in ulva. Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci Personat, adverso recubans immanis in antro. » Id. Æn. VI, 400 : « licet ingens janitor antro Æternum latrans exsangues terreat umbras. »

785. *Sordidum tabo caput*. Pro-

Digitized by Google

Lambunt colubræ : viperis horrent jubæ;
Longusque torta sibilat cauda draco :
Par ira formæ. Sensit ut motus pedum,
Attollit hirtas angue vibrato comas,
Missumque captat aure subrecta sonum, 790
Sentire et umbras solitus. Ut propior stetit
Jove natus, antro sedit incertus canis,
Et uterque timuit. Ecce, latratu gravi

pter saniosam oris rabidi spumam.

786. *Viperis horrent jubæ.* Virg. Æn. VI, 419 : « Cui vates horrere videns jam colla colubris... » Apollod. II, 5 : Εἶχε δὲ οὗτος τρεῖς μὲν κυνῶν κεφαλὰς, τὴν δὲ οὐρὰν δράκοντος, κατὰ δὲ τοῦ νώτου, παντοίων εἶχεν ὄφεων κεφαλάς.

787. *Longusque torta.* Sil. XIII, 394. « Viperea latrans circumligat ilia cauda. » Cauda monstri extrema sua parte caput draconis habebat, qui et in hac pugna Herculem momordisse dicitur. Apollod. II, 5 : Οὐκ ἀνῆκε, καίπερ δακνόμενος ὑπὸ τοῦ κατὰ τὴν οὐρὰν δράκοντος.

788. *Par ira formæ.* Ira non minus tremenda quam forma. — *Sensit ut motus pedum.* Nostrum videtur respexisse Statius, Theb. II, 26 : « Illos ut cæco recubans in limine sensit Cerberus, atque omnes capitum subrexit hiatus, Sævus et intranti populo, jam nigra tumebat Colla minax. »

789. *Angue vibrato.* Erectis anguibus, qui illi quasi pro capillis sunt.

791. *Sentire et umbras.* Tenues umbras sine sonitu euntes solitus tamen audire.

793. *Uterque timuit.* Ad hæc Botheus, si minus recte, at saltem ingeniose : « Haud equidem nescio, quæ interpretes supra ad v. 45 et ad Herc. Œt. 269. Fero Herculem timentem, sed suo loco. Hic totus est poeta in describendo Cerbero, cujus de specie, metu, ira denique postquam fusius dixit, tum demum de Hercule narrare infit, v. 797, cujus si jam hoc loco facta mentio fuisset, nomine aliquo vel pronomine denuo significandus erat canis in sequentibus *Ecce, latratu*, etc. Legendum procul dubio *Et utique timuit.* Incertus sedit Cerberus, quid faceret; sed id minime incertum erat, eum timere (*utique* timuit). Laur. Valla de elegantiis lat. ling. II, 27 : « *Profecto* et *utique* sine dubio affirmant; sed hoc secundum nunquam aut fere nunquam apud Ciceronem, apud posteriores frequenter, etc. » Cicero quoque ad Attic. XII, 8 : *et Pyliæ satisfaciendum est, et utique Atticæ.* Et sic sæpius. Evanescente autem *i* litera in *utique*, conspicere sibi visi fuerint librarii *ut'que*, id est *uterque;* siquidem tali compendio hoc alterum scribere solebant. » Hoc omnino nititur Bothei emendatio, quod, post *uterque timuit*, significari oporteat nomine quodam aut pronomine, quis *loca muta terreat;* sed, quia per se clarum est referenda ad canem, non ad Herculem, verba *latratu gravi terret*, et

Digitized by Google

Loca muta terret : sibilat totos minax
Serpens per armos : vocis horrendæ fragor 795
Per ora missus terna felices quoque
Exterret umbras. Solvit a læva feros
Tunc ipse rictus, et Cleonæum caput
Opponit, ac se tegmine ingenti clepit :
Victrice magnum dextera robur gerens, 800
Huc nunc et illuc verbere assiduo rotat :
Ingeminat ictus. Domitus infregit minas,
Et cuncta lassus capita submisit canis,
Antroque toto cessit. Extimuit sedens

vix est in ea locutione quod religiosissimum grammaticum offendat, vulgatam retineo, non uno Senecæ loco defensam, in primis versu 269 Herc. Œt. « Omnes in isto pectore invenies feras, quas timuit. »

794. *Muta.* In quibus siletur; opponuntur *muta* et *latratu gravi.* Cic. pro Mil. 19 *muta solitudo.* Stat. Achill. I, 239 : « .... speluncaque docti Muta senis. ». etc. etc.

795. *Serpens.* Draco quem Cerbero pro cauda esse nuper dixit, v. 787.

797. *Solvit a læva*, etc. Hercules leonis pellem lævo lateri suspensam (vid. inf. vers. 1150) revellit, ut ea quasi clipeo corpus tegat.

798. *Rictus.* Os leonis; pellis enim pars ea melior ad protegendum corpus. Apollod. II, 4 : Χειρωσάμενος τὸν λέοντα, τὴν μὲν δορὰν ἠμφιέσατο, τῷ χάσματι δὲ ἐχρήσατο κόρυθι. — *Cleonæum caput.* Fuerunt Cleonæ urbes Peloponnesi, juxta Nemeæam silvam, unde Nemeæus leo, ab Hercule occisus, dictus est *Cleonæus.* Sil. III, 33 : « .....nexuque elisa leonis Ora Cleonæi patulo cælantur hiatu. » Lucan. IV, 612 : « Ille Cleonæi projecit terga leonis. » Vid. et Valer. Flacc. I, 34. Stat. Silv. IV, 4, v. 28. Mart. IV, 60. Serv. ad Virg. Æn. VIII, 295.

799. *Clepit.* Involvit, et quasi occulit, a κλέπτω. Noster, Med. 155 : « Qui capere consilium potest, Et clepere sese. »

800. *Robur.* Clavam. Apollodor. Herculem sine clava et telo Cerbero congressum narrat, II, 5 : Περιβαλὼν τῇ κεφαλῇ τὰς χεῖρας, οὐκ ἀνῆκε καίπερ δακνόμενος ὑπὸ τοῦ κατὰ τὴν οὐρὰν δράκοντος· κρατῶν δὲ ἐκ τοῦ τραχήλου, καὶ ἄγχων, τὸ θηρίον ἔπεισε.

801. *Huc nunc et illuc.* Cf. Virg. Æn. V, 457.

803. *Et cuncta..... capita.* Non terna tantum monstri capita, sed draconis et serpentium quibus horrent comæ corpusque Cerberi.

804. *Antroque toto cessit.* Nic. Heinsius *noto* pro *toto* voluerat, quasi vulgata non ferri posset. Eam tuetur Badenius Virgiliano versu, Æn. VI, 423, « Toto ingens extenditur antro », ratus scilicet *antro cessit*, pro *in antrum se recepit* acci-

Digitized by Google

Uterque solio dominus, et duci jubet : 805
Me quoque petenti munus Alcidæ dedit.
Tunc gravia monstri colla permulcens manu
Adamante texto vincit : oblitus sui
Custos opaci pervigil regni canis
Componit aures timidus, et patiens trahi, 810

piendum. Neque Nic. Heinsio vulgatam repudianti auscultandum arbitramur, nec Badenio retinendæ causam afferenti. Non enim *cedere antro* et multo magis *antro toto cedere* pro *se recipere in antrum* dici posse judicamus. Alius est in promptu sensus, nempe Cerberum antro suo egredi, et ab expugnata quasi arce sua cedere. Sæpe in latinis scriptoribus *cedere* sonat idem ac *exire*, *egredi*, ut in Horat. II, od. 3, v. 17 : « Cedes coemptis saltibus, et domo, Villaque, etc. » Et Cic. pro Mil. 25 : *Næ iste haud dubitans cessisset patria.* Quadrat autem *toto* cum nostro sensu; victi enim est et victum se fatentis nullam sedis suæ partem jam tueri suaque omnia totamque domum victori tradere.

805. *Uterque.* Pluton et Proserpina. — *Duci jubet.* Juridica formula, ut notavit Delrio, et ad eos pertinens qui propter æs alienum creditoribus suis addicuntur, donec debita solvant. Vid. Senec. de ira, I, 16. Næv. apud Cicer. de orat. II, 63. Liv. VI, 20.

806. *Me quoque.* Theseus enim, Pirithoo comitante, ad rapiendam Proserpinam, inferos penetraverat (vid. Virg. Æn. VI, 392, et Stat. Theb. VIII, 52). A Plutone vero retentus est, et saxo, cui lassus insederat, applicatus. In Virg. Æn. VI, 618, eodem torqueri supplicio fingitur Theseus, quo tempore Æneas ad manes descendit, quamvis ab Hercule jam liberatus fuerit. Contra Noster memorat rogatum ab Hercule Plutonem ut Theseum liberaret, annuisse petenti. Rem aliter narrat Apollodorus, II, 5 : Θησέα εὗρε, καὶ Πειρίθουν.... Θεασάμενοι δὲ Ἡρακλέα, τὰς χεῖρας ὤρεγον, ὡς ἀναστησόμενοι διὰ τῆς ἐκείνου βίας. Ὁ δὲ Θησέα μὲν, λαβόμενος τῆς χειρὸς, ἤγειρε. Conf. Suid. (v. Λίσπος), Schol. Aristophan. (Equit. v. 1365), et Heyn. not. ad Æneid. VI, 617.

808. *Adamante texto.* Intelligit Farnabius catenam e solido ferro, quasi adamas, pro sua duritie, per translationem durissima quæque significet. Sed proprie Virg. Æn. VI, 552 : « solidoque adamante columnæ ». Et Ovid. Metam. VII, 410 : « Est via declivis, per quam Tirynthius heros Restantem contraque diem radiosque micantes Obliquantem oculos, nexis adamante catenis, Cerberon abstraxit, rabida qui concitus ira Implevit pariter ternis latratibus auras. » Cur igitur non putemus et Senecam proprie et sine translatione hoc loco *adamante* adhibuisse? quæ quidem interpretatio magnificentiorem fabulam et digniorem Hercule facit.

810. *Componit aures.* Aures, antea

Digitized by Google

Herumque fassus, ore submisso obsequens
Utrumque cauda pulsat anguifera latus.
Postquam est ad oras Tænari ventum, et nitor
Percussit oculos lucis ignotæ, novos
Resumit animos vinctus, et vastas furens 815
Quassat catenas : pæne victorem abstulit
Pronumque retro vexit, et movit gradu.
Tunc et meas respexit Alcides manus :
Geminis uterque viribus tractum canem
Ira furentem, et bella tentantem irrita, 820
Intulimus orbi. Vidit ut clarum æthera,
Et pura nitidi spatia conspexit poli,
Oborta nox est, lumina in terram dedit,
Compressit oculos, et diem invisum expulit,
Aciemque retro flexit, atque omni petiit 825

arrectas, demittit, more timentium canum et veluti pœnam deprecantium. — *Patiens trahi.* Ad similitudinem Horatii, I, od. 2, v. 43 : « Patiens vocari Cæsaris ultor. »

812. *Cauda pulsat.* Non ut blandiatur Herculi, quod scripsit Farnabius, sed more canum aliarumque pecudum, quæ vim aliquam expertæ nec satis validæ ad resistendum, se tamen vix subjectas esse et jugum ægre ferre verberibus caudæ testantur.

814. *Percussit oculos*, etc. Ut lucem aspicit Cerberus, sibi ignotam et inimicam, positas iras resuscitat. Vid. sup. v. 60. Conf. et Ovid. loco citato in not. ad vers. 808.

817. *Pronum.* Prono enim corpore trahenti resistitur. —*Movit gradu.* Suo eum de loco et vestigio per vim retraxit. Liv. VI, 32 : *Quantum Romana se invexit acies, tantum hostes gradu moti.* Seneca, de constant. sapient. 19 : *Injurias vero, ut vulnera, alia armis, alia pectori infixa, non dejectus, ne motus quidem gradu sustineat.*

818. *Respexit Alcides manus.* Quæ illum in trahendo ad lucem Cerbero adjuvarent.

822. *Et pura nitidi.* Quo purior æther, eo injucundior Cerbero et inferis. Statius, Theb. VIII, 32 : « Expavit *(Pluton)* oborta Sidera, jucundaque offensus luce profatur : Quæ superum labes inimicum impegit Averno Æthera ? » Vid. sup. v. 293 et 567.

823. *Oborta nox est.* Cerbero tenebris assueto caliginem facit splendor solis, quod et hominibus accidere solet, si ex obscuro loco repente ad lucem emergant. — *In terram dedit.* Fixit humi.

825. *Omni petiit*, etc. Terna capita demisit in terram ; nisi malis intelligere demitti *omnino* cervicem.

Digitized by Google

Cervice terram : tum sub Herculea caput
Abscondit umbra. Densa sed læto venit
Clamore turba, frontibus laurum gerens,
Magnique meritas Herculis laudes canit.

CHORUS THEBANORUM.

NATUS Eurystheus properante partu, 830
Jusserat mundi penetrare fundum :
Deerat hoc solum numero laborum,
Tertiæ regem spoliare sortis.
Ausus est cæcos aditus inire,
Ducit ad manes via qua remotos 835
Tristis, et silva metuenda nigra,
Sed frequens magna comitante turba.
Quantus incedit populus per urbes
Ad novi ludos avidus theatri :
Quantus Eleum ruit ad Tonantem, 840

830. *Properante partu.* Quum Jupiter coram superis declaravisset, Mycenis eum regnaturum, qui ex stirpe Persei jamjam orturus erat, Juno Lucinam rogavit ut partum Alcmenæ moraretur, Eurystheum vero statim et ante diem emitteret, Herculi leges daturum. Vid. Homer. Iliad. XIX, 95 et seqq.; ex quo Apollod. fabulam, ad quam alludit Noster, assumpsit; hæc enim in Bibl. II, 4 : Ὅτε γὰρ Ἡρακλῆς ἔμελλε γεννᾶσθαι, Ζεὺς ἐν θεοῖς ἔφη, τὸν ἀπὸ Περσέως γεννηθησόμενον τότε βασιλεύειν Μυκηνῶν· Ἥρα δὲ διὰ τὸν ζῆλον Εἰλείθυιαν ἔπεισε, τὸν μὲν Ἀλκμήνης τόκον ἐπισχεῖν, Εὐρυσθέα δὲ τὸν Σθενέλου παρεσκεύασε γεννηθῆναι ἑπταμηνιαῖον ὄντα.

831. *Jusserat.* Subaudi Herculem. — *Mundi.... fundum.* Inferos, quos plerique in terræ centro positos existimaverunt. Cic. Tuscul. I, 43 : *Præclare Anaxagoras : qui, quum Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, si quid ei accidisset, afferri : « Nihil necesse est, inquit; undique enim ad inferos tantumdem viæ est. »*

833. *Tertiæ regem.... sortis.* Plutonem. Vid. sup. not. ad v. 609.

837. *Magna comitante turba.* Herculem enim ad inferos descendentem comitabantur quicunque e vivis ad mortuos transmigrabant; quanto concursu, declarant sequentia.

840 *Eleum... ad Tonantem.* Ad ludos Olympici Jovis, qui in Elide, tota affluente Græcia, celebrabantur. De multitudine convenientium

Digitized by Google

Quinta quum sacrum revocavit æstas :
Quanta, quum longæ redit hora noctis,
Crescere et somnos cupiens quietos
Libra, Phœbeos tenet æqua currus,
Turba secretam Cererem frequentat, 845
Et citi tectis properant relictis
Attici noctem celebrare mystæ :

ad hæc spectacula, vid. Lucian. de Gymnas. Pind. Olymp. VI, 108, Olympiam πάγκοινον χώραν nuncupat.

841. *Quinta quum sacrum*, etc. Quum quintus annus (id est, incipiens annus post quadriennium a novissima ludorum celebratione expletum), Olympiaca certamina reduxit, quæ in primo Attici anni mense habebantur : porro hic primus mensis, Ἑκατομβαιὼν dictus, nostro Julio mensi circiter respondet ; unde *æstas* in Nostro pro anno incipiente. — Difficilem judicat locum Delrio, quod non circa æstatis initium, nec quinto, sed quarto quoque anno, Olympia celebrata fuisse videantur; Olympiadem enim pro quatuor annorum spatio vulgo habitam, et sic memoratam a Suida, Plutarcho, Solino, Eusebio, etc. Ipse autem, postquam quæstionem statuit tanquam de re difficillime enodanda, facillime dirimit, interpretatus *quinta æstas* dici pro quinta ineunte, expleta quarta ; sic quinto fieri die, ut ipsi loquimur, quod quarto die desinente et incipiente quinto agitur. De initio æstatis, notat Delrio ludos Olympiacos anni initio celebrari solitos; Græcos autem ab autumnali solstitio annum inchoavisse; loqui igitur Senecam de æstate confecta et quinto autumno incipiente. Quod addit, scilicet, hoc confirmari sequentibus, quia Noster Libræ meminit, autumnalis signi, perperam dici manifestum est : non enim quæ sequuntur ad Olympiacos ludos referenda, sed ad Eleusinia.

842. *Quanta*, etc. Quanta ruit ad Cereris sacra multitudo. — *Quum longæ redit hora noctis*. Quum longiores noctes fiunt. Eleusinia enim tertio Attici anni mense (Βοηδρομιὼν) celebrabantur, qui ad mensem nostrum septembrem referendus est.

844. *Libra, Phœbeos*, etc. Quum sole ingrediente Libræ cæleste signum, æquantur noctes diebus. Virg. Georg. I, 208 : « Libra die somnique pares ubi fecerit horas. » Nost. in Hipp. 838 : «Jam quarta Eleusin dona Triptolemi secat, Paremque toties Libra composuit diem. »

845. *Secretam Cererem*. De Eleusiniis vid. quæ supra notav. vers. 301. et 302.

846. *Citi*. Mystæ enim ad templum Cereris properabant facem accensam gerentes. Stat. Silv. IV, 8, v. 50 : « Tuque, Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo Votivam taciti quassamus lampada mystæ. » — *Tectis.... relictis*. Per agros, ait Farnabius, celebrabantur Cerealia.

847. *Noctem celebrare*. Vid. not. ad vers. 301. — *Mystæ*. Sacerdotes, a μυεῖν, *initiare*, et per extensionem

Digitized by Google

Tanta per campos agitur silentes
Turba! pars tarda gradiens senecta,
Tristis, et longa satiata vita : 850
Pars adhuc currit melioris ævi,
Virgines nondum thalamis jugatæ,
Et comis nondum positis ephebi,
Matris et nomen modo doctus infans.
His datum solis, minus ut timerent, 855

initiati omnes qui sacra peragebant.

848. *Tanta per campos*, etc. Virg. Georg. IV, 472 : « Umbræ ibant tenues, simulacraque luce carentum, Quam multa in silvis avium se millia condunt, Vesper ubi, aut hibernus agit de montibus imber ; Matres atque viri, defunctaque corpora vita Magnanimum heroum, pueri innuptæque puellæ, Impositique rogis juvenes ante ora parentum.» Add. Æn. VI, 305.

849. *Tarda...senecta.* Virg. Æn. V, 395: «Sed enim gelidus, tardante senecta, Sanguis hebet, etc. »

851. *Adhuc... melioris ævi.* Qui hactenus meliore fruebantur ævo. Virg. Æn. V, 415 : « Dum melior vires sanguis dabat. »

853. *Et comis*, etc. Juvenes, quum primum sibi genas abraderent, solebant et crines resecare, quos Apollini consecrabant (Martial. I, 32), vel Baccho (Stat. Theb. VIII, 493) vel aliis numinibus. Ad hoc usque tempus, comas gerebant intonsas. Horat. IV, od. 10, v. 2 : « Insperata tuæ quum veniet pluma superbiæ, Et, quæ nunc humeris involitant, deciderint comæ. » Id. epod. XI, 41 : « ... aut teretis pueri, Longam renodantis comam.» — *Ephebi.* Ab ἐπὶ et ἥβη, *pubes.* Alii ad decimum quartum annum, alii ad decimum sextum ephebiam referunt.

854. *Matris et nomen*, etc. Infans tenerrimæ ætatis; primum enim est loquendi rudimentum matrem appellare. Nonnulli hunc pueritiæ articulum quo pueri genitricem suam, quam antea *mammam* vocabant, vero vocabulo *matrem* nuncupant, a Seneca designari contendunt, irrita nec considerata interpretatione.

855. *His datum*, etc. Solis infantibus, virginibus et ephebis concessum est, ut *igne prælato* iter ad inferos illustre sibi facerent. Hoc non ex vulgata opinione, sed ex proprio ingenio in ornamentum expressisse Noster videtur. Quadrat tamen cum his ignibus et hac tenebricosa inferorum via, quod puerorum funera noctu ad faces et cereos ducerentur. Seneca, de tranq. anim. 11 : *Toties præter limen immaturas exsequias fax cereusque præcessit.* De brevit. vit. 20 : *At me hercule istorum funera, tanquam minimum vixerint, ad faces et ad cereos ducenda sunt.* Epist. 122: *Quantulum enim a funere absunt, et quidem acerbo, qui ad faces et cereos vivunt !* Ad quem locum *Lagrange : Virgile en parlant des obsèques du fils d'Evandre, dit :* « Et de more vetusto Funereas rapuere faces. »

Digitized by Google

Igne prælato relevare noctem.
Cæteri vadunt per opaca tristes;
Qualis est nobis animus, remota
Luce, quum mœstus sibi quisque sentit
Obrutum tota caput esse terra. 860
Stat chaos densum, tenebræque turpes,
Et color noctis malus, ac silentis
Otium mundi, vacuæque nubes.
Sera nos illo referat senectus :
Nemo ad id sero venit, unde nunquam, 865
Quum semel venit, potuit reverti.

Sur quoi le grammairien Servius nous apprend qu'à Rome on enterrait aux flambeaux ceux qui mouraient avant l'âge de puberté : « Moris Romani esse, ut impuberes noctu efferrentur ad faces, ne funere immaturæ sobolis domus funestaretur. » Vid. Serv. ad Æn. XI, 143.)

856. *Relevare noctem.* Minuere et prope nullam facere. Plin. Paneg. Traj. 19 : *Ut studium omnium laboremque tanquam exactor intenderes, et tanquam particeps sociusque relevares.* Ovid. Metam. VI, 354, *relevare sitim*, XI, 129, *relevare famem ;* in rem. amor. 586, *relevare luctum ;* in art. amand, III, 697 *relevare cestus.*

859. *Quum mœstus*, etc. Quum per subterranea euntes, mœsti nec sine quadam formidine sentimus terram, in cujus viscera descendimus, capiti nostro tota mole sua imminere. Putat Gruterus allusisse poetam ad loca subterranea Cryptæ Neapolitanæ, quam Seneca descripsit epist. 57 : *Nihil illo carcere longius, nihil illis faucibus obscurius..... aliquid illa obscuritas, quod cogitarem, dedit : sensi quemdam ictum animi, et sine metu mutationem*, etc.

861. *Chaos densum.* Vid. sup. not. ad vers. 610.

862. *Color noctis.* Petron. in fragment. de Æthiope : « Tinctus colore noctis. » — *Malus.* Injucundus, gravis.

863. *Vacuæque nubes. Vacuæ* sic explicat Farnab. quasi infernæ istæ nubes pluviæ inanes sint et nubium tantum simulacra ; præpostera, ut mihi videtur, subtilitate : nam potest intelligi *vacuæ* de solita nubium inanitate, quæ potissimum in inferorum descriptione memorari debuit, ubi omnia vana et inania fingunt poetæ. Sic sup. v. 673. : « Hinc ampla vacuis spatia laxantur locis. » Ad quem locum notata vide. Sic Virg. Æn. VI, 268 : « Ibant obscuri sola sub nocte per umbram, Perque domos Ditis vacuas et inania regna. »

866. *Potuit reverti.* Pronuntiat Both. legendum necessario *poterit ;* falso : vulgata elegantior ; ex eo quod, nemo ab inferis potuerit reverti, facile infertur neminem ad eos sero venire, utpote non reversurum. Subauditur *nemo* in altera sententiæ parte *unde nunquam potuit reverti.* Nemo *nostrum* ad id sero

Digitized by Google

Quid juvat durum properare fatum?
Omnis hæc magnis vaga turba terris
Ibit ad Manes, facietque inerti
Vela Cocyto. Tibi crescit omne, 870
Et quod Occasus videt, et quod Ortus:
Parce venturis; tibi, Mors, paramur:
Sis licet segnis; properamus ipsi.
Prima quæ vitam dedit hora, carpit.

venit, unde nemo *majorum* potuit reverti.

868. *Omnis hæc magnis*, etc. Quod expresserat Ovidius Metam. X, 17: « O positi sub terra numina mundi, In quem decidimus quidquid mortale creamur. » Et v. 32: « Omnia debemur vobis; paulumque morati Serius aut citius sedem properamus ad unam. Tendimus huc omnes; hæc est domus ultima, vosque Humani generis longissima regna tenetis. »

870. *Tibi*. Tibi, Mors, crescunt omnia.

872. *Parce venturis*. Quum ad te simus aliquando venturi, ne properes nos corripere, tanquam necessitatem moriendi detrectantes.

873. *Sis licet*, etc. Potes esse segnis: nam ipsi festinamus et ad te citi concurrimus; quotidie enim morimur. Conf. sequentia.

874. *Prima*, etc. Hora prima vitæ jam vitæ aliquid abstulit. Quam sententiam Seneca sæpenumero et abunde explicuit. Epist. I: *Quem mihi dabis... qui intelligat se quotidie mori? In hoc enim fallimur, quod mortem prospicimus; magna pars ejus jam præteriit: quidquid ætatis retro est, mors tenet*. Epist. 24..... *Non repente nos in mortem incidere, sed minutatim procedere. Quotidie morimur; quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, et tunc quoque quum crescimus, vita decrescit*, etc. Id. Cons. ad Marc. cap. 20: *Ex illo* (die) *quo primum lucem vidit, iter mortis ingressus est, accessitque fato propior, et illi ipsi, qui adjiciebantur adolescentiæ anni, vitæ detrahebantur*, etc. —*Carpit*. Id. Epist. 120: *Illo, unde nobis cadendum est, hora nos omnis impellit.... Ad mortem dies extremus pervenit, accedit omnis. Carpit nos illa, non corripit*, etc. Ea videtur imitatione reddidisse noster *Massillon*, antiquæ eloquentiæ, quatenus christianum oratorem decet, æmulator: *Le premier pas que l'homme fait dans la vie, est aussi le premier qui l'approche du tombeau. Dès que ses yeux s'ouvrent à la lumière, l'arrêt de mort lui est prononcé*. Et plus loin: *Nous portons tous en naissant la mort dans notre sein; il semble que nous avons sucé dans les entrailles de nos mères un poison lent avec lequel nous venons au monde, qui nous fait languir ici-bas, les uns plus, les autres moins, mais qui finit toujours par le trépas. Nous mourons tous les jours; chaque instant nous dérobe une portion de notre vie, et nous avance d'un pas vers le tombeau*, etc., etc. (*Carême, sermon du Jeudi de la quatrième semaine.*)

Digitized by Google

Thebis læta dies adest : 875
Aras tangite supplices ;
Pingues cædite victimas :
Permixtæ maribus nurus
Solemnes agitent choros :
Cessent deposito jugo 880
Arvi fertilis incolæ.
Pax est Herculea manu
Auroram inter et Hesperum ,
Et qua sol medium tenens
Umbras corporibus negat. 885

875. *Thebis læta dies*. Scilicet, reduce Hercule, non sospite tantum, sed etiam victore. Eurip. Herc. fur. 764 : « Χοροὶ, χοροὶ, καὶ θαλίαι μέλουσι Θήβας, etc.... »

876. *Aras tangite*. Solebant veteres, seu deos sacrificiis aut precibus colerent, seu sacramento ante illorum imagines sese obligarent, aram manu tangere. Virgil. Æn. IV, 219 : « Talibus orantem dictis arasque tenentem »; Æn. VI, 124 : « Talibus orabat dictis arasque tenebat »; Æn. XII, 201 : « Tango aras mediosque ignes. »

878. *Nurus*. Feminæ. Vid. supra not. ad vers. 20.

880. *Cessent*. Laborem intermittant.—*Deposito jugo*. Relicto aratro. *Jugum*, priore sensu, pro lignea trabe accipitur, quæ, transverso duorum boum collo imposita, eos jungit et colligat ; sed ad boves ipsos et ad quodlibet par animalium sæpissime traducitur, nec non ad aratrum aut currum ipsum, ut in Virg. Æn. X, 594, « Ipse rotis saliens juga deseris ».

882. *Pax est Herculea manu*. Euripid. Herc. fur. 698 : « Μοχθήσας τὸν ἄκυμον Θῆκεν βίοτον βροτοῖς, etc. »

883. *Auroram inter*, etc. Quidquid ab Oriente ad Occidentem terrarum est, pacavit Hercules. Vid. sup. v. 37 et 442.

884. *Qua sol medium*. Regiones quæ sub ardentissimo sole jacent ; nam sol tunc ardentissimus est, quum splendet inter Ortum et Occasum medius. Designat Noster zonæ torridæ vicinos accolas, quos adiit Hercules. Sic sup. v. 235 : « Penetrare jussus solis æstivi plagas, Et adusta *medius* regna quæ torret dies. »

885. *Umbras corporibus negat*. Locum explicat plenius Macrobius, in Somn. Scip. II, 7 : *Umbra et in occasum cadit, oriente sole, et in ortum, quum sit occiduus : medio autem die, quia sol meridiem tenet, in septentrionem umbra depellitur..... Civitas autem Syene, quæ provinciæ Thebaidos post superiorum montium deserta principium est, sub ipso æstivo tropico constituta est ; et eo die, quo sol certam partem ingreditur Cancri, hora diei sexta (quoniam sol tunc super ipsum invenitur verticem civitatis), nulla illic potest in terram de quolibet corpore umbra jactari.... Hoc est, quod*

Digitized by Google

Quodcunque alluitur solum
Longo Tethyos ambitu,
Alcidæ domuit labor.
Transvectus vada Tartari
Pacatis redit inferis. 890
Jam nullus superest timor :
Nil ultra jacet inferos.
Stantes sacrificus comas
Dilecta tege populo.

Lucanus dicere voluit, nec tamen plene, ut habetur, absolvit : dicendo enim « Atque umbras nunquam flectente Syene », *rem quidem attigit, sed turbavit verum; non enim nunquam flectit, sed uno tempore; quod cum sua ratione retulimus.*

892. *Nil ultra jacet inferos.* Quid metuas, pacatis inferis, ultra quos nihil jacet, id est, qui *rerum termini* (sup. v. 290) habentur, aut qui formidolosiores sunt quam cætera.

893. *Stantes... comas.* Arrectas et propter afflatum divinitus animum. Homer. Iliad. XXIV, 359 : « Ὀρθαὶ δὲ τρίχες ἔσταν. » Et Virg. Æn. II, 774 : « Obstupui, steteruntque comæ. » — *Sacrificus.* Intellige *Sacrificus tege*, tanquam scriberetur *tege, sacrifice.*

894. *Dilecta... populo.* Populus sacra fuit Herculi. Virg. Bucol. VII, 61 : « Populus Alcidæ gratissima. » Ovid. Heroid. IX, 64 : « Aptior Herculeæ populus alba comæ. » Phædr. lib. III, fab. 17 : « Quercus Jovi, Et myrtus Veneri placuit, Phæbo laurea, Pinus Cybelæ, populus celsa Herculi. » Narrat Servius ad Virg. loco cit., Leucen, Oceani filiam, a Plutone adamatam fuisse : post ejus mortem natam esse arborem cognominem in Elysiis, vel in ripa Acherontis, ex qua Hercules rediens ab inferis coronam sibi fecerit, duplici foliorum colore geminos labores, superorum inferorumque, professus. Ob hanc causam sacrificantes ei apud aram maximam populea corona ornari solebant ante Romam conditam, quanquam post ea tempora lauro usi sunt. Vid. Macrob. Saturn. III, 12.

Digitized by Google

ACTUS QUARTUS.

HERCULES, THESEUS, AMPHITRYON, MEGARA.

HERC. ULTRICE dextra fusus adverso Lycus 895
Terram cecidit ore : tum quisquis comes
Fuerat tyranni, jacuit et pœnæ comes.
Nunc sacra patri victor et superis feram,
Cæsisque meritas victimis aras colam.
Te, te, laborum socia et adjutrix, precor, 900
Belligera Pallas, cujus in læva ciet
Ægis feroces ore saxifico minas.
Adsit Lycurgi domitor et Rubri maris,

895. *Fusus*. Prostratus, ut Sil. IV, 233 : «... multo vix fusum vulnere Breucum. » Et VII, 31 : «...fususque ruentis Vulnere equi.»

896. *Terram cecidit*. Virg. Æn. X, 403 : « . . . Curruque volutus Cædit semianimis Rutulorum calcibus arva. » Horat. II, od. 7 : « Turpe solum tetigere mento. »

898. *Nunc sacra*, etc. Euripid. Herc. fur. 922 : «Ἱερὰ μὲν ἦν πάροιθεν ἰσχάρας Διὸς, etc. » — *Feram*. Solemnis est locutio *ferre sacra*. Virg. Æn. III, 19 : « Sacra Dioneæ matri divisque ferebam. »

898. *Meritas.... aras*. Aras deorum, quibus pro occiso Lyco sacra debentur.

902. *Ægis*. Ægis erat scutum vel lorica (nam dissident poetæ), ex pelle capellæ Amaltheæ, cui Medusæ caput impressum erat. Hygin. poet. astronom, II, 13 : « Quum Jupiter, fidens adolescentia, bellum contra Titanas appararet, responsum est ei, si vincere vellet, ut αἰγὸς pelle tectus et capite Gorgonis, bellum administraret, quam Ægida Græci appellaverunt...Postea quibus ipse vicerat tectus, Minervæ concessit. » Inde aliquando Jovi tribuitur (Virg. Æn. VIII, 354. Sil. XII, 720); sed sæpius Minervæ (Virg. Æn. II, 616, et VIII, 435. Horat. III, od. 4, v. 57. Ovid. Metam. II, 753, V, 46, et VI, 78. Sil. IX, 442, et X, 435. Nostr. Agam. 530.) — *Ore saxifico*. Vid. Ovid. Metam. IV, 770 et sqq. Lucan. IX, 626 et sqq. Apollod. II, 4. — *Minas*. Similiter in Œdip. 351, *ciere terrores*.

903. *Lycurgi domitor*. Bacchus.

Digitized by Google

Tectam virenti cuspidem thyrso gerens;
Geminumque numen, Phœbus et Phœbi soror, 905
Soror sagittis aptior, Phœbus lyræ;
Fraterque quisquis incolit cælum meus,
Non ex noverca frater. Huc appellite
Greges opimos : quidquid Indorum seges,
Arabesque odoris quidquid arboribus legunt, 910
Conferte in aras; pinguis exundet vapor.
Populea nostras arbor exornet comas :

Narrat Homerus, Iliad. VI, 130 et sqq. regem Edonorum Lycurgum Nymphas Bacchi altrices, quod orgia celebrarent, ausum armis persequi, impietatis pœnas dedisse, obcæcatum primo a Jove, mox e vita expulsum. Alia variaque Soph. Antig. 946, et Apollod. III, 5, de Lycurgi pœna referunt. Hygin. fab. 132 : *Lycurgum Liber pantheris objecit in Rhodope.* — *Rubri maris.* Domitor *Rubri maris,* pro domitor *Indorum et Asiæ :* Alluebatur enim India Erythræo mari, quod idem ac Rubrum mare fuisse ex ipso vocabulo patet (Ἐρυθρὸς, *rubens*). Plin. VI, 23 : *Irrumpit deinde et in hac parte geminum mare in terras, quod Rubrum dixere nostri, Græci Erythræum, a rege Erythra, aut, ut alii, solis repercussu talem reddi colorem existimantes; alii, ab arena, terraque; alii, tali aquæ ipsius natura. Sed in duos dividitur sinus : is qui ab Oriente est, Persicus appellatur..... Rursus altero ambitur sinu, Arabico nominato.....* etc. Vid. et Curt. VIII, 9; Pompon. Mel. III, 8. Stat. Theb. VII, 566. «.... Erythræis quas nuper victor ab oris Liber...» Mart. VIII, 26 : « Vicit Erythræos tua, Cæsar, arena triumphos, Et victoris opes divitiasque dei. »

906. *Soror sagittis aptior.* Diana venatrix.

907. *Fraterque quisquis*, etc. Et quicunque cælum incolunt, e Jove nati, ideoque Herculis fratres.

908. *Non ex noverca.* Jove, sed non Junone orti, ne quid materni odii in Herculem traxerint. — *Huc appellite.* Convertitur Hercules ad famulos vel ad ministros sacrorum.

909. *Greges opimos.* Pingues egregiasque victimas. — *Quidquid Indorum seges.* Subaud. *est :* quidquid est odoriferæ segetis apud Indos. Ovid. Fast. III, 720 : « Et domitas gentes, turifer Inde, tuas. »

910. *Arabesque.* Arabia est odorum feracissima. Virg. Georg. I, 57 : « India mittit ebur, molles sua tura Sabæi » (Sabæi, Arabiæ populi). Ovid. Fast. IV, 569 : « Nam modo turilegos Arabas, modo despicit Indos. » Vid. et Met. X, 478; Heroid. XV, 76. Plaut. Mil. act. II, scen. 5, v. 2; Pœn. act. V, scen. 4, v. 6. Stat. Silv. IV, 5, v. 31. Claud. de rapt. Proserp. II, 81; Consul. Honor. III, 71. Valer. Flac. VI, 138. Mart. III, 65. Avien. descript. orb. terr. v. 1111. Nostri OEdip. 117; Agamemn. 807, etc.

912. *Populea arbor.* Vid. not. ad vers. 894.

Digitized by Google

Te ramus oleæ fronde gentili tegat,
Theseu. Tonantem nostra adorabit manus:
Tu conditores urbis, et silvestria 915
Trucis antra Zethi, nobilis Dircen aquæ,
Laremque regis advenæ Tyrium coles.

913. *Te ramus oleæ*, etc. Theseus rex erat Atheniensium, quorum olea propria et gentilis fuisse traditur. Quum enim, deis judicibus, de Athenarum appellatione Minerva Neptunusque litigarent, is equum e tellure, quam tridente percusserat, suscitavit; Minerva autem oleam florentem extulit, munerisque sui utilitate victrix, suum urbi nomen imposuit. Ovid. Metamorph. VI, 70. Apollod. III, 14. Phæd. III, 17.

915. *Conditores urbis*. Cadmum, de quo infra, v. 917, Zethum fratrem ejus superstitesque Spartos qui cum Cadmo Thebas constituere (vid. sup. not. ad vers. 261), et Amphionem qui urbis mœnia extruxit. (Vid. sup. v. 262. Apollod. III, 4. Ovid. Metam. III, 106.)

916. *Trucis.....Zethi*. Fuit Zethus filius Jovis et Antiopæ, fraterque Amphionis. *Trux* dicitur, quia, dum frater citharam pulsaret, ipse agrestem vitam degebat, saltus et silvas venando peragrans. Propert. III, eleg. 15, v. 29: « Et durum Zethum, et lacrymis Amphiona mollem. » Ad hanc morum diversitatem respexit Horat. I, epist. 18. v. 39: « Nec tua laudabis studia, aut aliena reprendes; Nec, quum venari volet ille, poemata panges. Gratia sic fratrum geminorum Amphionis atque Zethi dissiluit, donec suspecta severo Conticuit lyra: fraternis cessisse putatur Moribus Amphion, etc.... » In anaglypto quodam Villæ Borghesiæ, quod descripsit Winckelmann. Hist. art. V, 1, exhibentur Zethus et Amphion, alter silvestri et feroci habitu, alter galeato capite, lyram sub chlamyde occultans, quasi Zethus nimium poeseos et lyræ amorem fratri exprobret, et motus Amphion fraternis objurgationibus ab Apolline et Musis ad Martem transeat. Hoc anaglyptum ex Euripidis Antiopa effictum fuisse videtur, in qua Zethus Amphionem jubebat projicere lyram, et arma corripere. De hoc Euripidis loco, vid. Scholiast. Plat. de interpretando Gorgia. — *Nobilis Dircen aquæ*. Euripid. Iphig. in Taur. 401, ῥεύματα σεμνὰ Δίρκας. Memorat Apollodor. III, 5, Dircen, Lyci uxorem, ab Amphione et Zetho ad caudam tauri furentis alligatam fuisse, et in fontem deinde abjectam, qui ejus nomine nuncupatus fabulæ locum dedit Dirces in fontem conversæ. Conf. Euripid. Bacch. 520; Herc. fur. 784. Ovid. Metam. II, 239. Hygin. fab. 7 et 8. Stat. Theb. I, 38, etc.

917. *Laremque regis advenæ Tyrium*. Larem quem Cadmus e Tyro in Bœotiam transtulerat. Scilicet Cadmus, jussus a patre Agenore ut raptam Europam quæreret, quum eam non reperisset, Phœnicia patria decessit, in qua Tyrus oppidum, et monitu Apollinis, cujus oraculum sciscitaverat, Thebas in Bœotia

Digitized by Google

Date tura flammis. AMPH. Nate, manantes prius
Manus cruenta cæde et hostili expia.
HERC. Utinam cruorem capitis invisi deis 920
Libare possem! gratior nullus liquor
Tinxisset aras; victima haud ulla amplior
Potest, magisque opima mactari Jovi,
Quam rex iniquus. AMPH. Finiat genitor tuos
Opta labores : detur aliquando otium, 925
Quiesque fessis. HERC. Ipse concipiam preces
Jove meque dignas. Stet suo cælum loco,

condidit. De Cadmo consul. Apollodor. III, 4 et 5. Euripid. Bacch. 1320. Scholiast. Homeri (Iliad. II, 494), Euripidis (Phœniss. 641 et 666), Apollonii (III, 1178). Ovid. Metam. IV, 563. Hygin. fab. 6, etc. etc.

918. *Date tura.* Solemnis locutio. Ovid. Metam. IX, 159; Trist. I, eleg. 2, v. 104, et II, v. 59. Tibul. I, eleg. 7, v. 53, et IV, eleg. 6, v. 2. Nostr. Octav. 700, etc. — *Nate, manantes prius,* etc. Homer. Iliad. VI, 266; « Χερσὶ δε ἀνίπτοισι Διῖ λείβειν αἴθοπα οἶνον Ἄζομαι, etc. » Virgil. Æn. II, 718 : « Me bello e tanto digressum et cæde recenti Attrectare (*sacra*) nefas, donec me flumine vivo Abluero. »

926. *Quiesque fessis.* Tibi, qui tot labores exantlavisti; nobis, a Lyco tot et tam gravia mala perpessis. — *Ipse concipiam.* Quasi dicat : « Non virum animosum decet, si labores deprecetur otiumque roget. Vota mea nec ad quietem spectare, nec intra domum meam debent consistere, sed ad omnium salutem et universi orbis conservationem intendi : filius ego Jovis concipiam vota Jove digna, qui totius mundi omniumque gentium ac temporum cura tangitur. »

927. *Jove meque dignas,* etc. Hæc et quæ sequuntur Gallicis versibus reddidit *Rotrou*, qui arti tragicæ apud nos constituendæ haud infeliciter prælusit. Senecæ Herculem Œtæum nostræ scenæ inferre aggressus, quem quidem fida et integra imitatione expressit (vid. quæ ad Herc. Œt. passim notavimus), hunc et Herculis furentis locum addidit, non usurpatis tantum verbis, verum ipso totius scenæ contextu, nisi quod non furore divinitus immisso, sed venenatæ tunicæ ignibus Hercules subito exæstuet. (*Hercule mourant*, act. III, scen. I) :

.....Mon esprit conçoit une prière
Séante dans ma bouche, et digne de mon père.
Que ce globe azuré soit constant en son cours,
Qu'à jamais le soleil y divise les jours;
Que d'un ordre éternel sa sœur brillante et pure,
Aux heures de la nuit éclaire la nature;
Que la terre donnée en partage aux humains
Ne soit jamais ingrate au travail de leurs mains;
Que le fer désormais ne serve plus au monde
Qu'à couper de Cérès la chevelure blonde;
Qu'une éternelle paix règne entre les mortels,
Qu'on ne verse du sang que dessus les autels;

Digitized by Google

Tellusque et æther : astra inoffensos agant
Æterna cursus : alta pax gentes alat :
Ferrum omne teneat ruris innocui labor, 930
Ensesque lateant : nulla tempestas fretum
Violenta turbet : nullus irato Jove
Exsiliat ignis : nullus hiberna nive
Nutritus agros amnis eversos trahat :
Venena cessent : nulla nocituro gravis 935
Succo tumescat herba; non sævi ac truces
Regnent tyranni. Si quod etiamnum est scelus
Latura tellus, properet; et si quod parat
Monstrum, meum sit.... Sed quid hoc? medium diem
Cinxere tenebræ : Phœbus obscuro meat 940

Que la mer soit sans flots, que jamais vent n'excite
Contre l'art des nochers le courroux d'Amphitrite;
.....
.....
Mais quelle prompte flamme en mes veines s'allume?
Quelle soudaine ardeur jusqu'aux os me consume? etc. etc.

— *Stet suo cælum loco.* Cælum, æthera, tellurem singulatim nominat Seneca, quia his tribus constat mundi universitas. Sic Quæstion. Natur. II, 1 : *Omnis de universo quæstio in cælestia, sublimia, et terrena dividitur.*

929. *Gentes alat.* Pax alere gentes dicitur, quia conducit agriculturæ. Tibull. I, eleg. 10, v. 45 : « Interea Pax arva colat : Pax candida primum Duxit araturos sub juga curva boves : Pax aluit vites et succos condidit uvæ.... Pace bidens vomerque vigent. » Et paulo post : « At nobis, Pax alma, veni, spicamque teneto. » Add. Nostri Med. 63.

930. *Ferrum omne teneat.* Nihil ex ferro confletur, præter aratoria instrumenta.

932. *Nullus irato Jove.* Cf. Horat. I, od. 3, v. 39.

934. *Nutritus.* Sic Horat. IV, od. 2, v. 5 : « Velut amnis, imbres Quem super notas aluere ripas... » — *Agros.* Pro *messes et fruges agri.*

935. *Gravis.* Nocens.

939. *Meum sit.* Vincendum mihi contingat. Sic Hercul. Œt. 35 : « Properet malum quodcunque, dum terra Herculem Habet videtque. » — *Sed quid hoc?* Ad hunc locum, *Coupé : Après cette belle prière, des illusions vaines troublent la vue et l'esprit d'Hercule : c'est le prélude de sa fureur.* Studere videtur interpres, ut non nisi reprehensione digna probet laudetque. Omnia enim in Herculis invocatione solito poetæ vitio corrumpuntur, et inani turgent superbiloquentia.

940. *Cinxere tenebræ.* Virg. Æn. V, 13 : « Heu! quianam tanti cinxerunt æthera nimbi? » — In ple-

Digitized by Google

Sine nube vultu. Quis diem retro fugat,
Agitquè in ortus? unde nox atrum caput
Ignota profert? unde tot stellæ polum
Implent diurnæ? Primus en noster labor
Cæli refulget parte non minima Leo, 945
Iraque totus fervet, et morsus parat;
Jam rapiet aliquod sidus : ingenti minax
Stat ore, et ignes efflat, et rutilat jubam
Cervice jactans : quidquid autumnus gravis,
Hiemsque gelido frigida spatio refert, 950

risque poetis, quicunque primo insaniæ æstu correpti inducuntur, diem subito noctis interventu obscuratum videre sibi videntur; hoc ingruentis amentiæ proludium; hæc prima furentium allucinatio. Sic in nostri Racin. tragœd. *Andromaque*, succlamat Orestes, furiis agitatus, act. V, scen. 5 :

Mais quelle épaisse nuit tout-à-coup m'environne?

Idem Orestes in alio Gallico vate, *Crébillon*, *Electre*, act. V, scen. 9 :

Mais quoi! quelle vapeur vient obscurcir les airs?

— *Meat.* Ovid. Metam. XV, 71 : « ...qua sidera lege mearent. »

941. *Sine nube.* Obscurus est vultus Phœbi, quamvis nulla nube obtegatur.

942. *Agitque in ortus?* Quis regerit solem in orientem, et, ablegato sole, noctem inducit?

943. *Ignota.* Quæ nunquam hoc tempore orta est.

944. *Primus en noster labor.* Nemeæus seu Cleonæus leo inter astra a Jove, aut, ut volunt alii, ab ipsa Junone relatus. Vid. not. ad v. 224.

948. *Rutilat jubam.* Referenda est vox *jubam* ad sequentia *cervice jactans.* Neutraliter enim *rutilare* accipitur, ut in Virg. Æneid. VIII, 528 : « Arma inter nubem cæli in regione serena Per sudum rutilare vident »; et in Valer. Flac. V, 251 : « Tu quoque sacrata rutilant cui vellera quercu, Excubias, Gradive, tene. » Leo rutilat, id est, splendescit et in modum auri micat, fulvam jactans cervice jubam. Vid. Varron. de ling. lat. VI, 5. Frustra igitur Gronovius intelligi posse contendit *rutilat*, activo more, pro *crispat*, quum minime compertum sit hunc sensum *rutilare* unquam habuisse, nec ea detorsione opus sit, ad verba Senecæ interpretanda. Consulè quæ ad hunc locum in Animadversionibus nostris notavimus.

949. *Quidquid autumnus*, etc. Quidquid siderum reducunt autumnus et hiems, id est, omnia autumni et hiemis sidera, Leo transiliet, ut Taurum aggrediatur: sideribus enim autumni et hiemis dividitur Leo, æstivum signum, a Tauro, verno sidere. — *Gravis.* Pestilens. Juv. Sat. IV, 56 : « jam letifero cedente pruinis Autumno. »

950. *Gelido frigida.* Crebra in

Digitized by Google

Uno impetu transiliet, et verni petet
Frangetque Tauri colla. AMPH. Quod subitum hoc malum est?
Quo, nate, vultus huc et huc acres refers?
Acieque falsum turbida cælum vides?
HERC. Perdomita tellus, tumida cesserunt freta, 955
Inferna nostros regna sensere impetus :
Immune cælum est; dignus Alcidæ labor.
In alta mundi spatia sublimis ferar :
Petatur æther; astra promittit pater.
Quid si negaret? Non capit terra Herculem, 960
Tandemque superis reddit. En ultro vocat

script. latin. duarum pæne parium sensu vocum conjunctio, ut jam notavimus ad vers. 536. Plin. V, epist. 6 : *Cælum est hieme frigidum et gelidum.* Add. Noster in Thyest. 872, et Troad. 624.—*Spatio.* Spatium intellige, quod hiemalia signa obtinent.

952. *Tauri.* Vid. sup. v. 9.

953. *Quo, nate, vultus.* Conf. Euripid. Herc. fur. 932 et seqq. — *Acres.* Truces.

954. *Falsum.... cælum.* Cælum quod nubilis obscurum falso tibi videtur.

955. *Perdomita.* Tellure, æquore, inferisque perdomitis, restat ut cælum aggrediar.

957. *Immune cælum est.* Nondum vim nostram cælum expertum est.

959. *Astra promittit.* Sup. v. 23.

960. *Quid si negaret?* Nihil hoc loco adnotatores de sententiarum connexione scripsere, quamvis res non ita facilis sit et expedita. Frustra Gallicos interpretes consuluerimus, qui (errore, an industria dicam?) verbum verbo ita reddidere, ut non possit dignosci quid de hujus loci contextu senserint. *Coupé : Il faut que je monte au ciel : mon père m'a promis les astres. S'il me manquait de parole !... La terre est trop petite pour Hercule ; la terre me renvoie aux astres*, etc. Nec dissimiliter *Levée.* Quod omiserunt, supplendum. « Petamus æthera et sublime mundi vel cæli spatium, inquit Hercules : nihil obstabit ; astra enim mihi promisit pater ; et, etiamsi negaret, ad ea nihilominus irrumperem, quum jamjam non capiat terra Herculem et ad deos immittat. Sed vide ipsos me ad regiam Olympi subeundam invitantes : sola prohibet Juno et vetat mihi reserari polum.... Si non me recipias, noverca, cæli fores ego frangam! ... Etiamnum dubitas, Juno?... Jam Saturno vincula exuam, etc. » Hæc imaginatur Hercules quasi ante oculos ex ordine gerantur : et, quum diversa videre sibi videatur, non mirandum, si diversa, pæne contraria sentiat et loquatur ; modo mitis in patrem, *astra promittit pater*, modo minax ardensque, *contra patris impii regnum impotens avum resolvam.*

961. *Superis reddit*, etc. Hercules

Digitized by Google

Omnis deorum cœtus, et laxat fores,
Una vetante. Recipis, et reseras polum?
An contumacis januam mundi traho?
Dubitatur etiam? vincla Saturno exuam, 965
Contraque patris impii regnum impotens
Avum resolvam. Bella Titanes parent
Me duce furentes : saxa cum silvis feram,
Rapiamque dextra plena Centauris juga.
Jam monte gemino limitem ad superos agam. 970
Videat sub Ossa Pelion Chiron suum :

Jove procreatus, ad cælum quasi ad patriam reversurus est. Contendit Delrio hoc dici ex sententia Platonicorum, qui putabant animas prius in cælis fuisse quam corporibus includerentur : subtilior, et qua non eget locus, interpretatio.

962. *Fores.* Olympi.

963. *Una vetante.* Junone. — *Accipis, et reseras polum?* Minaciter Junonem compellat.

964. *An contumacis*, etc. Utrum velis elige, reseres polum, an poli fores me trahentem et frangentem videas? *Contumacis.* Obsistentis mihi. — *Mundi.* Cæli, ut sup. v. 18, et passim.

965. *Dubitatur etiam?* Quid? et nunc dubitas, Juno? Gallicus interpres, *Levée*, ab altero interprete, duce suo, recedit; infeliciter quidem, ut mihi videtur : *Douterait-on de mes forces?* Contra *Coupé*, nulla, non dicam verborum, sed sensus reprehensione : *Si l'on retarde encore, je romprai les chaines de Saturne.* — *Vincla Saturno exuam.* Quem Jupiter e cælo exterminaverat aut etiam, ut tradunt alii, ad Tartarum cum Titanibus deturbaverat. Æschyl. Prometh. 199 et seqq. Ovid. Metam. I, 113. Eadem Pluton minatur Jovi apud Stat. Theb. VIII, 43 : « Habeo jam quassa gigantum Vincula, et æthereum cupidos exire sub axem Titanas, miserumque patrem. » Et apud Claudian. de raptu Proserp. I, 113 : « Si dicto parere negas, patefacta ciebo Tartara; Saturni veteres laxabo catenas. »

966. *Patris impii.* Jovis. — *Regnum impotens.* Tyrannidem.

967. *Titanes.* Filii Cæli et Terræ : aliquando cum gigantibus confunduntur; Appollodorus vero hos et illos distinguit, I, 6. Vid. v. 79.

968. *Feram.* Convellam.

969. *Plena Centauris juga.* Montes Thessaliæ, quos nominat infra, scilicet Pelion, Ossam, Olympum; quibus Othrys adjici potest. De Centauris, Thessaliæ montes habitantibus, videantur supra notata ad vers. 778.

970. *Jam monte gemino.* Quod ipsi gigantes fecere, cælum invasuri. — *Limitem . . . agam.* Hoc est, iter mihi faciam. Vid. Sil. IX, 379.

971. *Sub Ossa Pelion*, etc. Hom. Odyss. XI, 314. Virg. Georg. I, 281. Ovid. Metam. I, 155; Fast.

Digitized by Google

In cælum Olympus tertio positus gradu
Perveniet, aut mittetur. AMPH. Infandos procul
Averte sensus : pectoris sani parum,
Magni tamen, compesce dementem impetum. 975
HERC. Quid hoc? gigantes arma pestiferi movent :
Profugit umbras Tityos, ac lacerum gerens
Et inane pectus, quam prope a cælo stetit!
Labat Cithæron, alta Pallene tremit,
Macetumque Tempe : rapuit hic Pindi juga; 980

I, 307. Propert. II, 1, v. 19. Nostri Thyest. 812; Troad. 830. Herc. Œt. 1152. — *Pelion Chiron suum.* Centaurus Chiron medicinæ, musices et omnium prope artium peritissimus fuit, quas Esculapium, Jasonem, Peleum, Achillem, Herculem et multos alios heroas docuisse fertur. Vulneratus ab imprudente nec volente Hercule, doloris impatiens, vitæ immortalitatem deprecatus est, et a Jove collocatus in astra, ubi dicitur *Arcitenens, Sagittarius* (Apollod. II, 5. Hygin. poetic. Astronom. III, 26.). In terris Pelion incoluit; et ideo ait Hercules, prospiciat ab alto cælo Arcitenens montem suum Ossæ suppositum.

972. *Olympus.* Mons Thessaliæ, quem, propter altitudinem, deorum sedem esse poetæ finxerunt.

973. *Perveniet aut mittetur.* Quum Ossæ et Pelio Olympus superpositus fuerit, nisi cælum tetigerit, hunc jaculabor contra deos. His enim telis usi fuerant gigantes. Vid. Apollod. I, 6. Unde in Claudiani Gigantomachi. 29, Terra ad filios : «Solvite Titanas vinclis : defendite matrem. Sunt freta, sunt montes : nostris ne parcite membris; In Jovis exitium telum non esse recuso »

976. *Quid hoc? gigantes*, etc. Videre se putat gigantes bellum adversus Jovem instaurantes.

977. *Profugit umbras Tityos.* Profugit ex inferis Tityos, ubi detinebatur. Vid. nota ad versum 756. *Profugere* cum accusativo identidem usurpant latin. scriptt. Seneca de consolat. ad Polyb. 36 : *Conspectum conversationemque civium suorum profugit.* Curtius, X, 2 : *Ne servi quidem uno grege profugiunt dominos.* Vid. et Manilius, IV, 580.

979. *Cithæron.* Mons Thebis vicinus.—*Pallene.* Oppidum in peninsula Macedoniæ, quod alii cum Phlegra confundunt, alii proximum tantummodo fuisse putant. Ibi gigantes cum deis congressi sunt. Plin. IV, 10. Lucan. VII, 150; Stat. Silv. IV, 2, v. 56; Val. Flacc. II, 17; Apollod. I, 6 : Ἐγένοντο δὲ, ὡς μέν τινες λέγουσιν, ἐν Φλέγραις· ὡς δὲ ἄλλοι, ἐν Παλλήνῃ.

980. *Macetum.* Macedonum. Cf. quæ ad hunc locum notavimus in Animadv. — *Tempe.* Sup. v. 286. — *Rapuit hic*, etc. Claudiano, in Gigant. 67 : «Hic rotat Æmonium præduris viribus Œten : Hic juga connixis manibus Pangæa coruscat :

Digitized by Google

Hic rapuit OEten : sævit horrendum Mimas.
Flammifera Erinnys verbere excusso sonat,
Rogisque adustas propius ac propius sudes
In ora tendit. Sæva Tisiphone caput
Serpentibus vallata, post raptum canem 985
Portam vacantem clausit opposita face.

Hunc armat glacialis Athos : hoc Ossa movente Tollitur, etc. » — *Pindi juga.* Pindus mons Thessaliam inter et Epirum.

981. *OEten.* OEta vel OEte, jugum celsissimum, a Thermopylis ad Pindum porrigebatur. — *Mimas.* Nomen gigantis. Horat. III, od. 4, v. 53, « Validus Mimas. » Claudian. Gigant. 86 : « Occurrit pro fratre Mimas, etc. » — *Horrendum.* Adverbialiter sumitur ad similitudinem Virgilius Æn. VI, 288, IX, 732 et XII, 700.

982. *Flammifera Erinnys.* Una ex infernalibus Furiis, cujus nomen ab ἔρις *contentio*, et νοῦς, *mens*, deduci videtur, quamquam alii ab ἀρὰ et ἀνύειν derivari volunt, quod exsecrationes audiat et impleat, alii ab ἔρα et ναίειν, quod in terra habitet et inter homines versetur. Aliquando pluraliter et gregatim pro omnibus Furiis adhibebatur (Ovid. Heroid. XI, 103. Propert. II, 20, versu 29. Stat. Theb. XI, 345). Virgilius, Æneid. VII, 447 et 570, ipsam Alectonem Erinnyn vocat. Vid. sup. not. ad vers. 101. — *Flammiferam* hic dici contendit Delrio, eo quod, « ut tubarum usu nondum invento, ab antesignanis in bello, pugnæ initium conjectis in invicem facibus fiebat, teste Parrhasio, sic in hac imaginaria pugna Furiæ prælii signum flamma proponerent ». Idem videtur expressisse Statius, Theb. IV, 5 : « Prima manu rutilam de vertice Larissæo Ostendit Bellona facem. » Potest tamen Noster ad hunc morem non allusisse : nam Furiæ plerumque facibus armatæ exhibentur. — *Verbere.* Flagello.

983. *Rogisque adustas.* Ad funereum rogum accensas vel ex ipso ardenti rogo desumptas; quod infaustum habebatur. Ovid. Metam. VI, 430, de funestis Terei et Procnes nuptiis : « Eumenides tenuere faces de funere raptas. » Add. Horat. epod. 17. Lucan. VI, 525. Conf. Nostri OEdip. 550 et 874 ; Med. 790.

984. *In ora tendit.* Mihi intentat. Fiunt in Herculem quæ illi minata est Juno, v. 100 et seqq.

985. *Serpentibus vallata.* Ad similitudinem Lucretii V, 26 : « Denique quid Cretæ taurus, Lernæaque pestis Hydra venenatis posset vallata colubris. » — *Vallata caput* pro *vallato capite*, sicut sæpe. — *Post raptum canem.* Tisiphone, videlicet ut gigantes Tartaro erumpere volentes teneat, portam, cujus custodem Cerberum Hercules abduxit, tæda sua exituris intercludit. Hæc enim Furia Tartaro præposita fuit. Virg. Æn. VI, 554 : « Stat ferrea turris ad auras, Tisiphoneque sedens palla succincta cruenta, Vesti-

Digitized by Google

Sed ecce proles regis inimici latet,
Lyci nefandum semen : inviso patri
Hæc dextra jam vos reddet : excutiat leves
Nervus sagittas; tela sic mitti decet 990
Herculea. AMPH. Quo se cæcus impegit furor?
Vastum coactis flexit arcum cornibus,
Pharetramque solvit : stridet emissa impetu
Arundo; medio spiculum collo fugit,

bulum insomnis servat noctesque diesque. »

987. *Sed ecce proles.* Filios suos Lyci sobolem esse existimat, ut, apud Euripidem, Eurysthei (Herc. fur. 970 et 982). Constat quidem ex verbo *latet* fugisse pueros, pulsos metu paterni furoris, sed eos ab Hercule prospici, quamvis spectantibus non cernantur. Post hæc, *tela sic mitti decet Herculea*, e scena conspectuque adstantium prosilit Hercules unum e liberis occisurus; sed quæ jam non vident adstantes, videt verbisque refert Amphitryon. Redit Hercules in scenam, versu 995, omnes latebras excussurus, ruptisque regiæ postibus, alium deprehendit puerum, ad quem interficiendum evolat, manente, ut, supra, Amphitryone et cædem describente. Tunc Megara, quæ se cum minimo filiorum occultaverat, perruptis territa latebris, in scenam recurrit novum hospitium quæsitura; sed ruit Hercules in fugientem, et frustra supplicantem foras abstrahit, ut extrema hæc cædes spectantium oculis remota, ab Amphitryone tantum exponatur. Regreditur Hercules, v. 1035.

990. *Tela sic mitti*, etc. Credidit Delrio hoc dicere Herculem, puero, quem petebat, interempto, quasi glorietur telum suum, ut decuit, a proposito scopo non aberravisse (Vid. Sophocl. Philoct. 104; Propert. IV, 10, v. 40; Nostri Herc. Œt. 1652). Sequentia autem interpretationem Delrionis plane refellunt : puerum nondum cecidisse id probat, quod Amphitryon rei tempora omnia et veluti singulos gradus notat, *flexit arcum*, *solvit pharetram*, *stridet arundo*; si, dum loquitur, stridet arundo, patet vulnus non factum fuisse, priusquam loqueretur. Non quod inevitabilia esse tela debeant, sed quod tyrannis fatalia, sed quod purgandis terris addicta, jactitat Hercules. Referendum est *sic mitti* ad præcedentia, i. e. in *prolem regis inimici*, in *nefandum semen invisi patris*.

992. *Coactis flexit*, etc. Arcum tetendit, quod non effici potest, quin arcus cornua curventur, et propius admoveatur tum alterum alteri, tum utrumque sagittam paranti emittere.

993. *Pharetram solvit.* Pharetram aperit ad depromendas sagittas. Ovid. Metam. V, 379 : « Ille pharetram Solvit, et arbitrio matris de mille sagittis Unam seposuit. »

994. *Fugit.* Tanto impetu sagitta emittitur, ut per medium collum tota transeat fugiatque.

Digitized by Google

Vulnere relicto. HERC. Cæteram prolem eruam, 995
Omnesque latebras. Quid moror? majus mihi
Bellum Mycenis restat, ut Cyclopea

995. *Prolem eruam*, etc. Nec cætera Lyci proles nec latebræ quibus ea occultatur me scrutantem eludent. *Eruere omnes latebras* non posse dici pronuntiat Both. et *eruere omnes latebris* substituendum. Attamen in hoc Statii loco (Theb. III, 555), « Eruimus quæ prima dies, ubi terminus ævi, Quid bonus ille deum genitor, quid ferrea Clotho Cogitet », nihil significat aliud *eruimus*, quam *inquirimus*, *scrutamur*. Ne Schrœderi quidem interpretatione opus est, qui *omnes latebras* de Mycenis jam dici contendit, et *eruere latebras* non aliter intelligit quam *diruere*, *evertere latebras*. Etiamsi *eruere* geminam *protrahendi* et *evertendi* significationem habeat, hæc et illa significatio male sociarentur, nec posset scribi *pueros et latebras eruere*, i. e. protrahere pueros in medium et evertere funditus latebras. Cf. sequentem notam.

996. *Quid moror? majus*, etc. Plerique tum adnotatores, tum interpretes hoc intelligendum censuerunt, quasi imaginaretur Hercules se Mycenis esse, quod quidem apte fingeretur, regnante in hac urbe Eurystheo. At repugnare mihi videtur verborum compositio et dicendi forma. Postqnam Hercules Lyci prolem se exstincturum denuntiavit, si subita furoris libidine correptus se Mycenis esse arbitraretur, Poeta repentinam hanc animi conversionem certius et significantius indicavisset, nec satis fore existimasset si de urbe fieret mentio. Apud Euripidem quidem, quod forsan interpretes in errorem induxit, putat Alcides se Mycenas transferri; sed multa in poetæ Græci narratione (narratur enim, non oculis exhibetur multiplex insanientis furor) ad hoc aperte exponendum conspirant. « Cur sacra peragam, refertur dixisse Hercules, priusquam Eurystheum interfecerim? Date arcum, arma date: en vado ad Mycenas, etc. » Vid. Ἡρακλ. μαινόμ. 936 et seqq. Ista in Nostro frustra requiras, qui totum in persequenda Lyci sobole Herculem exhibuit, hoc ferme modo: « Cæteram Lyci prolem, Alcida, opprimere et latebras in quibus absconduntur excutere festina: illis enim interemptis, majus tibi restabit bellum, scilicet ut Mycenas petas, et Cyclopea manu exstructa palatia diruas. Age igitur, hæc regia Lyci, qua cætera proles ejus occultatur, huc et illuc eat, etc. » Cum hoc sensu optime quadrat vers. 1038, *Argos victimas alias dabit*, qui difficillime, altero prælato sensu, intelligitur: si enim Hercules Mycenis prolem Eurysthei cecidit, quas illi victimas Argos datura sit, non percipimus.

997. *Cyclopea*. Quia mœnia exstructa fuerant a Cyclopibus ipsis (Euripid. Iphig. in Taur. 844; Troad. 1088; Herc. fur. 944 et 998. Stat. Theb. I, 251. Nostri Thyest. 406). Cæterum consueverant Veteres Cyclopum opificio ea

Digitized by Google

Eversa manibus saxa nostris concidant.
Huc eat et illuc aula disjecto objice,
Rumpatque postes : columen impulsum labet. 1000
Perlucet omnis regia : hic video abditum
Natum scelesti patris. AMPH. En, blandas manus
Ad genua tendens, voce miseranda rogat.
Scelus nefandum, triste, et adspectu horridum,
Dextra precante rapuit, et circa furens 1005
Bis ter rotatum misit : ast illi caput
Sonuit; cerebro tecta disperso madent.
At misera parvum protegens natum sinu
Megara, furenti similis, e latebris fugit.
HERC. Licet Tonantis profuga condaris sinu, 1010

omnia tribuere, quæ propter molem suam vires humanas excedere viderentur. Vid. Serv. ad Æn. IV, v. 630.

999. *Aula*. Regia.

1000. *Rumpatque postes*. Postes *rumpat* pro *rumpantur ejus postes*.

1001. *Perlucet omnis regia*. Scilicet dum exclamaret Alcides *huc et illuc eat aula, columen impulsum labet*, facta vocem sequebantur et corruebat regia, manibus ejus convulsa. Mox, ruptis postibus et parietibus disjectis, patent et *perlucent* domus interiora. Sic in Virg. Æn. II, 480 : « Limina perrumpit, postesque a cardine vellit Æratos.... Apparet domus intus, et atria longa patescunt. »

1003. *Ad genua tendens*. Plin. lib. XI, 45 : *Hominis genibus quædam et religio inest, observatione gentium : hæc supplices attingunt; ad hæc manus tendunt ; hæc ut aras adorant*. Servius ad Virg. Bucol. VI, 4, scribit genua Misericordiæ sacra esse, ut aures Memoriæ, Genio frontem. Vid. Tacit. Ann. I, 11 et 21. Virg, Æn. III, 607; et Nost. Med. 247. — *Voce miseranda rogat*. Euripid. Herc. fur. 986 : Φθάνει δ' ὁ τλήμων γόνασι προσπεσὼν πατρός· Καὶ πρὸς γένειον χεῖρα, καὶ δέρην, βαλὼν, Ὦ φίλτατ', αὐδᾷ, μὴ μ' ἀποκτείνῃς πάτερ· Σός εἰμι, σὸς παῖς.

1005. *Dextra precante rapuit*. Dextram nati precantem corripuit.

1006. *Bis ter rotatum*. Ovid. Metam. IV, 515 : « Deque sinu matris ridentem et parva Learchum Brachia tendentem rapit, et bis terque per auras More rotat fundæ, rigidoque infantia saxo Discutit ossa ferox. » Id. Metam. IX, 216 : « Dicentem genibusque manus adhibere parantem, Corripit Alcides, et terque quaterque rotatum Mittit in Euboicas, tormento fortius, undas. »

1007. *Sonuit*. Scilicet parietibus allisum.

1008. *At misera*, etc. Vid. not. ad vers. 987.

1010. *Licet Tonantis*. Hercules

Digitized by Google

Petet undecunque temet hæc dextra, et feret.
AMPH. Quo misera pergis? quam fugam, aut latebram petis?
Nullus salutis Hercule infenso est locus :
Amplectere ipsum potius, et blanda prece
Lenire tenta. MEG. Parce jam, conjux, precor ; 1015
Agnosce Megaram : natus hic vultus tuos
Habitusque reddit : cernis ut tendat manus?
HERC. Teneo novercam : sequere, da pœnas mihi,
Jugoque pressum libera turpi Jovem.
Sed ante matrem parvulum hoc monstrum occidat. 1020
MEG. Quo tendis amens? sanguinem fundes tuum?
AMPH. Pavefactus infans igneo vultu patris
Perit ante vulnus : spiritum eripuit timor.
In conjugem nunc clava libratur gravis.
Perfregit ossa : corpori trunco caput 1025
Abest, nec usquam est. Cernere hoc audes nimis
Vivax senectus? si piget luctus, habes

enim pro uxore sua Junonem credit adesse.

1011. *Et feret.* Id est, abripiet, ut sup. v. 968, et in Virg. Bucol. V, 34 : « ...postquam te fata tulerunt. » Et IX, 51 : « Omnia fert ætas ». Id. Æneid. II, 374 : « alii rapiunt incensa feruntque Pergama. »

1018. *Sequere.* Vide not. v. 987.

1019. *Jugoque pressum*, etc. Turpi conjugio Jovem morte tua solve : obliviscitur enim Hercules immortalem Junonem esse.

1020. *Ante matrem.* Intellige, *priusquam matrem occidam*, nec ausculta Farnabio, qui accipi posse putat pro *in conspectu matris.*

1021. *Quo tendis amens?* Eurip. Herc. fur. 975 : « Βοᾷ δὲ μήτηρ, ὦ τεκὼν, τί δρᾷς ; τέκνα Κτείνεις ; »

1022. *Igneo vultu.* Quod furentium et irascentium proprium est. Senecæ de ira, I, 1 : *Nam ut furentium certa indicia sunt, audax et minax vultus, ...color versus ; ita irascentium eadem signa sunt : flagrant et micant oculi ; multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine.* Virg. Æn. XII, 101. Apollod. de Hercule, II, 4 : Πυρὸς δὲ ἐξ ὀμμάτων ἔλαμπεν αἴγλην.

1023. *Perit ante vulnus.* Conf. Herc. Œt. 811.

1025. *Perfregit ossa.* Cf. Euripid. Herc. fur. 994.

1026. *Nec usquam est.* Tantulas in partes dissiluit !

1027. *Vivax senectus.* Ovid. Met. XIII, 516, Hecuba : « Quo ferrea resto? Quidve moror? quo me servas, damnosa senectus? Quid, dî crudeles, nisi quo nova funera cernam, Vivacem differtis anum? »

Digitized by Google

Mortem paratam : pectus in tela indue,
Vel stipitem istum, cæde monstrorum illitum,
Converte : falsum ac nomini turpem tuo 1030
Remove parentem, ne tuæ laudi obstrepat.
THES. Quo te ipse, senior, obvium morti ingeris?
Quo pergis amens? profuge, et obtectus late,
Unumque manibus aufer Herculeis scelus.
HERC. Bene habet : pudendi regis excisa est domus. 1035
Tibi hunc dicatum, maximi conjux Jovis,
Gregem cecidi : vota persolvi libens

1028. *Pectus in tela indue*, etc. Delrio et Baden. ad Herculem dici putant *vel stipitem istum*, etc. Sed neuter attigit præcedentia *pectus in tela*, etc. quæ tamen, ideo quod de iis siluerint, ad Amphitryonem retulisse videntur se ipsum alloquentem, ut Gallicus interpres *Levée : La mort est sous ta main : cours au-devant des traits du furieux Alcide.* (Haut à Hercule.) *Tourne contre moi-même cette massue*, etc. Isthic sensus haud improbabilis est : attamen facilius conjunctionem *vel*, a Gallico interprete omissam, intelliges, si et *pectus in tela indue* et *vel stipitem istum converte* ad Amphitryonem retuleris, ut Farnabius, et Gallicus intpr. *Coupé : Précipitons-nous sur les traits du furieux et présentons-nous à son homicide massue.* (Haut à Hercule.) *Barbare, je ne suis pas ton véritable père*, etc. Sæpe *convertere* hac significatione usurpatur, subaudito *in me*, aut *in se*, ut in Sueton. Calig. 35 : *Ingressus spectacula, convertit hominum oculos fulgore purpureæ abollæ.* De illis ne referre quidem operæ pretium est, qui *pectus in tela indue* ad Herculem dictum contenderunt, pro *pectus meum transfige ;* ab ista interpretatione abhorret locutio latina. Virg. Æneid. X, 681 : « An sese mucrone ob tantum dedecus amens Induat. » Plaut. Casin. act. I, scen. I, v. 25 : « Proin tu te in laqueum induas. »

1029. *Cæde... illitum.* Sanguine madentem.

1030. *Nomini turpem tuo.* Qui tibi dedecori est. Scilicet conatur Amphitryon Herculem in se accendere : « Tolle cupientem, inquit, nec nisi nomine genitorem, ne victoriam tuam questibus et probris conturbet. »

1034. *Unumque manibus*, etc. Apud Euripidem, hoc ipsum affert Amphitryon, ut furias Herculis fuga prævertat (Hercul. fur. 1073) : Τὸ μὲν φάος ἐκλιπεῖν ἐπὶ Κακοῖσιν οὐ φεύγω τάλας. Ἀλλ' εἴ με κανεῖ πατέρ' ὄντα, Πρὸς δὲ κακοῖς, κακὰ μήσεται, Πρὸς Ἐριννύσι θ' αἷμα σύγγονον ἕξει.

1035. *Bene habet.* Res bene successit : solemnis locutio. Juven. X, 72. Stat. Theb. XI, 557, etc. — *Pudendi regis.* Lyci.

1036. *Tibi hunc dicatum*, etc. Non meminit se Junonem modo,

Digitized by Google

Te digna; et Argos victimas alias dabit.
AMPH. Nondum litasti, nate : consumma sacrum.
Stat, ecce, ad aras hostia; exspectat manum 1040
Cervice prona : præbeo, occurro, insequor;
Macta. Quid hoç est? errat acies luminum,
Visusque mœror hebetat. En video Herculis
Manus trementes? Vultus in somnum cadit,
Et fessa cervix capite submisso labat : 1045
Flexo genu jam totus ad terram ruit;
Ut cæsa silvis ornus, aut portus mari

ut putabat, interfecisse (v. 1018).

1038. *Et Argos*, etc. Alias in ea urbe, quæ tibi tam grata et accepta est, ubi non minus quam Mycenis tuus regnat Eurystheus, hostias tibi mactabo, scilicet Eurystheum ipsum et filios ejus.

1039. *Nondum litasti.* Nondum sacrificium consummavisti. *Litare*, priore sensu, idem sonat ac *luere*, a quo derivatur; unde *litare sacra* pro *sacra persolvere :* sed quia creditori placet qui solvit debita, *litare* absolute usurpatum est pro *prospere et feliciter sacrificare, diis faventibus atque exaudientibus vota :* porro credebantur annuere dei, si hostiarum exta faustis notis signarentur. Cic. de divinat. II, 17 : *Quum pluribus deis immolatur, qui tandem evenit, ut litetur aliis, aliis non litetur?* Sueton. in August. 96 : *Quum, sacrificio non litante, augeri hostias imperasset.* Id. in Cæs. 81 : *Pluribus hostiis cæsis, quum litare non posset, introiit curiam spreta religione.* Martial. X, 73 : « Non quacumque manu victima cæsa litat. »

1041. *Præbeo.* Caput.—*Occurro.* Vulneri. — *Insequor.* Hærentem aut abnuentem. Apud Euripidem Hercules patrem interfecturus erat, nisi ab ipsa Minerva prohibitus fuisset. Vid. Ἡρακλ. μαινόμ. 1001.

1042. *Errat acies luminum.* Stat. Theb. X, 150. « .... errare oculi, resolutaque colla, Et medio adfatu verba imperfecta relinqui. »

1046. *Ad terram ruit.* Cf. Eurip. Herc. fur. 1006.

1047. *Ut cæsa silvis ornus.* Respexit Virgilium, Æneid. II, 626 : « Ac veluti summis antiquam in montibus ornum, etc. » ; ut Virgilius Homerum, Iliad. IV, 482 : Χαμαὶ πέσεν, αἴγειρος ὡς, etc.; XIII, 178 : Ὁ δ' αὖτ' ἔπεσεν μελίη ὡς, etc. et XVI, 482 : Ἤριπε δ' ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν, etc. — *Aut portus mari*, etc. Moles immissa mari ad submovendos fluctus portumque efficiendum. Virg. Æn. IX, 708 : « collapsa ruunt immania membra.... Qualis in Euboico Baiarum litore quondam Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante Constructam ponto jaciunt. » Sil. IV, 297 : « Haud aliter structo Tyrrhena ad litora saxo Pugnatura fretis subter cæcisque procellis Pila, immane sonans, impingitur ardua ponto, etc. »

Digitized by Google

Datura moles. Vivis? an leto dedit
Idem, tuos qui misit ad mortem, furor?
Sopor est; reciprocos spiritus motus agit. 1050
Detur quieti tempus, ut somno gravi
Vis victa morbi pectus oppressum levet.
Removete, famuli, tela, ne repetat furens.

CHORUS THEBANORUM.

Lugeat æther, magnusque parens
Ætheris alti, tellusque ferax, 1055
Et vaga ponti mobilis unda.
Tuque ante omnes, qui per terras,
Tractusque maris fundis radios,
Noctemque fugas ore decoro,
Fervide Titan : obitus pariter 1060
Tecum Alcides vidit et ortus,
Novitque tuas utrasque domos.

1050. *Sopor est;* etc. Vivere Herculem cognoscit ex anima graviter erumpente. Conf. Euripid. 1059.—*Reciprocos... motus. Reciprocare* vel *reciprocari* fluctus dicuntur, qui alterno motu eunt, redeuntque. Cic. de Natur. Deor. III, 10 : *Quid Chalcidico Euripo in motu identidem reciprocando putas fieri posse constantius?* Quod quidem ad spiritum per vices attractum redditumque aptissime translatum est. Gell. XVII, 11 : *In eam fistulam, per quam spiritus reciprocatur.* Liv. XXI, 58 : *Quum jam spiritum includeret ventus; nec reciprocare animam sineret.*

1053. *Ne repetat furens.* Ne, suscitatus e somno, tela furens rursus arripiat.

1054. *Æther.* Scripsere nonnulli dici *æthera* pro Jove, et *parentem ætheris* pro Saturno : falso; quorsus enim hic memoretur Saturnus? *Æther* pro cælo accipiendus est, cui mox tellus et æquor adjiciuntur; ita ut omnem rerum naturam Chorus lugere jubeat, quod quidem in magnis calamitatibus facere solent dolore amentes et perditi. Pacuv. in fragm. Chrys. « Id quod nostri cælum memorant, Graii perhibent æthera. » — *Magnusque parens.* Jupiter, quem *æthereum patrem* Martial. quoque vocat, IX, 36 et 37.

1060. *Obitus*, etc. Orbem ab Oriente ad Occidentem peragravit.

1062. *Novitque tuas.* Ex Ovidii Heroid. XIV, 16 : « Implesti

Digitized by Google

Solvite tantis animum monstris,
Solvite, superi : rectam in melius
Flectite mentem. Tuque, o domitor, 1065
Somne, laborum, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ,
Volucer, matris genus Astrææ,
Frater duræ languide Mortis,
Veris miscens falsa, futuri 1070

meritis Solis utramque domum. »

1065. *Tuque, o domitor*, etc. Ovid. Metam. XI, 623 : « Somne, quies rerum, placidissime, somne, deorum, Pax animi, quem cura fugit, qui corda diurnis Fessa ministeriis mulces reparasque labori. » Conf. et Homer. Odyss. XX, 85. Orph. Hymn. in somn. Sophocl. Philoct. 823. Statius in Thebaid. X, 120, etc., etc.

1067. *Pars... melior*. Non major, ut intelligi posse pronuntiat Farnabius, sed benignior et utilior, quippe quæ *labores domare* et *animo quietem* afferre soleat.

1068. *Volucer*. Somnus enim alatus fingitur. Sil. X, 351 : « curvoque volucris Per tenebras portat medicata papavera cornu. » Tibull. II, 1, v. 89 : « Venit tacitus fuscis circumdatus alis Somnus. » — *Matris genus Astrææ*. Somnus enim Noctis et Erebi filius vulgo habetur (Hyginus, in præf.). Eum *Astrææ genus* vocat Seneca, quia, ut notavit Delrio, vel justitiæ beneficio secure dormitur, vel somno plenius indulgent æquitatis observantes. Ex hac nova fictione Noster mox ad antiquam allegoriam recurrit, *fratrem mortis* Somnum appellans ; Mors enim ex Nocte genita perhibebatur. Quid autem sibi velint tot et tam varia nomina Somno addita ne requiras : congessit hoc loco Seneca quæcunque de Somno in universum excogitari possent, nullo argumenti sui respectu ; nec quid in rem caderet, quid non, curavit, copiosior et uberior in dicendo, pro suo more, quam in eligendo prudentior.

1069. *Frater.... Mortis*. De hac poetica Somni Mortisque consanguinitate, vid. Homer. Iliad. XIV, 231 ; Hesiod. Theogon. 756 ; Orph. Hymn. in Somn. Virg. Æneid. VI, 278 ; Stat. Theb. V, 197, etc.

1070. *Veris*, etc. Credebant enim Veteres, ut apud nos mulierculæ, futura somniantibus quandoque affulgere. Orpheos hymn. in somn. v. 2 : Ἄγγελε μελλόντων, θνητοῖς χρησμῳδὲ μέγιστε. Cic. de Divin. I, 53 : *Qui se tradet quieti præparato animo, cum bonis cogitationibus, ... certa et vera cernit in somnis*. Homer. Odyss. XVIII, 562, et Virg. Æn. VI, 893, geminas Somni portas esse finxerunt ; alteram corneam, qua vera, alteram eburneam, qua falsa somnia emittuntur. Statius, Theb. X, 106, in describendo Somni palatio : « Sunt etiam innumero rerum vaga somnia vultu, Vera simul falsis, permistaque tristia blandis. »

Digitized by Google

Certus, et idem pessimus auctor :
Pater o rerum, portus vitæ,
Lucis requies, noctisque comes,
Qui par regi famuloque venis,
Placidus fessum lenisque fove. 1075
Pavidum leti genus humanum
Cogis longam discere mortem;
Preme devinctum torpore gravi :
Sopor indomitos alliget artus;
Nec torva prius pectora linquat, 1080
Quam mens repetat pristina cursum.

1071. *Pessimus auctor*. Ad hunc locum Farnabius : « Frequentiora enim somnia vera ex mentis præsagæ metu, quam læta ex spe. » Scilicet interpretatur *certus et idem pessimus*, quasi dictum foret, certus quidem futuri, sed magno nobis incommodo, quibus futura mala, priusquam accidant, somnus metuenda faciat. Hæc interpretatio, licet acuta per se et verbis etiam latinis haud infeliciter accommodata, ita a sententiarum summa et serie abhorret, quantumvis laxa solutaque, ut secus locum accipere malim. *Certus et idem pessimus futuri auctor* mihi videntur non aliud quam *veris miscens falsa* significare et præcedentia, ut sæpe fit, iterando confirmare; nunc *certus futuri auctor*, nunc *pessimus*.

1072. *Pater o rerum*. Qui omnia reficis et recreas. Homer. Iliad. XIV, 233 : « Ὕπνε, ἄναξ πάντων τε θεῶν πάντων τ' ἀνθρώπων. » Valer. Flacc. VIII, 70 : « Somne pater! Somne omnipotens! » — *Portus vitæ*. Tutum animis contra vitæ ærumnas et calamitates perfugium.

1073. *Lucis requies*. Cujus munere a diurnis laboribus homines requiescunt. Vide quæ citavimus ad vers. 1065. — *Noctisque comes*. Claudian. bello Gildon. 213 : « Humentes jam noctis equos, Lethæaque Somnus Fræna regens, tacito volvebat sidera curru. »

1074. *Qui par regi*, etc. Servienti juxta et regnanti jucundus.

1075. *Fessum*. Herculem.

1076. *Pavidum*, etc. Somne, qui homines, licet mortem timeant, quoddam tamen mortis experimentum facere cogis, ejus imaginem iterum et iterum referens, gravi et qualis est in morte Herculeos artus torpore alliga. Vide Animadvers. nostras.

1078. *Preme devinctum*. Ne somno excitatus ad infanda alia per amentiam feratur. Vide Euripid. Herc. Fur. 1054 : μὴ Ἀέσμ' ἀνεγειρόμενος Χαλάσας, ἀποεῖ πόλιν, Ἀπὸ δὲ πατέρα, μέλαθρά τε καταράξῃ.

1081. *Repetat pristina cursum*. Placidos sensus et pristinam tranquillitatem recipiat.

1082. *En fusus humi*, etc. Euripid. Herc. fur. 1067 : « Ἐξεγειρόμενος στρέφεται. »

Digitized by Google

En, fusus humi, sæva feroci
Corde volutat somnia : nondum est
Tanti pestis superata mali;
Clavæque gravi lassum solitus 1085
Mandare caput, quærit vacua
Pondera dextra, motu jactans
Brachia vano; nec adhuc omnes
Expulit æstus, sed, ut ingenti
Vexata Noto servat longos 1090
Unda tumultus, et jam vento
Cessante tumet. Pelle insanos

1086. *Mandare.* Imponere. — *Vacua.* Irrita manus : nam clavam telaque summovit Amphitryon, versu 1053.

1087. *Pondera.* Silie, II, 246 : « Nodosæ pondera clavæ. »

1089. *Æstus.* Furoris agitationes; translatum a jactatione fluctuum reciprocantium. — *Sed, ut ingenti,* etc. Ellipsis : « Non omnes æstus Herculis pectus adhuc expulit, sed etiam nunc servat aliquid perturbationis, quemadmodum longos retinet tumultus Noto vexatum mare, etc. » Communia binis collationis partibus, *servat perturbationem*, in priori sublata sunt, et, quamquam melius et usitatius in posteriori subaudirentur, intellectum tamen, vel sic, elocata non morantur.

1090. *Noto.* Per synecdoch. pro *quolibet vento*; Notus tamen in primis procellosus. Virg. Æn. VI, 355. Horat. epod. X, 20. Ovid. Heroid. II, 12, etc. — *Servat longos*, etc. Seneca, de Tranquillit. animi, 2 : *Horum, Serene, non parum sanum est corpus, sed sanitati parum assuevit; sicut est quidam tremor etiam tranquilli maris, aut lacus, quum ex tempestate requievit.* Et de Brevit. vitæ, 2 : *Velut in profundo mari, in quo post ventum quoque volutatio est, fluctuantur.* Gellius, II, 30 : *Austro vel Africo..... jam nihil spirantibus, undæ tamen factæ diutius tument; et a vento quidem jamdudum tranquillæ sunt, sed mare est etiam atque etiam undabundum.* Ovid. Fast. II, 775 : « Ut solet a magno fluctus languescere flatu, Sed tamen a vento, qui fuit ante, tumet. » Add. Stat. Theb. I, 479; et Claudian. in Rufin. I, 70.

1092. *Cessante tumet.* Lucan. VI, 469 : « Ventis cessantibus æquor Intumuit. » — *Pelle insanos.* Somnum compellari putant Gallici interpp., ego vero Herculem. Jam enim a versu 1081 Somnum alloquendi finis facta est, et si oratio ad eum rursus verteretur, præmonendos lectores Noster curavisset. Contra, quum ab eodem versu Chorus de Hercule dixerit, eum inspiciens et motus omnes agitati corporis adnotans interpretansque, facillime intelligitur posse jacentem directa oratione repente, et nulla

Digitized by Google

Fluctus animi : redeat pietas,
Virtusque viro. Vel sit potius
Mens vesano concita motu : 1095
Error cæcus, qua cœpit, eat;
Solus te jam præstare potest
Furor insontem : proxima puris
Sors est manibus, nescire nefas.
Nunc Herculeis percussa sonent 1100

præmissa formula, compellari. Add. quod inf. v. 1097, sine controversia et omnium confessione, Herculem chorus alloquatur, quod non reprehensione careat, si ad somnum præcedentia jactantur; etenim non est sani judicii compellationes sic congerere, et aliam alia, nulla re intermedia, premere. De *virtusque viro*, quod quidem videtur suam Gallicis interpretibus sententiam fecisse, consule quæ ad vers. 1094 notavimus.

1093. *Pietas*. Impius enim habebatur non tantum qui læserat deos, sed qui cum conjuge, filiis, et, ut dictitabant, cum *suis*, inclementer egerat. Cic. de inventione, lib. II, cap. 22 : *Religionem, eam quæ in metu et cærimonia deorum sit, appellant; pietatem, quæ erga patriam aut parentes, aut alios sanguine conjunctos, officium conservare moneat.*

1094. *Virtusque viro*. Redeat virtus tibi, quæ virum decet, quæ viro propria est; quoniam vir es, virtute tibi opus est. Non igitur *viro* pro *Herculi* tantum scriptum est, nec obstat quominus ad Herculem oratio conversa credatur. Cic. Tuscul. II, 18 : *Appellata est ex viro virtus; viri autem propria maxime est fortitudo.* — *Vel sit potius*, etc. Postquam Herculi mentis sanitatem precati sunt, subita velut animorum conversione, reputant quanti ad gloriam ejus referat, insaniam ostendi et diutino furore approbari; nam id unum potest Herculem absolvere, si hoc sceleris imprudens et ignarus admiserit.

1098. *Proxima puris*, etc. Is primum post innocentes virtutis gradum obtinet, qui non cognovit se nefaria facere. Translate ponitur *puræ manus* pro *innocentia*. Horat. I, sat. 4, v. 68 : « Et vivat puris manibus. » Sueton. Tit. 9 : *Pontificatum maximum ideo se professus accipere, ut puras servaret manus*..... etc. etc.

1100. *Nunc Herculeis*...etc. Hæc ad præcedentia referenda sunt, sed quatenus modo de magnitudine sceleris ab Hercule admissi in præcedentibus dicitur : nulla enim est novissimæ sententiæ *proxima puris*, etc. cum versu *Nunc Herculeis*...etc. et seqq. connexio. Vox ipsa *nunc* minus ad anteriora respicere mihi videtur, quam comparationem inter pristina et recentia Herculis facinora innuere, hinc debellata cum laude monstra, inde turpem immanemque Megaræ et filiorum cæ-

Digitized by Google

Pectora palmis : mundum solitos
Ferre lacertos verbera pulsent
Victrice manu : gemitus vastos
Audiat æther, audiat atri
Regina poli, vastisque ferox 1105
Qui colla gerit vincta catenis,
Imo latitans Cerberus antro.
Resonet mœsto clamore chaos,

dem. Sic intellige, a versu 1092 repetens : « Pelle insanos fluctus animi..... aut potius furor maneat, qui solus potest insontem te facere. O scelus non satis digne detestandum ! Nunc, nunc, Hercules, pectus percute : qui quondam lacertis cælum tulisti et manibus domuisti tyrannos, nunc manibus et lacertis te ipsum feri..., etc. » — *Percussa sonent.* Hæc enim doloris significatio. Cf. Virg. Æn. II, 487. Ovid. Metam. III, 497 ; IV, 553 ; VI, 248 et 532 ; VIII, 527 ; IX, 636 ; XI, 81, et XIV, 420. Lucan. II, 23 et 37. Valer. Flacc. II, 175, et III, 274. Nost. Thyest. 1046, et Troad. 92 et 903.

1101. *Solitos.*. Quamquam Hercules semel tantum nec diu cælum sustinuit, huic tamen ferendo assuefacta brachia canunt poetæ, exaggerandi decoris gratia.

1102. *Verbera pulsent.* Apta et propria vocabula. Cic. in Verr. III, 26 : *Videtis pendere alios ex arbore, pulsari autem alios et verberari.* Et ibid. V, 54 : *Sex liatores valentissimi et ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi.*

1103. *Victrice manu.* Ad hæc Badenius : « *Victrix* dicitur, quæ hosti non parcit, nec verberibus temperat. Victoria enim natura insolens et superba est..... » Aliter interpretor ; scilicet opponi, ut notatur ad vers. 1100 et 1104, priores et honestas Herculis victorias novissimo ejus facinori, id est, Megaræ et filiorum cædi.

1104. *Audiat æther*, etc. Omnia loca, quæ pristinas Herculis victorias sensere, gemitus ejus audiant, recentem illam et ignominiosam victoriam exsecrantis. — *Atri..... poli.* Inferorum. Vid. not. ad v. 607.

1105. *Regina.* Proserpina, quæ sæpissime, indicto Plutone, pro potestate inferorum moderatrice et pro inferis ipsis ponitur. Virgil. Georg. IV, 487. Horat. II, od. 13, v. 21 ; et II, sat. 5, v. 110. Mart. III, 43, etc.

1106. *Qui colla*, etc. Pergit Chorus veteres Herculis triumphos ad augendam novissimi facinoris ignominiam memorare ; fingit igitur Cerberum, redditum inferis, catenas etiamnum gerere, quibus eum vinxerat Alcides, et imo antro trepidantem latitare. In Euripide Hercules prius domi redux inducitur, quam ad Eurystheum belluam perduxerit. Cf. Ἡρακ. μαινόμεν. v. 615.

1108. *Chaos.* Inferi. Vid. supra, not. ad vers. 610.

Digitized by Google

Latique patens unda profundi,
Et, qui melius tua tela tamen 1110
Senserat, aer.
Pectora tantis obsessa malis
Non sunt ictu ferienda levi;
Uno planctu tria regna sonent.
Et tu collo decus ac telum 1115
Suspensa, diu fortis, arundo,
Pharetræque graves, date sæva fero
Verbera tergo: cædant humeros
Robora fortes, stipesque potens

1110. *Qui melius*, etc. Baden. in specimine: « Accedit acumen dictorum, a nemine interpretum adhuc observatum. Nempe questus in aera fundere dicuntur, qui incassum queruntur. Atque hoc vult Chorus: Herculem, qui certa quondam manu petiisset Stymphalidas, nunc eumdem in aera irritos gemitus effundere. *Aer melius tela sentiens* opponitur aeri inanes questus miserrimi patris audienti. » Falsa interpretatio, quæ hunc omnem locum a v. 1100 Badenio non probe intellectum arguit: scilicet eum latuisse videtur longa illa et multiplex, de qua jam mentionem feci in not. ad vers. 1103, 1104, 1106, priorum facinorum et recentis sceleris oppositio; huc spectat *mundum solitos ferre lacertos*, huc *victrice*, huc *qui colla gerit vincta catenis*, etc., huc et *melius tua tela senserat*: tela melius in Stymphalidas quam in Megaram et filios intorta dicuntur; profuit enim hominibus Stymphalidas occidi. Vide quæ supra notavimus ad versum 244.

1114. *Tria regna*. Cælum, tellus, inferi. Vid. v. 609.

1116. *Suspensa*. Sordebat olim hic locus Badenio, qui interrogabat « Quale portentum hocce foret, arundinem colli decus ac telum salutari? » Sed referendum *collo* ad vocem *suspensa*, usitatissima locutione: *arundo decus ac telum collo suspensa*, id est, arundo, tu collo suspensa, decus et telum futura gerenti. — *Diu fortis*. Omnes adnotatores et interpp. *diu* antecedenti verbo *suspensa* adjungunt, vano et prope nullo sensu; quid enim ad rem faciat, si pharetra Herculis *diu* collo ejus adstricta fuerit? Mihi manifestum est continuari collationem jam a vs. 1103 institutam, et superiora, de quibus conf. not. ad vers. 1110, iterari: « Arundo, diu gloriosa et vere fortis, quandiu scilicet tyrannos et monstra terris infesta confixisti, nunc autem sanguine Megaræ et natorum inquinata, feri sæva terga, etc. »

1119. *Robora*. Pharetræ et sagittæ, modo memoratæ.

Digitized by Google

Duris oneret pectora nodis : 1120
Plangant tantos arma dolores.
Non vos patriæ laudis comites,
Ulti sævo vulnere reges,

1120. *Nodis.* Intelligi jubet Badenius, « tubera ex plagis a stipite illatis », ut in Stat. Theb. IV, 73 : « nam trunca vident de vulnere multo Cornua, et ingentes plagarum in pectore nodos. » Sed nec *duris* nec *oneret* huic sensui respondent. Nodos clavæ intellige, pro clava ipsa adhibitos. Virgil. Æn. VII, 506 : « Improvisi adsunt; hic torre armatus obusto, Stipitis hic gravidi nodis. » Plaut. Amphitr. act. I, scen. 1 : « Onerandus est pugnis probe. » Et Nost. Herc. Œt. 1661 : « Hic nodus, inquit, nulla quem capiet manus, Mecum per ignem flagret. » Gronovius comicum judicat *onerare pectus clavæ nodis,* forsan exemplo comici Plauti inductus : mihi contra locutio aptissima nec majestate tragœdiæ indigna videtur.

1121. *Plangant*, etc. Nihil adnotatores in hunc locum : Gallici autem interpretes : *Que tout son corps gémisse sous l'atteinte des douleurs ;* quod prorsus a sensu alienum arbitror. Præcedentia enim mihi videntur his non concludi modo, sed etiam resumi, et summam sententiæ hoc uno versu contineri. *Arundo, pharetræ, robora, stipes* corpus Herculis feriant jussit Chorus ; atque id ipsum breviore et pressiore dicendi forma iteratur, *arma Herculis tantos incutiant dolores. Plangant* pro *incutiant*, a πληγὴ vel πλαγὰ, *percussio.* Ovid. Metam. VI, 248 : «..... laniataque pectora plangens..... » Ibid. IX, 635 : « A pectore vestem Deripuit, planxitque suos furibunda lacertos. » Volunt Thebani suis Hercules armis percutiatur, olim gloriosis, ut sup. v. 1101 et seqq. verbera illi *victrice* ipsius manu infligantur optavere, quasi scelere suo meruerit Alcides, ut antiqua victoriæ laudisque instrumenta, nunc illi et doloris et pœnæ instrumenta fiant.

1122. *Non vos*, etc. Chorus ad occisos Herculis filios convertitur. Gallici autem interpretes hunc locum et quæ sequuntur mihi videntur non intellexisse : *Coupé. Tristes enfants de ce héros criminel, ce n'est pas en combattant à ses côtés,..... ce n'est pas en vous exerçant à la lutte d'Argos..... que vous avez trouvé la mort.* Nec ab hoc sensu declinavit *Levée.* Ex ipso tamen contextu patet nihil aliud significari voluisse Senecam, quam filiorum Herculis tenerrimam ætatem, hoc fere modo : « Vos, filii Herculis, quibus, propter pueritiam, nondum datum erat patriam laudem imitari, qui nec palæstram neque cæstum adhuc noveratis, qui cervos quidem, sed nondum leones jubatasque feras audebatis figere, ite ad Stygios portus, ite, innocuæ umbræ, in primo limine vitæ furore patris oppressæ. » Et summa sensus non vertitur in vss. a 1122 ad 1130, qui sequentia præparant tantum et adjuvant.

1123. *Ulti sævo*, etc. A recepto

Digitized by Google

Non Argiva membra palæstra
Flectere docti, fortes cæstu, 1125
Fortesque manu, jam tamen ausi
Telum Scythici leve coryti
Missum certa librare manu,

sensu et in hunc locum ausim recedere. Intelligunt enim, « Nondum tyrannos a filiis Herculis, sicut ab Hercule, potuisse debellari. » Sed quantum laborant, ut *sævo* suæ interpretationi accommodent! Namque non *sævo*, sed *justo et debito* vulnere tolluntur tyranni. Delr. et Farnab. *sævos* substituere posse velint; sed repugnant universi prope libri vel editi, vel manu scripti. *Sævos* tamen in textum admittit Both. quamvis *sævo* vulgo recipi fateatur. At, præter veterum librorum auctoritatem, friget *vulnere* sine epitheto, ut adnotavit Badenius, qui vulgatum retinet, re neutiquam enodata; nam, quum receptum antea sensum admittat, nihil tamen affert, quo vulgatum *sævo* cum reliqua sententia congruere approbet. Locum sic enucleandum censeo; *ulcisci reges* non pro *plectere* sed pro *vindicare reges* accipiendum, quæ duplex verbi significatio est; *sævo vulnere* non de regum, sed de liberorum Herculis nece intelligendum, ita ut Chorus hæc loquatur: « Et vos, miseri pueri, qui tyrannos ab Hercule occisos, sæva nece vestra vindicavistis, nondum paternæ laudis comites, nondum Argiva, etc. » Victoris mala victos ulciscuntur. Juvenal. VI, 291: « Sævior armis Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem. » Adde quod interpretatione nostra melius vs. 1122 et seqq. præcedentibus cohæreant; nam hi, ut supra admonui, toti sunt in veterum victoriarum et Herculei sceleris collatione, quæ quidem in versu *Ulti sævo vulnere reges* mire recurrit, altera parte triumphos, altera scelus Alcidæ revocante.

1124. *Argiva*. Græca, per synecdoch. Græcis enim ante omnes palæstrica placuit exercitatio. De *palæstra* vid. Plaut. Bacch. act. III, scen. 3, v. 20. Horat. I, od. 10. Ovid. Metam. IX, 32. Lucan. IV, 612. Stat. Theb. VI, 847, etc. etc.

1125. *Flectere docti*. Horat. I, od. 29, v. 9; III, od. 6, v. 38, od. 24, v. 57; IV, od. 13, v. 7. Ovid. Fast. II, 300, etc. etc.

1127. *Scytici... coryti*. Scythicæ pharetræ. Sil. XV, 773: «....striduntque sagittiferi coryti. » Stat. Theb. IX, 729: « cælestibus implet Coryton telis. » Hunc pueris tribuit Noster, utpote qui levis sit, et invalidæ ætati habilior videatur. Virgil. Æneid. X, 169: « corytique leves humeris. » Sil. VII, 443: « Parvulus ex humero corytos et aureus arcus Fulgebat. » Scythicus jure appellatur; nam Ovid. Trist. V, 7, vs. 15, de Scythis: « In quibus est nemo, qui non coryton et arcum, Telaque vipereo lurida felle gerat. »

1128. *Librare*. Vid. sup. v. 119.

Digitized by Google

Tutosque fuga figere cervos,
Nondumque feræ terga jubatæ, 1130
Ite ad Stygios, umbræ, portus,
Ite, innocuæ, quas in primo
Limine vitæ scelus oppressit
Patriusque furor; ite, infaustum
Genus, o pueri, noti per iter 1135
Triste laboris; ite, iratos
Visite reges.

1129. *Tutosque fuga.* Qui nota velocitate fugiendi sese periculis substrahunt.

1130. *Nondumque.* Cervos, at nondum leones ausi figere. — *Feræ jubatæ.* Leonis.

1131. *Stygios..... portus.* Adite hos infernos portus, in quos, post vitæ procellas, omne venit humanum genus.

1132. *Quas in primo*, etc. Intpr. Gall. *Allez aux rives du Styx, allez rejoindre ceux que le crime et la fureur d'un père sacrifia*, etc. Unde hoc eruant non video, nisi *Coupé* textum mutaverit.

1135. *Noti.* Carpite hoc iter, per quod Hercules Cerberum famoso labore et petivit et abduxit.

1137. *Reges.* Quidam de tyrannis hoc intelligunt, quos Hercules ad inferos deturbaverat, ad similitudinem vs. 1123. Plures autem Plutonem et Proserpinam designari contendunt, quod et nobis aptius videtur : nam quum labor Herculis, quo Cerberum in lucem abstraxit, modo fuerit memoratus, ipsa rerum proclivitate ducitur scriptor ad revocandam Plutonis et Proserpinæ iram, propter violata Stygis jura ; quæ quidem ira a patre in filios extenditur. Hipp. 946 : « Non cernat ultra lucidum Hippolytus diem, adeatque manes juvenis iratos patri. »

Digitized by Google

ACTUS QUINTUS.

HERCULES, AMPHITRYON, THESEUS.

Quis hic locus? quæ regio? quæ mundi plaga?
Ubi sum? sub ortu solis, an sub cardine
Glacialis Ursæ? numquid Hesperii maris 1140
Extrema tellus hunc dat Oceano modum?
Quas trahimus auras? quod solum fesso subest?
Certe redimus : unde prostrata domo
Video cruenta corpora? an nondum exuit
Simulacra mens inferna? post reditus quoque 1145
Oberrat oculos turba feralis meos.
Pudet fateri; paveo : nescio quod mihi,
Nescio quod animus grande præsagit malum.
Ubi est parens? ubi illa natorum grege
Animosa conjux? cur latus lævum vacat 1150

1139. *Ubi sum?* Cf. Euripid. Herc. fur. 1105. — *Cardine.* Polo.

1140. *Glacialis ursæ.* Vid. supra, v. 6. — *Numquid*, etc. « Num tellus me habet, quæ, ad Hesperium mare exposita, Oceanum terminat? » Hispaniam intellige, cujus Hercules meminit propter Geryonem in illa interfectum (supr. v. 232), exstructasque columnas, terrarum, ut crediderat, terminos.

1142. *Quas trahimus auras? quod*, etc. Cujusnam regionis et cæli aura mihi hauritur? Quæ tellus fessum me sustinet?

1143. *Certe redimus.* In domum nostram. Etenim hucusque dubitavit qua versaretur sede; sed facie locorum recognita : « Certe, inquit, apud nos redii; at, si redii, unde, etc. » — *Domo.* Palatio. (Vid. sup. v. 1001.)

1144. *An nondum exuit*, etc. Cf. Euripid. Herc. fur. 1101.

1149. *Natorum grege animosa.* Cui tot liberi animos superbiamque faciebant. Ovid. Metam. VI, 206 : « En ego vestra parens, vobis animosa creatis. »

1150. *Latus lævum.* Spolia enim

Digitized by Google

Spolio leonis? quonam abiit tegimen meum,
Idemque somno mollis Herculeo torus?
Ubi tela? ubi arcus? arma quis vivo mihi
Detrahere potuit? spolia quis tanta abstulit?
Ipsumque quis non Herculis somnum horruit? 1155
Libet meum videre victorem, libet.
Exsurge, victor, quem novum cælo pater
Genuit relicto; cujus in fœtu stetit
Nox longior, quam nostra. Quod cerno nefas?
Nati cruenta cæde confecti jacent; 1160
Perempta conjux. Quis Lycus regnum obtinet?
Quis tanta Thebis scelera moliri ausus est,
Hercule reverso? Quisquis Ismeni loca,
Actæa quisquis arva, qui gemino mari
Pulsata Pelopis regna Dardanii colis, 1165
Succurre, sævæ cladis auctorem indica.

illa ferina, solita eorum, qui monstra oppresserant, ornamenta, lævo ex humero pendebant, ne dextri brachii motus in certando impedirent.

1151. *Tegimen meum*, etc. Pellis leonina, quæ tegimen vigilanti et pugnanti, torum autem dormienti præbere solebat.

1152. *Mollis... torus.* Fortassis aliquid superbiæ his inesse verbis voluit poeta; scilicet horridam Nemeæi leonis pellem, quæ aliis quibuslibet aspera videatur, mollem esse Herculi, tanti roboris viro.

1157. *Quem novum*, etc. Credit enim Hercules se a nemine alio superari posse præter Jovis filium, et eum quidem, cui procreando longior nox quam sibi impensa fuerit. Vid. supr. v. 24.

1159. *Quod cerno nefas?* Cruenta tantum corpora, vs. 1144, prospexerat, inscius qui jacerent: nunc uxorem et liberos agnoscit.

1161. *Quis Lycus.* Hoc est, quis tyrannus, Lyci audaciam sævitiamque referens.

1163. *Quisquis*, etc. Omnes populos Thebis vicinos appellat, ut sibi cædis auctorem denuntient.— *Ismeni loca.* Loca Ismeno rigata, id est, Bœotiam. Vide supr. v. 334.

1164. *Actæa.* Attica. Plin. IV, 7: *In ea* (Græcia) *prima Attica, antiquitus Acte vocata;* quod nomen ductum erat ab ἀκτή, litus. Vide Gell. XIV, 6; et Stat. Silv. V, 2, v. 128. — *Gemino mari.* Ægeo et Ionio. Cf. supr. v. 336.

1165. *Pelopis regna.* Peloponnesum, seu insulam Pelopis (νῆσος, *insula.*) — *Dardanii.* Phrygii. Pelops enim Tantalum patrem habuit, regem Phrygiæ, quæ et Troadem complectebatur, Dardaniam quo-

Digitized by Google

Ruat ira in omnes : hostis est, quisquis mihi
Non monstrat hostem. Victor Alcidæ lates?
Procede, seu tu vindicas currus truces
Thracis cruenti, sive Geryonæ pecus, 1170
Libyæve dominos : nulla pugnandi mora est :
En nudus adsto, vel meis armis licet
Petas inermem. Cur meos Theseus fugit
Paterque vultus? ora cur condunt sua?
Differte fletus : quis meos dederit neci 1175
Omnes simul, profare. Quid, genitor, siles?
At tu ede, Theseu; sed tua, Theseu, fide.

que appellatam. Virg. Æn. II, 281, et 325 ; III, 52.

1167. *Ruat ira in omnes.* Omnibus promiscuam cædem minatur Hercules, nisi tyrannum, a quo suos interfectos putat, monstraverint.

1169. *Seu tu vindicas*, etc. Seu ulcisci velis Diomedem, Thraciæ regem, quem suis vorandum equis tradidi. Sup. v. 226.— *Currus* per catachres. pro equis, ut in Virg. Georg. I, 514 : « Fertur equis auriga, neque audit currus habenas. » Lucan. VII, 569 : «..... si verbere sævo Palladia stimulet turbatos ægide currus. » Item *vindicare equos Thracis cruenti* pro *crudelem equorum dominum ulcisci*, usitatissimo schemate scribitur, sicut vers. seq. *Geryonæ pecus* pro *Geryonem*, cui sua pecora Hercules abstulit. De Diomede, cf. sup. v. 226.

1170. *Geryonæ.* Vid. v. 231.

1171. *Libyæve dominos.* Atlantem, Mauritaniæ regem, penes quem aurea fuisse mala perhibent, ab Hercule rapta (vid. v. 239), et Antæum, de quo Noster jam sup. v. 482 scripsit *Antæus Libys.*

1172. *Nudus.* Exarmatus. — *Vel meis armis*, etc. Quamvis meis etiam armis instructus me inermem petas.

1174. *Ora cur condunt sua?* Euripid. Herc. fur. 1111 : « Πάτερ, τί κλαίεις, καὶ συναμπίσχῃ κόρας, Τοῦ φιλτάτου σοι τηλόθεν παιδὸς ϐεϐώς ; »

1175. *Differte fletus.* Serius lacrymabitis : nunc vero, quod instat, percussorem mihi denuntiate.

1177. *Sed tua, Theseu, fide.* Ad hæc Farnabius : « Emphasis ; i. e. *bona fide ;* Theseus enim amicis erat fidus, utcumque uxoribus fidem non præstaret. » Intelligit igitur Farnabius, quasi Hercules Thesei notissimam in amicos fidem imploret ; nec desunt ad confirmandam hanc interpretationem exempla. Ovid. Trist. I, 3, v. 66 : « O mihi Thesea pectora juncta fide. » Id. de Ponto, II, 6, v. 26 : « Non hæc Ægidæ Pirithoique fides. » Gallici interpp. sensu paulum alio : *O Thésée! réponds-moi, je l'exige de ta fidèle amitié.* Quod quidem haudquaquam nobis displicet : satis enim habuisse Hercules videri potest, si Thesei erga se amicitiam invocaret.

Digitized by Google

Uterque tacitus ora pudibunda obtegit,
Furtimque lacrimas fundit. In tantis malis
Quid est pudendum? numquid Argivæ impotens 1180
Dominator urbis, numquid infestum Lyci
Pereuntis agmen clade nos tanta obruit?
Per, te, meorum facinorum laudem, precor,
Genitor, tuique nominis semper mihi

1178. *Uterque tacitus*, etc. Ovid. Trist. II, 819 : « Illa diu reticet, pudibundaque celat amictu Ora; fluunt lacrymæ more perennis aquæ. » Cf. quæ ex Euripide modo attulimus, v. 1174, et quæ notavimus supra ad vers. 355.

1179. *In tantis malis*, etc. Quantacumque sint mala nostra, nihil habent pudendum, nisi ab Eurysthæo, aut a factione Lyci provenerint: ignominia vacat, quod fortuitum est, quod fortunæ vitio incidit: id tantum nobis turpe potest esse, si quid ab indignis hostibus patiamur. Cf. Stat. Theb. IV, 758. Valer. Flacc. V, 325, et Nostr. Œdip. 65.

1180. *Impotens*. Rabidus. Vid. supra, v. 350.

1181. *Dominator urbis*. Eurystheus, rex Argivorum.

1182. *Pereuntis*. Pro *occisi*, non adeo insolenti *temporis* mutatione. Val. Maxim. V, 2, 8 : *C. quidem Marii non solum præcipuus, sed etiam præpotens gratæ mentis fuit impetus. Duas enim Camertium cohortes, mira virtute vim Cimbrorum sustinentes, in ipsa acie, adversus conditionem fœderis civitate donavit.* Hic *sustinentes* pro *quæ sustinuerant* positum Baden. adnotat. Adde Virg. Æn. IX, 263 : « Bina dabo argento perfecta atque aspera signis Pocula..... Et tripodas geminos, auri duo magna talenta, Cratera antiquum, quem *dat* Sidonia Dido. » *Dat* pro *dedit*, eo notabilius, quod antecedat *dabo*. Usurpatio *præsentis* ad præterita significanda, cujuslibet sermonis est, sed alia in alio.

1183. *Per, te, meorum*, etc. Intellige : « Te precor per laudem, etc. » Hujusmodi transpositio supplicantibus consuetissima est, quasi, turbante mentem affectu, legitimum ordinem nec curent nec meminerint. Liv. XXIII, 9 : *Per ego te, fili, quæcumque jura liberos jungunt parentibus, precor*, etc. » Virg. Æn. IV, 314 : « Per ego has lacrymas dextramque tuam, te, etc. » Stat. Theb. XI, 367 : « Argolicos per, te, germane, penates, etc. » et 708 : « felicia per, te, Regna, verende Creon, etc. » Sil. XII, 79 : « per vos Tyrrhena faventum Stagna deum, etc. » Addend. Terentii Andr. act. V, scen. 1, v. 15.

1184. *Tuique nominis*, etc. « Id est, inquit Badenius, per numen, quod secundus a te pater mihi est semper habitum, ut bene cepit Heinsius. Ob oculos habet Noster illud Euripidis, Herc. fur. 1265 : « Πατέρα γὰρ ἀντὶ Ζηνὸς ἡγοῦμαι σ' ἐγώ. » Istum autem sensum ex latinis verbis quomodo Badenius exprimat me omnino non intelli-

Digitized by Google

Numen secundum, fare, quis fudit domum? 1185
Cui præda jacui? AMPH. Tacita sic abeant mala.
HERC. Ut inultus ego sim? AMPH. Sæpe vindicta obfuit.
HERC. Quisquamne segnis tanta toleravit mala?
AMPH. Majora quisquis timuit. HERC. His etiam, pater,
Quidquam timeri majus aut gravius potest? 1190
AMPH. Cladis tuæ pars ista, quam nosti, quota est?
HERC. Miserere, genitor: supplices tendo manus.
Quid hoc? manus refugit : hic errat scelus.

gere fateor. Locum aliter interpretandum judico : « Precor te per numen nominis tui, quod mihi secundum a Jove est, quo nihil mihi præter Jovis numen, sanctius est ». Hoc, ut obvium magis arripio, et si contradiceret latina oratio, ut convenientius desiderarem : non enim Jovem, patrem suum et deorum regem, Hercules queat, salva tum majestate ejus, tum pietate sua, mortali postponere Amphitryoni, quid autem magnificentius tribuere possit, quam si eum non tantum pro deo colat, sed etiam proximum Jovi et ab illo secundum adoret? Adde quod solebant scriptores romani, ut summum pietatis in homines gradum significarent, eam pietati in deos parem prædicare, ut Cicero, in orat. I, post redit. cap. 8 : *Pollicebor primum, qua sanctissimi homines pietate erga deos immortales esse solent, eadem me erga populum romanum semper fore, numenque vestrum æque mihi grave et sanctum ac deorum immortalium in omni vita futurum.*

1186. *Tacita sic abeant mala.* Euripid. Herc. fur. 1125 : « Τοσοῦτον ἰσθι τῶν κακῶν. τα δ' ἄλλ' ἔα. »

1187. *Sæpe vindicta obfuit.* Cf. Senecæ de ira, II, 22 et 23.

1188. *Quisquamne*, etc. Quis unquam tantis calamitatibus oppressus, segnis eas toleravit, et ultione abstinuit?

1191. *Cladis tuæ*, etc. « Quantula sunt quæ novisti, si conferantur quæ ignoras! » Novit enim Hercules cæsos liberos et uxorem; sed nescit seipsum interfectorem eorum fuisse.

1193. *Manus refugit.* Intelligi potest *manus meas refugit genitor*, ut nonnullis placuit. Sed malim sic interpretari : « Quid hoc? manus mea a parente refugit, quasi indigna sit ejus contactu! » Hunc sensum potiorem judico, non solum quia, ut apte adnotavit Badenius, aliquid simile infra exprimitur (v. 1318 : « Artus alleva afflictos solo, Theseu, parentis : dextra contactus pios Scelerata refugit »), sed quod hæc verba *manus refugit*, sic accepta, melius cum sequentibus congruunt. Facilius enim ex hoc portento refugientis a genitore manus propter indignitatem, Hercules nefaria se admisisse suspicetur, quam ex aversione Amphitryonis, nusquam

Digitized by Google

Unde hic cruor? quid illa puerili madens
Arundo leto, tincta Lernæa nece? 1195
Jam tela video nostra, non quæro manum.
Quis potuit arcum flectere? aut quæ dextera
Sinuare nervum vix recedentem mihi?
Ad vos revertor : genitor, hoc nostrum est scelus?
Tacuere; nostrum est. AMPH. Luctus est istic tuus; 1200
Crimen novercæ : casus hic culpa caret.
HERC. Nunc parte ab omni, genitor, iratus tona;
Oblite nostri, vindica sera manu

alibi cæteroquin expressa, quum ille contra versu 1201 *casum hunc culpa carere* dicat. — *Hic errat scelus.* Ubique in his locis et circa me scelus est. Intelligit Farnab. *errat in his manibus*; distinctius forsan et subtilius.

1194. *Unde hic cruor?* Hujus prodigii novitate attonitus, scilicet quod manus sua a patre refugiat, Hercules in istam oculos acrius convertit, et tunc primum animadvertit tinctam esse sanguine. Nec putet quisquam, non aspersum Herculis manibus cruorem, sed solo fusum et ex infantium corporibus stillantem significari; namque jam *cruenta corpora* (v. 1144) vidit, et natos etiam interfectos peremptamque conjugem (v. 1160 et 1161) agnovit. Id novum oritur, v. 1194, quod cruore manum suam madere sentiat, unde in suspicionem venit cædis a se ipso patratæ. — *Quid illa*, etc. Ex illa manu, in qua impressa exstant cædis vestigia, Alcides ad cæsa corpora et infixas corporibus sagittas detorquet aciem; suasque arundines, Lernæi monstri quondam sanguine et felle imbutas, agnoscit.

1195. *Tincta Lernæa nece.* Apollod. II, 5 : Τὸ δὲ σῶμα τῆς ὕδρας ἀνασχίσας, τῇ χολῇ τοὺς οἰστοὺς ἔβαψεν.

1196. *Non quæro manum.* Quia solus valet Hercules arcu suo uti. Vide inf. not. ad v. 1199.

1198. *Vix recedentem.* Aptissime dictum et a nonnullis falso mutatum : namque, ut sensit Badenius, in emittenda sagitta retro trahitur nervus. Homer. Iliad. VIII, 323 : « Ἤτοι ὁ μὲν φαρέτρης ἑξείλετο πικρὸν ὀϊστὸν, Θῆκε δ' ἐπὶ νευρῇ· τὸν δ'αὖ κορυθαίολος Ἕκτωρ Αὖ ἐρύοντα, etc. »

1199. *Ad vos revertor.* Ad Theseum et Amphitryonem, a quibus se removerat, ut tela propius inspiceret. — *Hoc nostrum est scelus?* Quamvis dixerit supra, vs. 1196, *non quæro manum :* nec temere quidem aut inconsiderate, quum humanum sit, si qua in pejus acciderint, de compertis et minime dubiis dubitare.

1200. *Luctus est istic tuus*, etc. Hæc clades tibi quidem dolenda, sed Junoni tantum imputanda : *noverca* Juno nocens; tu miser.

1203. *Oblite nostri.* Ad hæc Farnabius : « Qui curam non habuisti

Digitized by Google

Saltem nepotes : stelliger mundus sonet,
Flammasque et hic et ille jaculetur polus : 1205
Rupes ligatum Caspiæ corpus trahant,
Atque ales avida. Cur Promethei vacant
Scopuli? paretur vertice immenso feras
Volucresque pascens Caucasi abruptum latus,
Nudumque silvis. Illa, quæ pontum Scythen 1210
Symplegas arctat, hinc et hinc vinctas manus

mei, filii tui, a mente abalienati, et nepotum tuorum a me interfectorum; vel, obliviscere me filium esse tuum. » Hunc posteriorem sensum elegerunt interpp. Gallici : *Oubliez que vous êtes mon père*, etc. Contra mihi videtur locum sic accipi non posse, quin desideretur *oblitus nostri*, unde appareat hæc ad verbum *tona* referenda : sed nec patiatur metri compositio quidquam mutari, nec ad intelligendum locum ulla mutatione opus sit; priori sensui adhærendum, qualem exposuit Farnabius, nisi quod *nostri* non pro *mei et nepotum tuorum*, sed tantummodo pro *mei*, ut sæpe fit, habeam. Hæc interpretatio melius consonat cum sequentibus *Saltem vindica* : « O cælestis genitor, si mei oblitus es, quod furore et scelere meo satis superque arguitur, at saltem nepotes tuos fulmine ulciscere, etc. »

1204. *Mundus sonet.* Cælum percussum fulmine intonet.

1205. *Et hic et ille.* Arcticus et Antarcticus.

1206. *Rupes.... Caspiæ.* Caucasi juga, mari Caspio vicina. Hercules se profitetur dignum Promethei supplicio, quem Vulcanus, Jovis jussu, summo Caucaso adligaverat. Vid. Æschyl. Prometh. — *Trahant.* Crucietur et distrahatur corpus, hinc constringente et retinente saxo, illinc carpente et evellente volucri.

1207. *Ales avida.* Vultur, qui renascens Promethei jecur depascebatur. — *Cur Promethei vacant*, etc. Prometheus pœnam per annorum triginta millia perlaturus erat, nisi anno trigesimo ab Hercule liberatus fuisset.

1208. *Paretur.* In supplicium meum.

1210. *Pontum Scythen.* Pontum Scythicum, i. e. Euxinum; Scythes in Nostro non semel adjective usurpatur. Hipp. 906 : « Hunc Graia tellus aluit, an taurus Scythes, Colchusve Phasis? » *Scytha* quoque et *Scythæ* adjectivorum nominum more aliquando in poetis adhibita reperias. Martial. IV, 28 : « Indos sardonychas, Scythas smaragdos. » Stat. Theb. XI, 437 : « Quam Scytha curvatis erectus fluctibus unquam Pontus. »

1211. *Symplegas arctat.* Symplegades seu Cyaneæ insulæ sunt duæ rupes in aditu Ponti Euxini, altera Europæ, altera Asiæ proxima. Finxerunt Veteres eas esse mobiles et coire sæpius rursusque disjungi;

Digitized by Google

Distendat alto; quumque revocata vice
In se coibunt, saxaque in cælum expriment
Actis utrinque rupibus medium mare,
Ego inquieta montium jaceam mora. 1215
Quin structum acervans nemore congesto aggerem,
Cruore corpus impio sparsum cremo?

forsan quod parvo discretæ intervallo modo dividi, modo adhærere, navigantibus viderentur. Optat igitur Hercules, dolore amens, ut utraque insula utramque manum suam discedens abstrahat, non aliter ac si quis in oppositum ruentibus equis discerpatur. De Symplegadibus consule Herodot. IV, 85; Apollon. II, 317, et 551; Plin. IV, 13, et VI, 12; Pompon. Mel. II, 7; Ovid. Metam. XV, 337; Lucan. II, 715; Valer. Flacc. IV, 637, et Nostri Med. 341.

1212. *Distendat alto.* Hinc et illinc super mare extensas et porrectas teneat. — *Revocata vice.* Junguntur enim et dividuntur insulæ quasi per *vices.*

1213. *In cælum*, etc. Saxaque hinc et illinc recurrentia medias undas, collisu suo interceptas, in cælum immittunt. *Exprimere in cælum* pro *immittere in cælum* non exemplis et auctoritatibus caret; Sen. de const. sap. 4: *Quæ nervo tormentisve in altum exprimuntur.* Cæs. Bell. Gallic. VII, 22: *Turrium altitudinem, quantum has quotidianus agger expresserat, adæquabant.* Hirt. de bello Alex. 6: *Aquæ magnam vim ex mari rotis ac machinationibus exprimere.*

1215. *Ego inquieta*, etc. De hoc loco Gronovius: « Convenit magnus Scaliger conscientiam lectoris, an hoc intelligat. Non tantum conscii nobis sumus nos hæc recte intelligere, sed etiam conscios alios non recusamus. Optat se medium jacere inter duas Symplegades, illarum velut *moram*, impedimentum, obicem; qui eas moretur, vetet aut satis arcte conjungi aut rursus distrahi; eamque moram *inquietam*, seu quæ identidem a commissis scopulis sollicitetur, impetatur, inquietetur: ut apud Virgilium, Abantem *pugnæ nodumque moramque;* apud Florum, *scopulus et nodus et mora publicæ securitatis Antonius;* in prosis Senecæ, *commissuras et moras*, quod etiam male sollicitarunt. »

1216. *Quin*, etc. « Aut potius cur non cæsis arboribus pyram construo, qua corpus hoc sceleratum cremem? » Alludit Noster ad Œtæum rogum. Euripid. Herc. fur. 1146: « Οἴμοι· τί δή γε φείδομαι ψυχῆς ἐμῆς, Των φιλτάτων μοι γενόμενος παίδων φονεὺς..... Η σάρκα τὴν ἐμὴν κατεμπρήσας πυρὶ, Δύσκλειαν, ἣ μένει μ', ἀπώσομαι βίου; » — *Nemore.* Pro arboribus aut lignis, per synecdochen. De una arbore significanda, hanc vocem adhibuit Martialis, IX, 62, v. 9.

1217. *Cruore..... impio.* Cruore impie effuso, ut supra versu 484, *justum sanguinem*, ad quem locum vid. quæ notavimus.

Digitized by Google

Sic, sic agendum est : inferis reddam Herculem.
AMPH. Nondum tumultu pectus attonito caret.
Mutavit iras; quodque habet proprium furor, 1220
In se ipse sævit. HERC. Dira Furiarum loca
Et inferorum carcer, et sonti plaga
Decreta turbæ, et si quod exsilium latet
Ulterius Erebo, Cerbero ignotum et mihi,
Huc me abde tellus : Tartari ad finem ultimum 1225
Mansurus ibo. Pectus o nimium ferum!
Quis vos per omnem, liberi, sparsos domum
Deflere digne poterit? hic durus malis
Lacrimare vultus nescit. Huc ensem date;
Date huc sagittas; stipitem huc vastum date. 1230
Tibi tela frangam nostra; tibi nostros, puer,

1218. *Inferis reddam.* Euripid. Herc. fur. 1247 : « Θανὼν, ὅθεν περ ἦλθον, εἶμι γῆς ὕπο. »

1219. *Tumultu... attonito.* Stupore quodam, qui animum Herculis novo tumultu quatit. Cf. Sophocl. in Ajace flagell. 258 et sqq.

1220. *Mutavit iras.* Iram suam ab aliis in se retorsit.— *Quodque*, etc. In semetipsum sævit, quod furentis proprium est. Sup. v. 98 : « In se semper armatus Furor. »

1222. *Sonti plaga*, etc. Locus scelestis cruciandis destinatus, hoc est, Tartarus.

1223. *Et si quod*, etc. Stat. Theb. VIII, 15 : « Et si quos procul inferiore barathro Altera nox, aliisque gravat plaga cæca tenebris. » — *Exsilium.* Pro *locus in quo exsulatur.*

1224. *Ulterius Erebo.* Ipsis inferis inferius. Cf. sup. v. 93.

1226. *Mansurus.* In Tartarum descendam, ab hoc jam non emersurus. Sic in Hipp. v. 1241, Theseus : « Recipe me æterna domo, non exiturum. » Cf. Aj. flag. 395.

1228. *Hic durus malis*, etc. Gallicus interpres *Levée : Mes yeux endurcis par les malheurs*, etc. ; quod male conveniat cum antecedentibus, *pectus o nimium ferum !* Intellige potius *vultus calamitati asper et indocilis, calamitate indocilis moveri*, ut in epist. Antonii M. Ciceroni (vid. epist. Cic. ad Attic. lib. XIV, post epist. 13) : *Quod si duriorem te ejus miseræ et afflictæ fortunæ præbes.*

1231. *Tibi tela*, etc. Stat. Theb. VI, 81 : « Cuncta ignibus atris Damnat atrox, suaque ipse parens gestamina ferri, Si damnis rabidum queat exsaturare dolorem. » De interpretatione loci Farnabius : « Conversus ad unum filiorum dicit, Tibi sagittas frangam; ad alterum, Tibi arcum; ad tertium conversus dicit, Tuis manibus quasi inferiæ, comburetur clava hæc; ad quar-

Digitized by Google

Rumpemus arcus, ac tuis stipes gravis
Ardebit umbris; ipsa Lernæis frequens
Pharetra telis in tuos ibit rogos.
Dent arma pœnas: vos quoque infaustas meis 1235
Cremabo telis, o novercales manus.
THES. Quis nomen unquam sceleris errori addidit?
HERC. Sæpe error ingens sceleris obtinuit locum.
THES. Nunc Hercule opus est: perfer hanc molem mali.
HERC. Non sic furore cessit exstinctus pudor, 1240
Populos ut omnes impio aspectu fugem.
Arma, arma, Theseu, flagito propere mihi

tum, Tuo rogo ardebit pharetra; atque ita quatuor Herculem filios (quorum nomina Onitem, Therimachum, Democoonta, Creontiadem ferunt) interfecisse vult, quos alii duos, alii octo statuunt. » Hæc Farnabius: at manifestum est tres tantum Herculi attribui filios, ut jam sup. vss. 994, 1001, et 1008. Non in quatuor, sed in tres partes arma quasi dividuntur: Tibi tela; tibi arcus et stipitem; tibi pharetram comburam.

1233. *Lernæis.* Videatur supra versus 1195.

1235. *Vos quoque infaustas*, etc. De conjecturis in Animadvers. nostris disputabimus. Censet intelligendum Schrœderus, minari Herculem igne telorum, quæ modo dari sibi in rogum postulaverat, se perditurum sævas istas, atque in suam suorumque perniciem sibi datas manus. Putat Badenius subaudiri præpositionem *cum*, nihilque hac ellipsi frequentius affirmat. Nos vero ingenium Senecæ multo melius observari arbitramur, si *infaustas* spectare ad *meis telis* credatur: Vos quoque cremabo, impiæ manus, infaustas meis telis, i. e. quæ tela mea, hucusque præclara nec nisi digno cruore tincta, tam fœdo parricidio dedecoravistis.

1236. *Novercales manus.* Quæ tales erga liberos meos fuistis, quales sunt Junonis in me.

1237. *Nomen... sceleris errori addidit.* Lucanus, VII, 58: « Hoc placet, o superi, quum vobis vertere cuncta Propositum, nostris erroribus addere crimen. »

1238. *Sæpe error*, etc. Testis Œdipus.

1239. *Nunc Hercule opus est.* Nunc ad ferendam hanc calamitatum molem, opus est Herculeo animi robore. Euripid. Herc. fur. 1414: « Ἄγαν γ' ὁ κλεινὸς Ἡρακλῆς, ποῦ κεῖνος ὤν; »

1240. *Non sic furore*, etc. « Non ita pudorem furor ademit, ut velim populos omnes aspectu meo fugare. » Veteres enim scelestorum contactum conspectumque cæteris gravem et infaustum putabant. Confer Euripidis Herculem furentem, verss. 1155, 1199 et 1233.

Digitized by Google

Subtracta reddi. Sana si mens est mihi,
Referte manibus tela : si remanet furor,
Pater, recede : mortis inveniam viam. 1245
AMPH. Per sancta generis sacra, per jus nominis
Utrumque nostri, sive me altorem vocas,
Seu tu parentem; perque venerandos piis
Canos, senectæ parce desertæ, precor,
Annisque fessis : unicum lapsæ domus 1250
Firmamen, unum lumen afflicto malis
Temet reserva. Nullus ex te contigit
Fructus laborum : semper aut dubium mare,
Aut monstra timui : quisquis in toto furit
Rex sævus orbe, manibus, aut aris nocens, 1255
A me timetur : semper absentis pater

1243. *Sana si mens*, etc. « Si furor meus omnino recessit, tela sano reddite, quibus, ut decet, uti sciam : si autem remanet amentia, quin æstuantem et suos perimentem, genitor, fugis? te absente, viam mortis qualemcunque inveniam. » Herculi mori certum est; et modo sua sibi reddantur arma, quibus in se animadvertat, modo recedat tantum pater, flagitat, ne oculos ejus mortis suæ spectaculo terreat.

1246. *Per sancta generis sacra.* Intelligunt nonnulli gentilitia sacrificia; accipiendum potius nobis videtur, quidquid sacrum et religiosum inest generi, h. e. consanguinitati, quod sequentia confirmant. — *Per jus nominis.* Per mutua jura, patris in filium, et filii in patrem. — Confer cum hac Amphitryonis obsecratione, quod in Sophocl. Ajace flagell. Tecmessa ad mulcendum Ajacis animum precatur, v. 486 et seqq.

1249. *Senectæ ... desertæ.* Quam tu ipse et filia et nepotibus senectutem orbavisti, hanc superstes tueare.

1250. *Annisque fessis.* Tacit. Annal. XIV, 33 : *Si quos imbellis sexus, aut fessa ætas, aut loci dulcedo attinuerat, ab hoste oppressi sunt.*

1251. *Unum lumen.* Cf. Eurip. Herc. 531. — *Afflicto malis.* Mihi malis oppresso.

1252. *Nullus ex te*, etc. Quid mihi tot labores tui attulere, quum semper alius ex alio subeundus tibi fuerit, nec potuerim unquam ex metu requiescere?

1253. *Dubium mare.* Dum Hercules Hesperiam et Africam peteret. Vid. vs. 271 et 320.

1255. *Aris nocens.* Alludit ad sævitiam Busiridis, qui deorum suorum aras hospitum sanguine respergere consueverat. Vide quæ notav. ad v. 483. Add. Ovid. Art. am. I, 649, et Nost. Herc. Œt. 25.

1256. *A me timetur.* Nam ubicunque sæviunt tyranni, vindicem

Digitized by Google

Fructum tui, tactumque et aspectum peto.
HERC. Cur animam in ista luce detineam amplius,
Morerque, nihil est : cuncta jam amisi bona,
Mentem, arma, famam, conjugem, natos, manus, 1260
Etiam furorem. Nemo polluto queat
Animo mederi : morte sanandum est scelus.
AMPH. Perimes parentem? HERC. Facere ne possim, occidam.
AMPH. Genitore coram? HERC. Cernere hunc docui nefas.
AMPH. Memoranda potius omnibus facta intuens, 1265
Unius a te criminis veniam pete.
HERC. Veniam dabit sibi ipse, qui nulli dedit?
Laudanda feci jussus, hoc unum meum est.

filium meum adfore non sine paterna anxietate præsentio.

1257. *Fructum tui*, etc. Temet mihi reserva, ait Amphitryon : nullus hactenus tui et laborum tuorum fructus mihi contigit, quum semper et procul a genitore versatus fueris, monstra lacessens et pericula ; liceat mihi tandem te præsente frui, te tangere, te conspicere.

1258. *Cur animam*, etc. Eurip. Herc. fur. 1301 : Τί δῆτά με ζῆν δεῖ; τί κέρδος ἕξομεν, Βίον τ' ἀχρεῖον, ἀνόσιοι κεκτημένοι;

1260. *Manus*. Manus illas scelerum ultrices, et honestis tantum facinoribus notas. Sæpe *manus* invenias, in script. latin. et præsertim poetis, pro his quæ virtute, viribus, *manu* geruntur. Sic Virg. Æn. VI, 683 : « Fataque fortunasque virum moresque manusque. »

1261. *Etiam furorem*. Quo adimitur saltem sceleris conscientia. Cf. sup. v. 1094 et seqq.

1262. *Morte sanandum*, etc. Ad hæc Farnab. : « Insanæ menti nulla est nisi a morte medela. » Falsa, ut mihi videtur, interpretatio, in qua *scelus* et *insania* confunduntur : Cur vivam amplius, ait Hercules, amissis omnibus bonis, mente, armis, fama, etc. ? Nec meliora sperare mihi licet ; scelus animum meum ita polluit, ut tanta labes sola morte elui possit. Scilicet Hercules necem sibi consciscendo approbabit quantum a patrato scelere abhorreat. Eadem sententia iteratur inferius, v. 1277 : « Si vivo, feci scelera ; si morior, tuli. » Cf. Ajac flagell. 583.

1263. *Facere ne possim*. Hoc ipsum nè faciam, i. e. ne parentem perimam, mori mihi certum est.

1264. *Cernere hunc*, etc. Liberos coram patre occidendo.

1267. *Veniam dabit*, etc. Qui in omnes immitis fuit et inhumanus, num meruit ut ipse sibi parcat?

1268. *Laudanda*, etc. Petis ut intuens quæ præclare gessi, hoc unum secus admissum mihi ignoscam..... Sed laudanda a Junone et Eurystheo coactus peregi ; injussus vero meos interfeci, dignus

Digitized by Google

Succurre, genitor, sive te pietas movet,
Seu triste fatum, sive violatæ decus 1270
Virtutis : effer arma; vincatur mea
Fortuna dextra. THES. Sunt quidem patriæ preces
Satis efficaces; sed tamen nostro quoque
Moveare fletu : surge, et adversa impetu
Perfringe solito : nunc tuum nulli imparem 1275
Animum malo resume; nunc magna tibi
Virtute agendum est : Herculem irasci veta.
HERC. Si vivo, feci scelera : si morior, tuli.
Purgare terras propero : jamdudum mihi
Monstrum impium, sævumque et immite, ac ferum 1280

in quem tota facti cadat invidia.

1269. *Pietas.* Tua in me paterna pietas.

1270. *Triste fatum.* Fati mei miseratio. — *Violatæ decus*, etc. Omnes vel annotatores vel interpp. *virtutis* generaliter accepere, quasi Amphitryonem obtestaretur Hercules, ut violatas virtutis leges vindicari sineret; sed cum hoc sensu, cæteroquin specioso et egregio, male concinit *succurre*, quo videntur omnia sequentia ad Alcidem peculiariter referenda. Malim igitur intelligere *virtutem Herculis*, cujus decus pristinum et tot præclaris victoriis partum, si ipse vivat, contaminatum scelere habebitur; ita ut nato *succurrat* Amphitryo, et gloriæ ejus consulat, moriendi facultatem annuendo. Ea interpretatio mihi eo magis arridet, quod mire cum antecedentibus et sequentibus congruat, *morte sanandum est scelus*, et *si vivo, feci scelera.* « Succurre mihi, genitor, vel pietate tua in me, vel tantæ calamitatis misericordia motus, vel illo gloriæ meæ decore, quod violavi, quodque me penes est aut morte restituere, aut vita in æternum abolere. » Hanc rerum connexionem in iis frustra requiras, qui locum aliter enodaverunt, præsertim in Gallicis interpretibus, quorum vaga et incerta dicendi ratio studiosorum intelligentiam fallit eluditque : *O mon père, secourez-moi, soit que vous soyez touché par la* PIÉTÉ, *ou par ma triste destinée, ou par l'*AMOUR DE LA VERTU *que j'ai violée.*

1271. *Effer arma.* Trade mihi, quæ rapuisti, arma. — *Vincatur*, etc. Fortunæ enim mancipio se eximunt, qui se ipsos interimunt.

1278. *Si vivo*, etc. « Si mihi vitam indulsero, videbor cædem ultro fecisse; contra, me moriente, manifestum omnibus erit non voluntate mea scelus admissum, et me non tam hujus auctorem fuisse quam eo ipso oppressum. »

1279. *Purgare*, etc. Alludit ad labores, quibus tot monstra sustulit : scelus suum pro immanissimo omnium monstro exsecratus, dextram, ut illud persequatur et vindicet, incitat.

Digitized by Google

Oberrat : agedum, dextra, conare aggredi
Ingens opus, labore bisseno amplius.
Ignave, cessas, fortis in pueros modo,
Pavidasque matres? Arma nisi dantur mihi,
Aut omne Pindi Thracis excidam nemus, 1285
Bacchique lucos, et Cithæronis juga
Mecum cremabo : tota cum domibus suis
Dominisque tecta, cum deis templa omnibus
Thebana supra corpus excipiam meum,
Atque urbe versa condar; et, si fortibus 1290

1281, *Oberrat.* Vid. supra, vers. 1192. Forcellin. in lexic. *oberrat* vult intelligi, quasi dicat Seneca *obversari* monstrum ante Herculis oculos; ita ut *oberrare* a solito sensu deflecti jubeat, quem optime definiverat, *errare intorno, andar vagando quà e là.* Quorsus hæc pertineat verbi detorsio non videmus, qua non solummodo ad intelligendum locum neutiquam opus est, sed etiam violatur sententiæ integritas et orationis franguntur nervi. *Oberrat* in Senecæ versu sic accipiendum arbitror, tanquam in seqq. Tacit. Ann. I, 65 : *Quum ipsi passim adjacerent vallo, oberrarent tentoriis, insomnes magis quam pervigiles.* Claudian. in Rufin. II, 93 : « Magna quidem per rura lues, sed major oberrat Intra tecta timor. »

1282. *Labore bisseno.* Vid. sup. not. ad vers. 222.

1283. *Ignave.* Seipsum increpat. Cf. Aj. flagell. 365 et seqq.

1284. *Pavidasque matres?* T. Liv. III, 67 : *In nos viri, in nos armati estis.* Apte Commelinus in hunc locum : « MSS. uno consensu omnes *pavidasque matres?* et recte : sic enim sæpius utitur plurali numero auctor noster, illudque eleganter, ad augendam invidiam : cui malo dum medicinam non necessariam adhibere conantur imperiti, gravius multo afficiunt. » Cf. Theb. 368. Med. 1007.

1285. *Pindi Thracis.* Pindus, mons Thessaliæ, *Thrax* Nostro, ut rursus in Œdip. 434 *Threicius*, vocatur, quoniam Thraciæ vicinas regiones, Macedoniam, Thessaliam, communi Thraciæ nomine sæpe appellant veteres poetæ. Sic Stat. Theb. IV, 655, Valer. Flacc. I, 24, et Mart. IX, 95, Othryn, Thessaliæ montem, Thracium dicunt; sic Ossam, alium Thessaliæ montem, Statio in Theb. II, 81, et Nostro in Thyest. 812, apud Thraces poni placuit, etc. etc. Vid. lexic. Forcell. ad verb. *Philippi, Othrys, Ossa, Thessalicus.* Jam simile aliquid notavimus ad v. 539, de Sarmatis et Scythis.

1286. *Bacchique lucos.* Vicinos, Thebis lucos, Bacchoque Thebano dicatos, in quibus ejus sacra peragebantur. Vid. v. 134. — *Cithæronis juga.* Conf. vers. 234.

1290. *Urbe versa condar.* Ruinis urbis consepultus moriar.

Digitized by Google

Leve pondus humeris mœnia immissa incident,
Septemque opertus non satis portis premar,
Onus omne, media parte quod mundi sedet,
Dirimitque superos, in meum vertam caput. [1295
AMPH. Redde arma. HERC. Vox est digna genitore Herculis.

1291. *Leve pondus.* « Si diruta urbis mœnia leviora sunt, quam ut me, ferendo cælo parem, opprimant, etc. »

1292. *Septemque..... portis.* De septem Bœotiarum Thebarum portis, consule Æschyl. Sept. ad Theb. 148, 263, 583 et passim. Stat. Theb. VIII, 353.

1293. *Onus omne*, etc. De interpretatione loci dissident annotatores. Putat Delrio *quidquid inter terram et supremum cælum interjacet* significari. Farnabius inter hunc et alium sensum dubius consistit: « Quod si domus, templa, mœnia, portæ septem, universa urbs Thebarum nimis leve pondus sit ad me opprimendum, vertam ego in caput meum omnia inter terram et cælum summum. Vel : Molem ipsam terræ, quæ in medio librata suo interpositu alterum hemisphærium, seu cæli faciem mediam ab altera separat et oculit. » Gronovius de eodem loco : « Duas afferunt explicationes; unam de toto quod inter terram et cælum supremum interjacet; alteram de mole ipsa terræ. Prior est nugatoria, posterior vera..... Hoc enim (scilicet *onus omne*, etc.) superos dirimit, puta nos et antipodas. » — Gallici interpp., quibus cæterorum tum recte tum perperam cogitata ad suam utilitatem convertere, ut novissimis, licuit, cæteris tamen longe infelicius : *Je ferai tomber sur ma tête cette partie du globe, sur laquelle le monde est assis, et qui sépare l'empire du ciel.* Gronovio auscultandum arbitramur, nisi quod non antipodæ, sed inferi, a Seneca designari nobis videntur. Rerum universalitatem, seu *mundum*, in tres partes Noster solet dividere, quarum prima cælum et æthera, secunda terras et mare, tertia inferos continet. Sic supra v. 955, *tellus et freta, inferna regna, cælum et alta mundi spatia* distincte enumerantur, ut quibus constet tota rerum natura. Vid. et Hipp. 1211. Herc. Œt. 1164, etc. Unde pro *tellure*, quæ quidem cælum inter et inferos media est, jure adhibetur plenior hæc et poetico sermoni accommodatior dicendi forma, *onus omne, media parte quod mundi sedet.* Reliqua pari commoditate evolvuntur : namque terrena mole, sic interposita, *superi*, i. e. homines et dei (vid. not. ad vers. 318), ab infernis separantur et *dirimuntur.*

1295. *Redde arma.* Hæc ad famulum dicuntur, qui erepta Herculi arma gerit. Supr. v. 1053 : « Removete famuli, tela, etc. » Sua nato furenti arma auferri jusserat Amphitryon, ne quid nefarium per amentiam ille moliretur : sed quia Hercules nihil majus et perniciosius admittere potest, quam quod inermis facturum se minitatur, ei tela reddi Amphitryo imperat, sperans cæteroquin fore ut hac obse-

Digitized by Google

Hoc en peremptus spiculo cecidit puer.
AMPH. Hoc Juno telum manibus emisit tuis.
HERC. Hoc nunc ego utar. AMPH. Ecce, quam miserum metu
Cor palpitat, corpusque sollicitum ferit!
HERC. Aptata arundo est. AMPH. Ecce jam facies scelus 1300
Volens sciensque. Pande, quid fieri jubes?

quentia placetur Hercules, et ad mitiores sensus redeat. De hoc versu et seqq. abunde et acute disseruit Gronovius, ut loco ab interpretibus vitiato et falsæ personarum dispositioni mederetur : « Caput hujus versus, inquit, dandum est Amphitryoni. Is animadvertens amotis armis Herculem magis irritari, et prope secundum furorem esse, satius ducit ea restituere nondum prorsus efferato..... Quæ Hercules recipiens, paulo placatior, ait, *Vox est digna genitore Herculis;* facis quod te dignum est : neque enim decet, qui Herculis audiat pater, instrumenta gloriæ filio involare aut arcere. Porro Hercules tenens manu telum et inspiciens, et stimulans dolorem suum ad manus sibi inferendas ait, *Hoc en peremptus spiculo cecidit puer*, quibus mactatum filium et patratum parricidium sibi ipse exprobrat. At leniens invidiam facti Amphitryo subjicit opportune arietem illum, *telum manu fugisse*, ceu non tantum bonus imperator, verum etiam jurisconsultus..... Hercules nihil motus hac extenuatione facti, magis aperit consilium de se interficiendo, *Hoc nunc ego utar :* «Fuerit ante hoc telo usa Juno; nunc duntaxat ego utar.» Territus tam præcipiti denuntiatione Amphitryo, ad ultimum timoris admotus, non invenit verba, quibus eum pergat dehortari; sed extremum metum suum et summam sollicitudinem rebus et argumento exhibet, *Ecce quam miserum metu Cor palpitat, pectusque sollicitum ferit!*... Pergit tamen Hercules et telum in se vertit, dicens, *Aptata arundo est.* Ita stanti et de extremo momento deliberanti trepidus rursum instat Amphitryo, *Ecce jam facies scelus volens sciensque;* atque hujus unius personæ est omnis sermo usque ad vers. 1314, ubi respondet jam sedatus et concedens Hercules.» De Lessingio personas aliter disponente, vide Animadv. nostras.

1298. *Quam miserum metu*, etc. Horret Amphitryo proximum nefas, minitante Hercule se telis usurum ut sibi mortem inferat.

1299. *Cor palpitat, corp. sollicit. ferit.* Cor movetur et salit in corpore, ut fieri in metu et exspectatione solet. Plaut. in Aulular. act. IV, scen. 4, v. 3 : « Continuo meum cor cœpit artem facere ludicram, Atque in pectus emicare.» Tibull. lib. I, eleg. 10, v. 12 : «Nec audissem corde micante tubam.» — *Sollicitum* ad *cor*, non ad *corpus*, referendum est.

1300. *Aptata arundo est.* Scilicet eam pectori admovit.

1301. *Pande*, etc. Auditote interpretationem Gronovii : «Verba

Digitized by Google

Nihil rogamus : noster in tuto est dolor :
Natum potes servare tu solus mihi,
Eripere nec tu : maximum evasi metum :
Miserum haud potes me facere, felicem potes. 1305
Sic statue, quidquid statuis, ut causam tuam

sunt desperantis de pervincenda obstinatione Herculis, eoque precibus omissis jam indignantis et sus deque habere se fingentis, quidquid tandem in se consulat. Quod naturaliter evenit, ut magnis precibus nostris rejectis dolore accendamur in iram, et quod rogavimus, prope impetratum nolimus, sed et verbis contrariis interdum indignationem testemur. Ita tamen desperat et objurgat, ut arte interim spem et hortamenta ingerat. Age, inquit, quando non potes flecti, fac, aperi et monstra quod me vis cogisque facere (hoc est enim, *Pande, quod fieri jubes;* occide te, quod vis, ut ego quoque faciam, et me occidam) : desino precum, cessat et dolor : venit in mentem te quidem posse, parcendo tibi, servare mihi natum; sed nec tu, licet te interficias, potes mihi eripere (sive quia antecedere et prior mori constituit, sive quia etiamsi mortuo, filio tamen Hercule, erat futurus gloriosus). Liber igitur sum metu : neque enim potes mihi, ut nunc est, miseriam augere; potes minuere : quod si non fiat, non tam malum est desperantibus non levari, quam bonum est miseriores fieri non posse. » Unum ex hac lucida explicatione detrahere velim, tanquam exquisito viri judicio minus dignum, scilicet *sive quia etiamsi mortuo, filio tamen Hercule, erat futurus gloriosus.* Totus enim est Amphitryo in consilio propositæ mortis exponendo, et omnia ejus verba eo referenda manifestum est : intelligendum igitur, ideo suum Amphitryoni natum eripi non posse, quod, moriente filio, ipse moriturus sit. Hanc interpretationem, repudiatis cæteris, arripiendam judicamus.

1302. *Nihil rogamus.* Jam non preces adhibeo. — *In tuto est dolor.* Recte dicitur esse *in tuto* dolor, cui nequeat afferri incrementum. De sensu hujus loci et verss. seqq. vid. notata a Gronovio ad vers. 1301. Cf. et Aj. flagell. 702.

1304. *Eripere nec tu.* Quid enim jamjam morituro eripi potest?

1305. *Miserum haud potes*, etc. Quidquid enim per te miserius mihi queat accidere, voluntaria nece effugiam.

1306. *Sic statue*, etc. Hæc ita reddidit *Coupé : Décidez de vos jours ; vous déciderez des miens : notre cause est commune.* Et *Levée : Prends un parti ; quel qu'il soit, sache que ta cause est la mienne.* Uterque non satis diligenti, ut mihi videtur, interpretatione. : scilicet *causam tuam in arcto stare* intelligendum putaverunt quasi *causam tuam cum mea arctissime conjunctam esse* diceretur; sed et nimiam in subaudiendis verbis licentiam usurpaverunt et vulgatissimæ locutionis, *stare in arcto*, sensum corruperunt pridem definitum. Intellige igitur *causam* Her-

Digitized by Google

Famamque in arcto stare et ancipiti scias :
Aut vivis, aut occidis. Hanc animam levem,
Fessamque senio, nec minus quassam malis,
In ore primo teneo.... Tam tarde patri 1310

culis (id est, quæstionem de qua decreturus est, nempe utrum vivere an mori expediat) jam in hoc discrimen adduci et quasi in his *angustiis stare*, ut si Hercules mori statuerit, genitorem suum occidat. Quod de *causa*, idem et de *fama* Herculis dicitur : nam ea quoque in hoc periculo versatur, ut inhonestum et infame habeatur, si Hercules Amphitryonem, quum servare posset, nece sua ultro atque volens perimat.

1307. *Ancipiti*. Ut *in arcto*, sic *in ancipiti* res est, cujus exitus intra limites angustissimis continetur. Hoc vero superaddit *ancipiti*, quod non tantum in angusto rem esse indicet, sed duas solummodo esse rationes quibus ea se expedire queat: *anceps* enim hinc ab ἄμφω, illinc a *caput*, aut, sicut Festo placuit, a *capio*, derivatur; unde vox illa proprie attribuitur *dilemmati*, i. e. argumentationi, cujus partes ita disponuntur, ut qui alteram effugerit, in alteram incurrat. Consonant cum hac interpretatione sequentia, *aut vivis, aut occidis*.

1308. *Aut occidis*. Patrem tuum. — *Levem*. Infirmam et caducam. « Vitam hanc invalidam, ait Amphitryo, fessam senio, fessam malis, abrumpere malo, quam ultra, te mortuo, producere. » Vid. not. seq. de voce *teneo*.

1310. *In ore primo teneo*. Jam ad efflandam ultro animam sum paratus. Seneca, Quæst. Nat. præf. lib. III : *Quid est præcipuum? in primis labris animam habere*. Et Epist. 30: *Non dubitare autem se, quin senilis anima in primis labris esset*. Hanc *errantis in summis labris et primo ore animæ* imaginem, sæpe numero adhibuerunt quacunque lingua poetæ, ut instantem mortem et suprema vivendi tempora exprimerent. Sic Virg. Æn. IV, 684 : « Extremus si quis super halitus errat, Ore legam. » *Racine* in Phædr. act. III, scen. 1 :

Toi-même, rappelant ma force défaillante,
Et mon âme déja sur mes lèvres errante, etc.

Nota in Nostr. *teneo*, quod a plerisque male expensum legitimam sententiarum seriem vitiavit. Sic enim interpretati sunt, quasi diceret Poeta : « Hæc anima fessa senio et malis, in eo est, ut me fugiat et fractum corpus destituat » ; quod et cum præcedentibus, *aut vivis, aut occidis*, et cum sequentibus, *Tam tarde*, etc. male cohæreret. Ad aliam interpretationem confugiendum, quæ tota ex solito vocabuli *teneo* sensu petetur ; « Si necem tibi consciveris, ait Amphitryo, et ipsum me occides; mori enim, te moriente, mihi certum et destinatum est : animam jam paratam *teneo*, quam, ubi te ipsum enecaveris, expellam projiciamque; melius enim mihi videtur ætatem senilem et confectam malis abrumpere, quam, te occiso, superesse. » — *Tam tarde*, etc. Postquam adhibuit Amphitryon quidquid, ad

Digitized by Google

Vitam dat aliquis? Non feram ulterius moram;
Letale ferro pectus impresso induam:
Hic, hic jacebit Herculis sani scelus.
HERC. Jam parce, genitor, parce; jam revoca manum.
Succumbe, virtus, perfer imperium patris. 1315

movendum filium, præsentissimum acerrimumque judicavit, tacente nihilominus Hercule: Nemone unquam, exclamat indignans, patris precibus vitam poscentis tam segniter obtemperavit?

1312. *Letale ... pectus.* Nova est et insolens vocabuli *letalis* usurpatio, tali *substantivo* adjuncti: nam hoc tantum *letale* dicitur, quod letum infert, aut minatur, non id autem cui letum imminet. Attamen nihil in MSS. meis reperio, quod pro hac a Fabricio et Grutero atque a cæteris post illos recepta lectione substituere ausim. Vid. quæ in Animadv. exposuimus. Si qua possit locutionis tam inusitatæ proponi defensio, ex sequentibus petatur. 1° Quum sensu ferme paria sint, præsertim in poetis, bina vocabula *mors et letum*, analogia ducimur ad eamdem propemodum significationem binis hinc deductis nominibus attribuendam; ita ut *letale* non secus sonare ac *mortale*, *morti obnoxium et proximum* credamus, et passivo potius quam activo modo esse adhibendum. 2° *Letale* adverbialiter non semel acceptum est, ut in Stat. Silv. l. IV, 4, v. 84, «Necdum *letale* minari Cessat apex»; et Theb. XII, 760: «Jam *letale* furens.... ». *Letale.* In versu Senecæ sic habitum, ad *pectus* jam non respiceret, sed verbum *induam* muniret et definiret, hoc fere modo, *pectus ita ferro induam, ut letum statim meum consequatur.* 3° Per hypallagen forsan dicitur *induam ferro letale pectus* pro *induam pectus letali ferro.* Sic Virg. Æn. III, 61, *dare classibus austros* pro *dare classes austris.* Id. Æn. VI, 268, *ibant obscuri sola sub nocte* pro *ibant soli obscura sub nocte;* idemque Æn. VIII, 542, *Herculeis sopitas ignibus aras* pro *ignes sopitos in Herculeis aris.* Cic. pro Marcello, cap. 6, *gladium vagina vacuum* pro *nudum vacuata vagina gladium;* etc. etc. — *Induam.* De *induere pectus gladio*, cf. sup. not. ad vers. 1028.

1313. *Jacebit... scelus.* Recte Badenius: «Frustra est N. Heinsius, qui reponit: *Hic, hic placebit.* Nam scelus Herculis dicitur, qui per scelus ab Hercule occisus est. Sic Liv. III, 19, *divinis humanisque obruti sceleribus;* et IV, 32, *scelus legatorum, contra jus gentium interfectorum.* Lucan. II, 266: «Quis nolet ab isto Ense mori, quamvis alieno vulnere labens, Et scelus esse tuum?» Id. VIII, 550: «Meruit tam claro nomine Magnus Cæsaris esse nefas.» Plura vide apud Obrechtum ad Dict. Cretens. I, 5.» — *Sani.* Furore amens cælitus immisso, Hercules suos, nullo suo scelere, trucidavit; nunc autem sanus et conscius sui, genitorem nequaquam excusanda sævitia opprimet.

1314. *Manum.* Ad id paratam, ut arundinem in pectus adigat.

1315. *Succumbe, virtus.* Hic vir-

Digitized by Google

Eat ad labores hic quoque Herculeos labor;
Vivamus ; artus alleva afflictos solo,
Theseu, parentis; dextra contactus pios
Scelerata refugit. AMPH. Hanc manum amplector libens:
Hac nixus ibo, pectori hanc ægro admovens 1320
Pellam dolores. HERC. Quem locum profugus petam?
Ubi me recondam? quave tellure obruam?
Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Persica
Violentus unda Tigris, aut Rhenus ferox,

tutem pro justitia dici opinatur Farnabius, quod non libenter credam : non enim Herculem, vel ægre patri cedentem, hæc sententia deceat, scilicet virtutem justitiamque suam obsequio erga genitorem violari. Intellige potius hunc impetum animi quo Hercules ad arcessendam sibi necem impellitur, et cui imperare vimque, ut ita dicam, facere cogitur, genitoris placandi causa. Quoniam illum superare et vincere magnanimo fortique viro operosum est, vult Hercules ea victoria inter labores suos numeretur.

1317. *Vivamus.* De Hercule solo, non de Amphitryone et Hercule, ut placuit Farnabio, dictum : nam præcedentia, *succumbe*, *virtus*, etc. continuantur hoc verbo et concludunt. Conf. Euripid. Herc. fur. 1351.—*Afflictos solo.* Seu corporis animique senilis vires defecerint, tot variis et iisdem acerrimis affectibus, tum in primis illo indignationis impetu, attritæ ; seu Amphitryon, dum se violentas sibi manus allaturum minitaretur, ultro sese humi afflixerit, ut filium efficacius permoveret.

1318. *Dextra*, etc. Nolo enim nefariæ dexteræ meæ contactu pium corpus polluere. Vid. sup. v. 1193, et conf. Euripid. Hercul. fur. 1162, 1219.

1321. *Quem locum*, etc. Vid. sup. v. 1241. Conf. Euripid. Herc. fur. 1281 et seqq. Add. Soph. in Ajace flagell. 473 et sqq.

1323. *Quis Tanais.* Hanc loquendi formam jam antea notavimus v. 1161 : «Quis Lycus regnum obtinet? » Tanais fluvius est Sarmatiæ, qui Europam Asiamque disterminat, et in paludem Mæotin labitur; de quo vid. Plinius, lib. IV, 12, et lib. VI, 7; Pomp. Mel. I, 1 et 19.—*Nilus.* Plin. V, 9, XVIII, 18; Sen. Quæst. natur. IV, 2; Lucan. X, 199 et sqq. — *Persica.* Tigris in Persicum sinum labitur, non ita procul a Perside. Pomp. Mel. III, 8 : *Tigris Persidi propior.... ut natus est, ita descendens usque in litora.* Lucan. III, 256 : «Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus Euphrates, quos non diversis fontibus edit Persis. » Adde hos Neronis Imperatoris versus, quos Opsopæus se in scholiaste quodam Lucani legisse refert : « Quique pererratam subductus Persida Tigris Deserit, et longo terrarum tractus hiatu, Reddit quæsitas jam non quærentibus undas. »

1324. *Tigris.* Tigris flumen ex

Digitized by Google

Tagusve Ibera turbidus gaza fluens, 1325
Abluere dextram poterit? Arctoum licet
Mæotis in me gelida transfundat mare,
Et tota Tethys per meas currat manus,

Armeniæ montibus oritur, atque in Persicum sinum influit. Dicitur *Tigris* propter undarum rapiditatem; Medorum enim et Armeniorum lingua sagittam *tigris* significat. Varro lib. IV, 20 : *Tigris, qui est ut leo, qui vivus capi adhuc non potuit; vocabulum e lingua Armenia : nam ibi et sagitta, et quod vehementissimum flumen, dicitur Tigris.* Plin. VI, 27 : *A celeritate Tigris incipit vocari : ità appellant Medi sagittam.* — *Rhenus ferox.* Fluvius Germaniæ, pleno et tanquam superbo cursu fluens. Seneca, quæst. nat. III, 27 : *Per campestria fluens Rhenus, ne spatio quidem languidus, sed latissime velut per angustum aquas implet.*

1325. *Tagusve Ibera*, etc. Fluvius Hispaniæ, famosissimus apud Veteres quod aureas arenas volvere dicebatur. Vid. Plin. IV, 21. Ovid. Metam. II, 251; Amor. I, xv, 34. Lucan. VII, 755. Mart. I, 50, et X, 96. Stat. Silv. I, 2, v. 127. Sil. I, 155; II, 404. Cf. et Nostr. Herc. Œt. 625. — Vix operæ pretium esse puto annotare quam frigeat illa fluminum, non dicam solum memoratio, sed et descriptio : quid enim ad rem interest, si Rhenus ferox sit, si Tigris unda violentus currat, et præsertim si Tagus Ibera gaza turbidus fluere dicatur? Adde quod dolentem luctuque perditum minus deceat fucatus iste nitor et compositus sonantium verborum apparatus.

1326. *Abluere.* Purgare. Qui cæde, adulterio, aut inviso quovis scelere sese contaminaverat, templorum aditu et hominum societate prohibebatur, nisi manus corpusque puro et vivo flumine lustravisset. Vid. Sophocl. Ajace flagell. 664, et scholiast. Sophoclis in Ajac. v. 666. Victores etiam (vid. supr. 918) et pontifices ipsos (vid. Euripid. in Ion. 94 et sqq.), sacra attrectare nefas erat, priusquam manus flumineis aquis abluissent. — *Arctoum mare.* Ad septemtrionem positum.

1327. *Mæotis.* Mæotis est sinus maris supra Pontum Euxinum, plerumque *Mæotis palus* nuncupata, quia pluribus in locis vadosa est. Vid. Plin. IV, 12; Manil. IV, 614. —*Mare.* H. e. suos fluctus. Vid. sup. not. de *amne*, v. 683. Virg. Æn. X, 377 : « Ecce maris magno claudit nos objice pontus. » Plin. XIV, 7 : *Nunc gratia ante omnia est Clazomenio* (vino), *postquam parcius mari condiunt.*

1328. *Tota Tethys.* Pro totum mare. Conf. Virg. Bucol. IV, 32. Mart. X, 30. Claudian. de Raptu Proserp. I, 148, etc. — Similiter omnino in Anglicorum poetarum principe, *Shakspeare*, sanguineam dextræ labem omnibus Neptuni aquis dilui posse negat *Macbeth* (act. II, scen. 2); quod Gallicus vates, *Ducis*, Britannicæ tragœdiæ imitator, ad aliam personam transtulit, nempe ad uxorem, *Frédégonde*, mutata quidem, sed non mi-

Digitized by Google

Hærebit altum facinus. In quas impius
Terras recedes? Ortum, an Occasum petes? 1330
Ubique notus perdidi exsilio locum.
Me refugit orbis : astra transversos agunt
Obliqua cursus : ipse Titan Cerberum
Meliore vultu vidit. O fidum caput,
Theseu, latebram quære longinquam, abditam; 1335
Quoniamque semper sceleris alieni arbiter
Amas nocentes, gratiam meritis refer
Vicemque nostris : redde me infernis, precor,

nus accommodata ad terrorem sententiæ forma :

.....Ce sang ne s'effacera pas!
O Dieux!.. Disparais donc, misérable vestige!
.....Disparais donc, te dis-je!..
Jamais! jamais! jamais!

1329. *Altum.* H. e. alte impressum. — *In quas impius*, etc. Hæc ad se ipsum Hercules. Vid. in Sophocl. Ajace flagell. 404 et sqq.

1331. *Perdidi exsilio locum.* Locus ne mihi quidem superest, quo exsulare possim, adeo nomen meum innotuit! *Racine*, in Phædr. act. V, scen. 7 :

Confus, persécuté d'un mortel souvenir,
De l'univers entier je voudrais me bannir.
Tout semble s'élever contre mon injustice;
L'éclat de mon nom même augmente mon supplice:
Moins connu des mortels, je me cacherais mieux.

1332. *Astra transversos*, etc. Fingit Hercules, amens luctu, et exaggerandi, ut pœnitentes solent, sceleris causa, astra ab auctore tantæ cædis abhorrere, nec solito limite decurrere, sed transverso et obliquo cursu ferri. Sic in Thyestæa cœna sol retro fugisse dicitur. Vide in Thyeste, Chorum, v. 789 et sqq.

1333. *Ipse Titan*, etc. Sol minus conspectum Cerberi horruit, quam meum nunc expavescit.

1334. *O fidum caput.* Cf. sup. v. 1177. Justin. XVIII, 7, *nefandissimum caput;* Virg. Æn. IV, 354, *carum;* Terent. Andr. II, 2, 34, *ridiculum;* id. Adelph. II, 3, 8, *festivum;* Nost. Med. 465, *ingratum.*

1336. *Quoniamque*, etc. Theseus jam Pirithoum ad inferos comitatus erat, rapiendæ Proserpinæ adjutor. Vid. sup. not. ad vers. 806. Inde *arbiter* alieni sceleris vocatur, i. e. testis et conscius. Auct. ad Herenn. II, 4 : *Spes celandi quæ fuerit, quæritur ex consciis, arbitris, adjutoribus*, etc. Inde et dicitur Theseus *amare nocentes.*

1337. *Gratiam meritis*, etc. Si non oblitus es vincula tua a me rupta (vid. sup. vers. 806), hoc unum a te grati animi signum et pignus peto, ut me ad inferos reducas.

1338. *Vicem.* Usitatissima est in scriptoribus latinis hæc locutio *vicem referre* pro *par pari referre.* Ovid. Amor. I, eleg. 6, v. 23 : « Redde vicem meritis. » Idem, de Art. Am. v. 370 : « Non poteris ipse referre vicem. » Plin. in Pan. c. 85 : *Neque*

Digitized by Google

Umbris reductum, meque subjectum tuis
Restitue vinclis : ille me abscondet locus.... 1340
Sed et ille novit. THES. Nostra te tellus manet.
Illic solutam cæde Gradivus manum
Restituit armis : illa te, Alcida, vocat,
Facere innocentes terra quæ superos solet.

est ullus affectus tam erectus et liber et dominationis impatiens, nec qui magis vices exigat. Tacit. Hist. IV. 3: *Tanto proclivius est injuriæ quam beneficio vicem exsolvere.*

1339. *Meque subjectum tuis*, etc. Me substitue in locum, quem in inferis tenebas; transfer in me vincula quibus te liberavi.

1340. *Ille me abscondet*, etc. Sperat se latiturum in inferis; sed continuo meminit famam suam huc quoque pervenisse. Non dissimiliter apud nostrum *Racine* in Phædræ act. IV, scen. 6 :

Où me cacher? fuyons dans la nuit infernale....
Mais que dis-je? mon père y tient l'urne fatale.

1341. *Nostra ... tellus.* Athenæ.

1342. *Illic solutam*, etc. Halirrothius, Neptuno et Euryte genitus, quum Alcippen stupro violare pararet, a Marte, patre ejus, interfectus fuit. Propter quod Mars ad Areopagum a Neptuno citatus, duodecim deorum sententiis absolutus est. Vid. Pausan. in Attic. I, 21 et 28. Apollod. III, 14. Eurip. Elect. 1260, et Iphig. in Taur. 945. — *Solutam cæde.* Infamia et accusatione cædis liberatam. Horat. epod. XVII, 45 : « Et tu (potes nam) solve me dementia. » Ovid. Fast. II, 39 : « Actoridem Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci Cæde per Æmonias solvit Acastus aquas. » — *Gradivus.* Mars. Vid. Serv. ad Æneid. I, 296, et III, 35.

1343. *Restituit armis.* Id est, in jus arma ferendi, scelere ademptum, restituit : sic et sua Hercules arma, cæde natorum inquinata, sed Athenis lustrata et expiata, rursus gestare sine dedecore poterit.

1344. *Facere innocentes sup.* etc. Respicit fabulam Martis ab Areopagitis Atheniensibus de Halirrothii cæde purgati. Secutus est Seneca Græcos poetas, qui, ut patriæ suæ blandirentur, sanguine pollutas manus Athenis cælestis cujusdam indulgentiæ beneficio purgari sæpe in tragœdiis jactitaverunt. Sic Sophocles, in Œdip. Colon. 251 : « Τάς γ' Ἀθήνας φασὶ θεοσεβεστάτας Εἶναι, μόνας δὲ τὸν κακούμενον ξένον Σώζειν οἵας τε, καὶ μόνας ἀρκεῖν ἔχειν. » Confer præsertim Æschylum, qui in Eumenidum tragœdia Apollinem inducit Oresti suadentem, a Furiis exagitato, ut Athenas confugiat, in hac urbe diis gratissima malorum finem tandem inventurus. Vid. Εὐμενίδ. v. 79 et seqq., et quæ de Areopago in eadem tragœdia, v. 689 et seqq. magnifice prædicantur.

Digitized by Google

NOVAE DE VARIETATE LECTIONUM IN HERCULEM FURENTEM ANIMADVERSIONES.

Quæ mihi ad hanc primam Senecæ emendandam tragœdiam præsto fuerunt auxilia, jam in *præfatione* fusius descripta, breviter et summatim recensebo :

1° Universi Bibliothecæ Parisinæ, quæ *Regia* dicitur, manu scripti tragœdiarum codices, nondum collati : viceni sunt, si ei tantum adnumerentur, qui *Herculem furentem* exhibent, scilicet, n° 6395 (numero enim quisque suo signatur), 8024, 8025, 8026, 8027, 8028, 8029, 8030, 8031, 8032, 8033, 8034, 8035, 8036, 8037, 8055, 8260, 8261, 8262, 8264.

2° Caroli Fernandi editio primaria, Parisiis, sine anno. In-4°.
3° Editio Laz. Isoardi *de Savigliano*, Venet. 1492. In-fol.
4° — Ægidii Maseriensis, Paris. 1511. In-4°.
5° — Bened. Philologi, Florent. 1514. In-12.
6° — Ascensii, Paris. 1514. In-fol.
7° — Avantii, Venet. 1517. In-12.
8° — Bernard. de *Vianis*, Venet. 1522. In-fol.
9° — Henr. Petri, Basil. 1541. In-8°.
10° — Seb. Gryphii, Lugdun. 1541. In-12.
11° — Georg. Fabricii, Lipsiæ, 1566. In-12.
12° — Ant. Delrionis, Antverpiæ, 1576. In-4°.
13° Animadversiones Lipsii, Lugdun. Batav. 1588.
14° Notæ F. Raphelengii, Lugdun. Batav. 1588.
15° Editio Commelini, Heidelberg. 1589. In-8°.
16° — Delrionis, Antverp. 1594. In-4°.
17° — Gruteri, Heidelberg. 1604. In-8°.
18° — Dan. Heinsii, Lugdun. Bat. 1611. In-12.

Digitized by Google

19° Animadversiones J. J. Scaligeri, D. Heinsii editioni attextæ.
20° Editio Raphelengii, 1619. In-12.
21° — Scriverii, Lugd. Bat. 1621. In-8°.
22° Animadversiones Jo. J. Pontani, Scriverii editioni adjunctæ.
23° Editio Farnabii, Londini, 1624. In-12.
24° — Thysii, Lugd. Bat. 1651. In-8°.
25° — Jo. Frid. Gronovii, Amstelod. 1662. In-8°.
26° — Jac. Gronovii, Amstel. 1682. In-8°.
27° — J. C. Schrœderi, Delphis, 1728. In-4°.
28° — Bipontina, 1785. In-8°.
29° Specimen novæ recensionis a Torkillo *Baden* editum, Kilonii, 1798.
30° Editio Friderici Henrici *Bothe*, Lipsiæ, 1819. In-8°.
31° — Torkilli *Baden*, Lipsiæ, 1821. In-8°.

Sequuntur nostræ in Herculis furentis contextum Animadversiones.

Nota. Quum *Gronovii* et *Heinsii* nomina sine prænominibus occurrent, memento de *Jo. Frid. Gronovio* et de *Daniele Heinsio* dici, ne alterum cum *Jacobo Gronovio*, alterum cum *Nicolao Heinsio*, genitores cum natis, confundas.

7. *Agit.* Refert Delrio in uno codice antiquo legi *vehit.*

8. *Laxatur dies.* In Paris. Biblioth. reg. codice, n° 8055, *lassatur;* et idem in margine editionis Gryphianæ et Petrinæ notatum est; sed quid ad illustrationem sensus, aut dictionis elegantiam? Melius in codice 8027, *laxantur*, quo significatur crescere spatio dies et amplificari; sed repugnat *tepenti.* Vid. sup. pag. 4, notam ad v. 8.

10. *Timendum.* In quibusdam membranis *tremendum* aut *verendum* legi scripsit Delrio.

12. *Fera coma.* Sic omnes veteres editiones, Car. Fernandi, Isoardi, Ægidii Maseriensis, Bened. Philologi, Avantii, Gruteri, qui in octo Biblioth. Palatin. membranis et in vetere Scholiastæ manuscripto hoc ipsum invenit. Primus Lipsius ex Melisseo codice *fera minax hinc terret* exprompsit, unde *ferro minax* odoratus est. Itaque Delrioni placuit *ferro minax* in textum (1594) recipere. At Gronovius, ex Florentino codice, *ferro minaci hinc terret* a prima manu scriptum et prope erasum revocavit; repositum autem ab altera manu *fera coma hinc exterret*, et recentius in margine notatum *ferro minax*, repudiavit. Gronovianæ lectioni Schrœderus et qui secuti sunt adhæsere, non ausi discedere ab optimo codice et ab excellentis viri judicio. *Bothe*, etsi *ferro minaci hinc terret* in textum admittat, *fero acinace hinc exterret* ex conjectura anteponit. Torkillus *Baden*, in novæ recensionis specimine, quod Kilonii (1798) edidit, Gronovium quidem secutus est; sed in commentario, improbata Nic. Heinsii conjectura qui *ferro comanti hinc terret* a Seneca scriptum opinatus est, ipse *læva comes hinc exterret* pro vera et genuina lectione exhibuit. Recurrit autem ad vulgatam, *fera coma*, decretoria

Digitized by Google

editione (1821), quia sæpe apud poetas *coma* pro radiis siderum adhibetur, ut in Nostri Herc. Œt. 727, « Abjectus horret sanguis, et Phœbi coma Tepefactus ardet »; et in Valer. Flacc. II, 42, « Astraque et effusis stellatus crinibus æther ». Badenio assentior, motus tum claritate verborum et elegantia, tum veterum editionum et tot manuscriptorum auctoritate, quibuscum conspirant omnes ad unum Paris. MSS.

13. *Aureas*. Multi recentiores, *aureus*. Restituimus *aureas*, quod, præter omnes MSS. nostros, Fernandi, Isoardi, Ægidii, Ascensii, Philologi, Petri, Commelini, Farnabii et Thysii editiones exhibent. Irrepsit primum *aureus* tacito per Fabricium, quem deinde Raphelengius, Delrio, Scriverius, Gronovius uterque, Botheus et Badenius imitati, et hiscere quidem de veteris ac primariæ lectionis mutatione dignati sunt. Attamen non tantum *aureas* antiquiorum exemplarium consensione defenditur; sed videtur et aptius in poeticum rhythmum cadere, quum raro ineleganterque in poetis latinis epithetum statim post substantivum adjaceat.

19. *Sed vetera querimur*. Hic versus in omnibus MSS. nostris, ut in Florentino, et in Fern. Isoard. Phil. editionibus, sic producitur: « Sed vetera *sero* querimur: una me dira ac fera. » Quem ut ad legitimum spatium justosque numeros redigerent, Fabric. et Commel. *dira ac*, Ægid. Ascens. Petr. Lips. *sero*, deleverunt: his auscultatum est a Scriv. Thys. Gronov. (qui tamen tolli *vetera*, servari *sero*, mallet), et a Schrœd. Both. Baden.

21. *Escendat*. Pro *ascendat*, ut iterum in Phœniss. 112, et in optimæ notæ auctoribus: sed *ascendere* librarii et editores, vel MSS. adversantibus, solent intrudere. Quod autem ad hunc Senecæ locum attinet, in plerisque MSS. Paris. *ascendat*, sicut et in Isoard. et in Ægid. editionibus: contra Florentinus Gronovii, Urbinas Badenii, tum Fern. et Phil. editt. *escendat*.

22. *Teneat Alcmene locum*. Vult Gronov. *torum* pro *locum* scribi, quoniam jam dixit Poeta *locum pellicibus dedi*. Sed, quum duodeviginti versibus alterum ab altero separetur, quis non miretur Gronovii aures ita fastidiosas esse, ut, propter levissimam, et quæ vix excusatione egeat, incuriam, a recepta et omnium tum MSS. tum editt. consensu defensa lectione recedat?

24. *In cujus ortu*. Hoc quatuordecim MSS. Paris., hoc editt. vett. Fern. Isoard. Ægid., hoc et Raphel. et Commel. et Thys. Attamen ex Philologo, quem discessisse primum a vulgata lectione reperimus, Scriv. Gronov. Schrœd. Both. et Bad. *ortus* adoptavere, conveniente et Florentino codice. His adhærerem, si *ortum*, non *ortus*, introduci per aliquot MSS. liceret; sed impedit pluralitas, non satis hoc loco inaffectata, quominus a vetere lectione recedam: pluris *ortum* quam *ortu*, sed pluris *ortu* quam *ortus*, pro latinæ locutionis sinceritate, facio. Quam enim hic accusativo vim et significationem attribuunt, nonnunquam et ablativo inesse multis exemplis confirmatur. Virg. Æn. II, 541: « Talis in hoste fuit Priamo. » Cic. III, epist. 8: ..... *Studia eorum mihi placere, qui in te bene merito*

Digitized by Google

grati essent. Nec omnium recentiorum editt. auctoritate caremus : reposuit *ortu* societas Bipontina in edit. (1785). — *Mundus impendit diem.* Sic maxima pars MSS. et veterum editt. Attamen *impedit* in MSS. biblioth. reg. 8024 et 8262, necnon in Isoard. et Ægid. editt.; sed male. Nonnulli, inter quos Scriverius et Thysius, *impediit.* Servandum *impendit,* quod et plures habent codices fidelioresque et sensus commendat melior. Vid. not. ad vs. 24, p. 7.

27. *Non sic abibunt.* In uno Badenii Varsoviensi codice, *nec sic*, cui Baden. in Specimine (1798) se valde adhærere dicebat. — *Vivaces aget.* Isoard. et Ægid. *Vivacesque aget.* Delrio in quibusdam libris antiquis invenit, *minaces aget.*

30. *Quæ bella?* Sic in plerisque MSS. Paris.; item in Fern. Isoard. Ascens. Philol. Gronovius (1652) edidit *quid,* ut antea ediderant Avant. Scriv. Thys. Sed in hac ipsa editione, adnotat *quæ* ex Florent. suo. Jacob. Gronov. (1692) Florentinam lectionem in textum admisit. Ni sequeretur *quidquid*, forsan *quid bella?* aptius videatur. — *Horridum.* Isoard. *horrendum.*

32. *Dirum.* MSS. Paris. 6395 et 8024, *durum.*

33. *Et crescit.* Reperit Lips. in vetere quodam libro *increscit.* Conjiciebat Delrio *excrescit.* — *Malis.* Frustra MSS. Pariss. 8026, 8028, 8055, 8261, *crescit malum* afferunt : alterum fidelius est et significantius.

36. *Patrem probavi.* In MSS. et vett. editt. *probavit,* quod omnes quoque nostri MSS. Commelinus ex duobus MSS. primus eduxit *probavi,* sed non admisit in textum. Hoc adoptatum a Scaligero, mox in editionem Scriverii fluxit; idemque, sub recentioribus literis in Florent. codice a Gronovio deprehensum, in seqq. omnium editiones receptum est. Schrœderus, etsi nihil in textu Gronoviano mutaverit, testatur tamen in notis se valde antiquæ lectioni *probavit* adhærere; inconsiderate, ut nobis videtur, si ad vim et nervos locutionis attendas. Adde quod in Herc. Œt. aliquid prorsus simile legatur, v. 9 : «Teque testata est meum Patrem noverca.» — *Gloriæ feci locum*, etc. Plerique vett. codices manuscripti aut excusi exhibent «...inde qua lucem premit Aperitque Thetis, qua ferens Titan diem Binos,» etc. Commel. ex MSS. suis, ut *probavi,* sic *gloriæ feci locum; Qua sol relucens quaque reponens diem Binos*, etc. extulit : unde Scaliger, *quaque repromens diem.* Sed, quia unum et idem videbantur *relucens* et *repromens diem*, Scriverius *reponens* præposuit. Mox H. Grotius, *reducens quaque deponens diem;* quod assensu Gronovii confirmatum, quamvis in Florent. codice *reducens quaque reponens diem* legeretur, plerique postea cooptavere. Attamen Schrœderus, veterem lectionem complexus, cætera tanquam per conjecturam innovata repudiat; fastidiosius quidem, quum neque in prisca lectione quidquam sit quod adeo desideretur, neque ita conspirent MSS. in ea stabilienda, ut rejici nefas fuerit. Namque, præter duos Palatinos Commelini et Moguntinum Delrionis, MS. Paris. 8029 pariter habet *Patrem probavit; gloriæ feci locum.* Badenius (1821) *reponens* restituit : cui libenter accedo, quoniam lectio ex MSS. desumpta est, et Grotianæ conjecturæ præstat concinnitate

Digitized by Google

sensus. Si quis metri integritatem violari putet, *repponens* legat, aut meminerit sæpe *re* produci in compositione : sic Ovid. Metam. X, 18, « In quem recidimus quidquid mortale creamur » ; sic Lucret. I, 35, « Rejicit æterno devinctus volnere amoris » ; et I, 228, « Unde animale genus generatim in lumina vitæ Reducit Venus, aut reductum dædala tellus Unde alit? » et III, 69, « Refugisse volunt longe; » sic Virg. Georg. IV, 233, « Oceani spretos pede repulit amnes », etc. Unde Forcellin. in lexic. « In carmine *re* fere corripitur, et, ut producatur, jubent Grammatici sequentem consonantem geminari, ut in *relligio, rettulit, relliquiæ,* aut vocalem ut in *rejicio.* Alii tamen censent, etiam sine illa geminatione, produci posse, quum sit monosyllaba; Brouckus. ad Propert. IV, eleg. 8, v. 44; Taubman. ad Plaut. Pers. act. IV, scen. 6, v. 3; Pier. ad Æn. I, 34; Gifan. in ind. Lucret. Scalig. Heins. Vossius, quos secutus collegit Drakenborch. ad Sil. I, 309; quæ magna rei literariæ nomina satis cuique hac in re fidem faciunt. »

38. *Tingit.* In tribus MSS. Paris. 8024, 8029, 8055, *tangit,* quod et Scaligero primum arrisit. Vulgata efficacior. — *Æthiopas.* Ægid. Isoard. Avant. Commel. *Æthiopes* prætulere ; falso; nomen a Græco sermone ductum, Αἰθίοψ, Græcum accusativum retinuit.

39. *Toto deus.* Putat Nic. Heinsius, a Baden. citatus, rectius fore si *toto decus* scribatur; nondum enim Herculem deum esse. Vid. quæ notavimus p. 8.

43. *Quæ fera.* In omnibus fere MSS. et principe Fern. editione legitur *Quo fera.* Sed MS. 6395 et editt. Isoard. Ægid. Philol. *Quæ fera,* simplicius et aptius. — *Queant.* Isoard. et Ægid. *queunt.*

45. *Quæ timuit.* Lipsius ex judicio tantum suo *domuit* pro *timuit* substituendum pronuntiat. Quorsus? nisi oporteat Herculem ideo timoris expertem fuisse, quod vicerit. Sed in hac ipsa tragœdia, v. 793, *timuit uterque,* i. e. Hercules et Cerberus. Omnes MSS. nostri *quæ timuit et quæ fudit,* excepto uno, qui *et quæ fugit* exhibet.

49. *Perit.* Plerique MSS. Pariss. *petit,* quod et in Philol. et Scriv. reperitur, vano ac prope nullo sensu. Fern. Isoard. Ægid. Ascens. et Fabric. cum MS. 8035, ad vulgatam *perit* firmandam consentiunt. Jubet Botheus excudi *perît,* i. e. *periit,* quod illi videtur sententia requirere. Quanquam autem hujusmodi contractio non semel apud Nostrum occurrit, nonne hoc loco aliquid vividius præsens tempus quam præteritum habet?

52. *Vinctum.* Recepere *victum* Gronov. Bipont. Both. ex nonnullis MSS. et vett. editt. Contra Baden. ex Philologo, Ascensio, Avantio, Fabricio, *vinctum* admisit, primum (1798) in notas, postea (1821) in textum. Huic suffragantur Schrœderi Trajectinus codex et undecim ex Pariss. nostris, et, quod decretorium est, sensus et rerum convenientia: jam enim, v. 48, *victi regis* legimus, nec decet idem illud hoc loco redire, quum, crescente ira, inausum aliquid Juno et incredibilis audaciæ, in majorem invidiam Herculis, excogitare laboret. Venit autem aptissime *oppressum* post *vinctum:* « Cur non Plutonem vinctum catenis trahit, nec vinctum modo, sed oppressum? »

Digitized by Google

53. *Paria sortitum*. Fern. et Isoard. *patria*, typographicæ operæ, ut videtur, vitio.

54. *Ereboque*. MSS. Pariss. 8028 et 8261 habent *Cerbero*, notatum et Gryphio et Petro in textus margine, repertumque in uno MS. a Delrione. Sed, capto Cerbero ductoque per Argolicas urbes (vid. v. 59), non est quod Juno dicat *cur non Cerbero potitur?* — *Et retegit Styga?* Baden. (1798) *en* pro *et* scribi, sicque dispungi locum volebat: «Ereboque capto potitur? en retegit Styga! Patefacta», etc. Ingeniose quidem, si conjectura opus esset. Idem ille in posteriori editione (1821) *et retegit* sic intelligendum contendit, quasi Styx ex obscura illustris fiat et amœnam pro tristi faciem ostendat: quod ita absonum et longe petitum judico, ut, non Schrœderi tantum lucidam interpretationem (vid. p. 10) malim, sed et ipsam Badenii conjecturam.

57. *At ille*. Delrionis Mogunt. *ac ille*.

60. *Labantem*. Consentiunt in hanc lectionem plerique MSS. et vett. editt. Fern. Isoard. Ascens. Fabric. quos secuti sunt Gronov. Both. et Badenius. MSS. nostri 8029 et 8033, necnon Gryph. *labentem*, invalido et enervi sensu. *Labantem* pro turbatum, confusum, ut in Cic. de fin. bon. et mal. III, cap. ultim. *Quid non sic aliud ex alio nectitur, ut non, si unam literam moveris, labent omnia?*

62. *Terna*. Paulo significantius quam *tetra*, quod in plerisque MSS. et in Fern. Isoard. Æg. Philol. et Ascens. reperias. Primus, ut videtur, Avantius *terna* intulit, quod Gryph. Petr. Fabric. Gronov. Both. Bad. (1821) probavere. Sic quoque MS. Paris. 8036.

65. *Præripiet*. Legendum censebat Nic. Heinsius *præripiat*, quod referebat ad præcedentia: sed nulla mutatione opus est.

68. *Robore experto*. Diversissimæ hujus loci lectiones: nam MS. 8036 *expanso*, veteres editt. *expenso*, recentiores *experto*, MSS. 8034 et 8262 *extenso*, quod et in Moguntin. a Delrione inventum est. Omnes ante Lipsium *expenso* securi receperant, nihil notantes, quasi ex MSS. non aliud quidquam posset educi. Primus Lipsius mentionem fecit de vetere lectione *robore experto*, quæ unde emerserit haud satis scio. Paulo post (1594), rursus monuit Delrio esse in quibusdam MSS. *experto*, quod posset recipi; cæterum, sicut Lipsius, *expenso* anteposuit, librato et versato diligenter quantum valeat. Gronovius *experto* primus in textum admisit, quod in Florentino quoque codice invenerat, sensuque grandius judicabat. Gronovium Bipont. Both. et Bad. secuti sunt. Nec tanti est ut reponamus *expenso*, quamvis et sensu vix inferius nobis videatur et plurium auctoritate nitatur; nam præter omnes ante Lipsium editores, recepere ipse Lips. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farnab. Thys.; sic et plerique MSS. nostri. Nihil disserimus de *expanso* et *extenso*, ut indignis.

71. *Molis immensæ*. Lipsius ex libro suo *innisæ*, quod verius judicavit. Raphel. *invisæ*. Præstat vulgata.

72. *Mediusque collo*. Hoc loco *meliusque* fortassis legi posse arbitratur Delrio (1576), quamvis nec mutari quidquam jubeat, nec in textum

Digitized by Google

(1594) *melius* receperit. Confidentior Baden. hanc emendationem, primum (1798) improbatam, recentiori textui suo (1821) intulit, eaque nihil certius affirmavit. Exempla quidem non desunt. Claudian. in præf. lib. II, de raptu Proserp. v. 45 : «Te maximus Atlas Horruit, imposito quum premerere polo. Firmior Herculea mundus cervice pependit.» Id. de laudibus Stilic. I, 143 : «Sic Hercule quondam Sustentante polum, melius librata pependit Machina.» Neque inficior speciosam hanc esse lectionem : sed, quia omnes codices et libri ad tuendam vulgatam conspirant, vulgatam retineo, nec improbabilem, nec spernendi sensus. — *Sedit.* Varsoviensis apud Baden. *stetit.*

74. *Quærit.* Monet Delrio scribi *quæret* in nonnullis autographis.

76. *Jam lacera.* Gronov. Both. Bad. *ipsa dilacera;* quam lectionem ex Florent. cod. desumptam sic tuetur Badenius : «Est melius quam quod alias legitur *jam lacera;* nam *dilacerare* feris proprium est; atqui ferarum in vicem ipsa jam succedit Juno.» Quasi *lacerare* minus ferarum sit quam *dilacerare!* Cur autem Baden. voculam *jam* e textu tollit, quum eamdem ad explicandum locum necessariam judicet, adhibeatque, «ferarum in vicem ipsa *jam* succedit Juno»? Plenior est sensus vetere lectione servata : «Herculem ipsa jam lacera, quod nondum fecisti; nam huc usque odia tua Eurystheo mandavisti», etc. Adde quod ea lectio in omnibus MSS. et veteribus editt. reperitur.

77. *Quid tanta mandas.* Lipsio pro *tanta* placet *tacita,* quod sic explicat : «Quid opus clam et per alios nocere, lacessere? Quin palam armor et odium aperio jam ipsa?» Vana et inutilis emendatio ! aptissimum est *tanta;* nam quo majus est odium Junonis, eo magis ad deam attinet rem agere et consultis facta jungere. Rapheleng. conjecturam Lipsii non probavit, et edidit *tanta.* Heinsius, *tarda;* et mox, *discedunt feræ : ipse imperando fessus Eurystheus vacat,* quasi post *quid tanta mandas odia?* non posset dici *Titanas emitte,* quod rursum mandantis est. Sed aliud est Junonem mandare ultionem suam Eurystheo, qui Herculem periculis objiciat, aliud a Junone ipsa Herculem exerceri et in omnia vitæ discrimina immitti.

78. *Imperando.* MS. Paris. 8025, *sperando.*

83. *Sublimis alias.* In nonnullis editt. vett., tum Herbipolensi, ut testatur Delrio, tum Isoardi et Ægidii, quæ mihi ad manum fuere, *altas* legitur. Cæteri aut ex MSS. aut ex Fernando, aut ex Politiano (de quo in not. p. 13), *alias* assumpserunt, quod melius esse nemo negaverit.

84. *Vicit ista.* MS. Paris. 8031, *vicit astra.*

89. *Superbe.* In Etrusco, *superbæ;* quod quum in textum introducere non posset Gronovius, innuit se conjecturæ Nic. Heinsii favere, cui *superbas* placuit. Alii, *supernas.* Tanta est innovandi prurigo! optima est vulgata, atque hanc adeo mutari non necesse est, ut ne defendi quidem opus sit.

90. *Humana,* etc. Ante hunc versum in primis editt. legitur *movenda jam sunt bella; clarescit dies,* quod Lipsius ad vers. 123 compulit (vid. infra, p. 167, quæ ad vers. 123 notavimus). Attamen Commel. et Ra-

Digitized by Google

phelengius, licet hic textum suum ex Animadv. Lipsii ediderit, versusque novam collocationem in notis probaverit, antiquum ordinem servaverunt, et *movenda jam sunt*, etc. post versum 89 interposuerunt. Qui secuti sunt, omnes ad unum non assensere tantum Lipsio, sed textum in sententiam ejus correxere. — *Et manes ferox*. MSS. Pariss. 8028 et 8035, et Isoard. Ægid. Ascens. editt. *feros*. Contra Fern. Philol. Avant. *ferox*, sensu multo melius.

92. *Revocabo, in alta*. MS. Paris. 8030, *Revocabo in altum, conditam* etc. Non ita vitiose; sed nihil muto.

94. *Quam munit*. Ascens. Gryph. Petr. Commel. *qua mugit:* sed Gryph. et Petr. notarunt in margine *quam munit*, quod in Fernando et plerisque MSS. legitur.

96. *Veniat invisum scelus*. Multiplex hujus loci in MSS. nostris lectio, quum alii *veniet invisum, veniet et invisum, veniet vel invisum* habeant; alii, *vel veniet ut et invisum, veniet vel ut et invisum*. MSS. 8035 et 8036, *veniet utinam et invisum*. Unus, 8262, *veniat invisum scelus*, quod in omnes editt. receptum est.

100. *Ardentem incitæ*. Both. maluit *citæ*, quod in Florent. repertum Gronov. in textum non admiserat. Omnes libri et codices, *incitæ;* multo nervosius.

102. *Luctifica*. MS. 8260, *ludifica*.

103. *Vastam*. In uno Palatino, *pastam*, qua lectione *alteri cui juniori salivam moveri* posse affirmat Gruterus : sed quis est, vel primæ juventutis, si judicio omnino non careat, qui hanc lectionem ultra modum poeticæ audaciæ extensam non pronuntiet, et contorsionem quamdam esse dictionis, ne Senecæ quidem imputandam? Nec melius est quod conjecit Heinsius, *ustam*. Vulgata aptissima est, post quam facile subaudiatur *ab*, ut recte adnotat Badenius, *vastam trabem ab incenso rogo eductam*. — *Rogo flagrante*. Avant. et MSS. Paris. 8024, 8029, 8037, 8262, 8264, *flagrantem;* falso.

104. *Violatæ*. In Etrusco *vitiatæ*. Gronov. conjicit *vitatæ;* quorsus? *violatæ* in plerisque MSS. et excusis habetur, et idem ita sensu commodum, ut, si abesset, per conjecturam in textum jure posset induci. Cic. pro Rabir. cap. 2 : *Nisi forte de locis religiosis ac de lucis, quos ab hoc violatos esse dixisti, pluribus verbis tibi respondendum putas*. Id. de Harusp. resp. cap. 5 : *Clodius sacra et religiones negligi, violari, polluí questus est*. Vid. et Cæs. bell. Gall. VI, 31. Lucan. VII, 852.

107. *Animum*. Sic plerique Commelini codices et Moguntin. Delrionis et Ultrajectinus Bothei et novem Badenii MSS. et septemdecim Pariss.; sic Fern. Ægid. Phil. editt. Præferunt *animo* Isoard. Avant. Gryph. Raphel. Gronovius, si pateretur Florentinus, *animum* mallet : « Sic alibi, inquit, *mæsta vultus, membra remissæ, mota caput, Megara parvum comitata gregem :* sic Silio *excussus mentem, mutata mentem*, et similia. » *Animo* tamen in textu suo retinet; quasi unius codicis auctoritas tot librorum et manuscriptorum concordiam, tot virorum excellentium judicium et ipsam dictionis elegantiam vincat! nisi voluerit Gronovius su-

Digitized by Google

perstitionem in nonnullis ultro ostendere, quam in cæteris imitaremur.

108. *Nobis prius.* Ascens. *vobis*, ut MS. Paris. 8028 et alii. Commel. quoque *vobis* ex MSS. suis eduxit: sed vulgatam defendi posse addidit, si versu sequenti *furis* scriberetur, ut in uno MS. legi Delrio (1576) testatus erat; tum certe non male quadraturum *nobis*, hac sententia: «Vis, inquiunt Furiæ, ut prius insaniamus: cur tu, o Juno, cujus causa maxime agitur, nondum furis?» reddi autem postea rationem a Junone, *Me, me, sorores*, etc. Hunc Commelini sensum repudiavere qui secuti sunt, licet vulgatam, multorum tum MSS., tum excusorum auctoritate defensam, retinuerint, et *furis* adoptaverint. *Nobis*, i. e. *mihi prius insaniendum est*, inquit Juno; et seipsam ad iras exstimulans: *Juno, cur nondum furis?*

109. *Juno.* Baden. *imo;* forsan operæ typographicæ vitio. — *Furis.* Fern. Isoard. Ægid. Phil. Ascens. Avant. et plerique nostri codices *furit.* Monuerat quidem Delrio (1576) *furis* in Mogunt. reperiri; sed non admiserat in textum (1594); hæc lectio primum in Scriverio occurrit; quam Farn. Thys. et Gron. arripuerunt. Hæc et nobis placet, ut acrior: adde quod in duobus Paris. 8029 et 8036 legatur.

110. *Me, me*, etc. Heinsius ex codice Villeriano hoc eduxit: *In me, sorores, mente dejectam mea versate primam facem;* et quia «perpetuum erat in isto, ut voces transpositæ essent, a librario videlicet de syllabis securo», Senecam scripsisse conjicit: *In me, sorores, mente dejectam mea, primam facem versate, si quidquam apparo Dignum noverca.* Haud inelegans lectio; sed quia non tale quidquam legitur in cæteris MSS., vulgatæ adhærendum, cæteroquin sensu commodæ.

111. *Quicquam.* MSS. Paris. 8025 et 8262, *quidquid.*

112. *Mutentur.* In MSS. Paris. 8037 et 8261, *mutantur.*

113. *Videat.* MS. 8035 *habeat.*

114. *Manuque.* Ægid. *manusque.*

117. *Heic prosit.* In sex MSS. Paris. et in Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. *hoc;* sed languidum. Falso scripsit Gruterus hactenus publicatos *hoc* habere; namque Ascens. *hic.* Cæteri ex MSS. *heic;* sic quatuor Pariss.

118. *Jove esse genitum.* MS. 8029, *Jove etiam genitum.*

119. *Manum.* Aliquot MSS. Gruteri *manu*, quod jam Lipsius ex Melisseo suo et Delrio ex judicio tantum probaverant, quasi Juno diceret se suapte manu directuram tela Herculis. Gruter. tamen vulgatam retinet, quod *manum dirigere* et *tela dirigere* juxta soleant usurpari. Virg. Æn. VI, 57: «Dardana qui Paridis direxti tela manusque Corpus in Æacidæ.» Gron. repertum in Etrusco *manu* laudavit, sed non recepit in textum: «Nam vulgata, inquit, sensum habet.» Baden. in Specimine (1798) vulgatam quoque servandam censet huncque Senecæ versum, qui sibi faveat, affert, Hero. Œt. v. 313: «Aderit noverca quæ manus nostras regat.» Attamen in edit. (1821) præfert *manu.* Reposui *manum*, quod a Bipont. et Both. receptum optime in interpretationem cadit et exemplis confirmatur. Senecæ Agam. v. 900: «Sic huc et illuc impiam librat ma-

Digitized by Google

num.» Quintil. Declam. I, c. 10 : *Sic ergo librarit manum cæcus, ut ipsam protinus feriret animam.* Plin. XII, 25 : *Incidentis manus libratur artifici temperamento.*

123. *Movenda jam sunt*, etc. Hic versus et qui sequitur occurrunt hoc loco in Melisseo Lipsii, Orteliano Raphelengii, Millangiano Delrii, Florentino Gronovii, et codice Paris. 8264 : sed in cæteris MSS. nostris aut desiderantur aut alio translati sunt; quorum prior in nonnullis post v. 89, in pluribus post v. 82, insertus est; posterior autem nusquam legitur, nisi quod in MSS. 8032 et 8033, cum *Movenda*, etc., versui 82 supponitur. Ad plerorumque MSS. similitudinem, veteres edd. Fern. Isoard. Ægid. Phil. Ascens. Avant. versum 123, abrogato altero, versui 89 subjecerant. Lipsius autem, ut sincerum nativumque sermonis ordinem instauraret, codice suo cæteroquin fretus, versum 123 ad propriam, quam servat adhuc, sedem redegit, et sequentem, quem cæteri omiserant, restituit. Hanc dispositionem probavit Raphelengius et in textu suo adhibuit. Commelinus quidem ad pristinum errorem regressus est : sed omnes alii Lipsium et Raphelengium secuti sunt, moti præsertim manifesta rerum cognatione : nam id fieri nequit, nisi subita et infelici sensus intermissione, ut hos versus medio sermoni interponas; apte autem ad extremum orationis occurrunt, destinato quasi loco, justa dicendi finis, et debitum scenæ complementum.

125. *Jam rara micant.* In tredecim MSS. Paris. incipit chorus a *Turbine*, etc. prioraque omnia a v. 125 ad v. 162 deficiunt, ut et in plerisque codd. qui hactenus ad manum editoribus fuere. Unde nonnullis venit suspicio hanc chori partem falso Senecæ adsignatam; non enim esse grandiloqui et turgentis ut plurimum auctoris ad humilia et minutissima descendere. Quod temere affirmatum censeo : nam 1° si ad eloquium tantummodo attendatur, nihil in hac chori parte occurrit quod Senecæ ingenio repugnare videatur, quum alibi non semel res similiter extendat, amplam levium et mollium imaginum segetem recolligens, vitiosiusque quam hoc loco in aliena et longinqua excurrens : imo quædam sunt quæ alii non facile tribueris, et quæ noto colore Senecam arguant auctorem. 2° Si necessitatem rerum intuearis, plenior videatur chorus hac adjecta parte, quam jure potuisses omissam desiderare. Thebani, capta ex lucis ortu et instauratione laborum occasione, plebeiorum vitam et placida studia, magnatum curas et sollicitudines, describunt, factaque utriusque fortunæ collatione, hanc sibi optatissimam canunt. 3° Nonnulli codices, ut MSS. nostri 8027, 8029, 8030 et 8262 chorum totum et integrum habent; item MS. 8024, quanquam prima pars chori post v. 163, item MSS. 8034 et 8035, quanquam post v. 198, item Moguntinus, quanquam post v. 200 ablegatur, manifesta quidem sinceri ordinis conturbatione : qua de re nihil disputandum esse opinor; nam pars illa chori aut initio aut nusquam convenit, quum explicare videatur et quasi continuare extrema Junonis dicta *clarescit dies*, etc., nec loco moveri possit, quin sensus intercidatur; adeo ut ea in quibusdam membranis dicenti Junoni adsignetur.

Digitized by Google

127. *Contrahit.* MSS. Paris. 8030 et 8036, *abstrahit;* languidius. — *Luce renata.* Fern. Isoard. Ægid. editt. et MSS. nostri 8024 et 8027, *luce novata* : servanda est vulgata, aliis Poetæ exemplis confirmata. Troad. 10 : «Qui renatum primus excipiens diem. » Herc. Œt. 861 : «Renatum prima quæ poscit diem Œta. »

130. *Septem stellis.* MS. Paris. 8029, *s. stellas.* — *Arcades ursæ.* Milangian. et Moguntin. Delr. cum MSS. Paris. 8029, 8030, 8034 et 8035, *Arcados ursæ* præferunt, quod sensu non caret; sed anteponenda est vulgata.

132. *Cæruleis evectus aquis.* Omnes fere editt. *evectus equis;* de quo Gronovius : « In duobus MSS. repertum mihi *aquis,* quod et margini adnotarat Grotius. Et his videtur magis quadrare adjunctum *cæruleis*, quam Phœbi equis. » Primus Both. recepit *aquis.* Mox Baden. (1821) eamdem lectionem admisit, quam exhibent et duo MSS. Parisini 8029 et 8030.

133. *Summum p. Œtam.* Ex MSS. nostris, qui hoc chori initio non carent, quatuor 8024, 8027, 8030, 8262 *summum Œtam* habent, quod et omnes ad unam editt. ante Gronovium. Hic primus ex Etrusco *summa p. Œta* intulit, quæ quidem lectio deinde a Schrœd. Both. et Baden. probata est. Repono antiquam, 1° quod vix in latinum sermonem cadat *prospicit Œta;* requiritur enim *ab Œta,* ut in Virg. Cir. 349 : «Postera lux ubi læta diem mortalibus almum, Et gelido veniens mani quatiebat ab Œta »; et Æn. VI, 357 : «Prospexi Italiam summa sublimis ab unda. »Vid. et Lucan. I, 195; Cæs. de bello Civ. II, 5. 2° Quia nihil aptius et poeticæ orationi congruentius scribi potest, quam si dicatur sol terras *prospicere*, usitatissimo schemate : sic in Nostro, Œdip. v. 4, de *jubare* solis, «*Prospicit* avida peste solatas domos. » Cæterum vid. p. 17, quæ notavimus.

134. *Cadmeis inclyta Bacchis.* Multæ editt. *baccis*, de quo Delr. « Minutiores fructus quilibet : hic opinor de baccis lauri silvestris. » Sed quis ferat *Cadmeis baccis* dici pro *baccis quas fert Thebana tellus?* et *dumeta inclyta baccis Cadmeis*, pro *Thebana dumeta?* et Thebas baccis tantum suis designari? Alteram lectionem, *Bacchis,* longe meliorem nemo non fateatur, sive intelligantur mulieres Thebanæ, quæcumque Bacchanalia celebrabant (vid. quæ notav. p. 17 et 18), sive accipiantur tantum, ut Nic. Heinsio et Badenio placuit, Agave, Ino et Autonoe, filiæ Cadmi, quæ in Cithærone monte Pentheum laceraverunt.

135. *Aspersa.* Fern. Isoard. Ægid. Philol. et MSS. nostri 8030, 8034 et 8035, ut et Mogunt. Delrionis, *aspera :* præstat vulgata.

138. *Agitat curas.* Quidam libri vett. *curis,* teste Delrione; quod et substituendum vulgatæ volebat Nic. Heinsius. Idem *operit domos* pro *aperit domos* legendum putabat; sed, ut hoc languidum et enerve, sic illud contorte et barbare dictum. Servanda est igitur vulgata, MSS. saltem et vett. editt. nixa.

140. *Dimisso.* Fern. Ægid. Delr. et MS. Paris. 8262, *immisso.*

149. *Thracia.* Isoard. *Threicia.* — *Circa.* Ascens. Avant. Gryph. Fabr.

Digitized by Google

Raphel. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. et Gronov. (1662), *circum* : sed in hac ipsa editione Gronovius : «Liber optimus et alii *circa*; quod videntur mutasse ut variarent sonum. »

156. *Spectat*. Malebat Gronov. *sperat* : sed non conjecturis opus est.

161. *Spes et in agris*. Lipsius in Melisseo codice invenerat *spes jam magnis*, omisso versu *Turbine magno spes sollicitæ*; quem tamen servare cupiens, hanc loci dispositionem probat : «...spes jam magnis Urbibus errant trepidique metus, Turbine magno spes sollicitæ » ; additque non indecorum sibi videri tali modo repetitum *spes*. Post eum, Gruterus sic locum ex uno MS. disponebat : «...Linea piscem. Hæc innocuæ Quibus est vitæ tranquilla quies Et læta suo parvoque domus. Spes in magnis, spes sollicitæ Urbibus errant, trepidique metus. » Sed Gronovius merito et Lipsii et Gruteri lectionem amovet : Lipsii, quia *spes* male repetitur, posito *trepidique metus* inter utrumque *spes*; nam sermonis integritas requirat saltem : « Spes jam magnis urbibus errant, turbine magno spes sollicitæ, trepidique metus » ; adde quod *magnis* et *magno* illepide adjaceant : Gruteri, quia, etiamsi codex unus cæteris prævaleat, primus versus non justis numeris absolvitur; nam in *piscem* ultima syllaba elisione absorbetur. Propter hæc Gronovius omittendum censet versum *Turbine magno*, etc., qui in Florent. deficit, sicque locum dispungi jubet : « Parvoque domus. Spes in magnis Urbibus errant trepidique metus. Ille superbos », etc. Baden. in Specim. (1798) conjicit scripsisse poetam : «Hæc innocuæ quibus est vitæ Tranquilla quies, et læta suo Parvoque domus queis in agris.» Id. in edit. (1821), ex conjectura Nic. Heinsii, *res et in agris* anteponit. Both. quidem edit in textu suo *spes et in agris*, sed in notis *pes et in agris* proponit. Oritur tam multiplex lectionum varietas ex eo tantum, quod iteratum *spes* adnotatoribus ita displicuerit, ut locum pro depravato habuerint. Nos autem nec vitium inesse nec invenustam vocis *spes* repetitionem putamus : spes enim modestæ et placidæ, quæ in percipiendis agrorum fructibus reponas, iis comparantur quæ sollicitæ et trepidæ ex mala ambitione et fame divitiarum nascuntur : « Hæ sunt eorum voluptates, qui, parvo contenti, spes non ultra suos agros extendunt. Spes autem longe diversæ in urbibus esse solent, ubi superbos aditus regum », etc. Retineo igitur veterem lectionem, sensu optimam, et tum MSS. Paris. 8036, 8037 et 8055, tum editt. Ascens. Gryph. Raphel. Scriv. Bipont. et ipsius Both. qui illam mutare non ausus est, auctoritate firmatam. Possunt his adjici editt. Fern. Isoard. Ægid. Philologi, in quibus, ut et in MSS. 8262, legitur *spes in agris*, necnon Mogunt. et MSS. nostri 8029, 8030, 8034 et 8035, in quibus *jam spes in agris*, manifesta metri corruptione, sed in qua vera tamen lectio suboleat.

163. *Trepidique*. Refert Delrio in quibusdam veteribus libris legi *timidique*.

166. *Hic*. Fern. Ægid. Philol. et plerique MSS. Paris., ut et omnes Commelini, *ac*; quod totius loci dispositione respuitur : aliud enim est *aditus regum colere*, aliud *opes congerere*. Nota insuper *ille* et *hic* inter se

Digitized by Google

bis opponi; *Ille superbos*, etc., *hic nullo*, etc.; *Illum populi*, etc.; *hic clamosi*, etc. — *Beatas*. Favent huic lectioni decem Pariss. et omnes Commelini et nonnulli Delrionis et complures Gronovii, qui non in textum admissam tamen probat; favent et veteres excusi Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. et dictionis elegantia. Multi *beatus*.

168. *Pauper in auro est*. Plerique MSS. et Isoard. edit. omittunt *est*.

171. *Tollit*. Fern. Ægid. Fabric. et nonnulli MSS. Paris. *volvit*. Codex vero Lipsii, quinque Delrionis, Florent. Gronovii, et Pariss. non pauci, ut et Isoard. Philol. Ascens. Avantius, nec non Gryph. et Petr. (quamquam in margine amborum *volvit* legitur), et reliqui recentiores, *tollit* exhibent. Hanc lectionem firmat Horatii locus, quem respexit Noster, od. lib. I, 1 : «Hunc si *mobilium* turba Quiritium Certat tergeminis *tollere* honoribus.»

180. *Vertitur*. Aliquot MSS., inter quos duo Raphel. et Pariss. 8030, 8034, 8264, *volvitur*. Male : nam propius adjacent *volucri* et *revolvunt*.

183. *Rapidis*. Mogunt, *rabidis*, quod jure damnat Delrio.

188. *Ordine*. Codex Lips. *tempore*.

190. *Nulli scriptum*. Milang. Delrionis, *scripto... Proferre*. MSS. Pariss. 8024, 8026, 8036, *præferre* : haud male. Vid. quæ notavimus p. 23.

192. *Alium multis*, etc. Suspicabatur Heinsius aliquot versus hic deficere. Secus mihi videtur : deflet enim chorus fatum Herculis, qui virtute sua et cupidine gloriæ raptus, inferos ultro penetravit, et addit se obscuritatem tutam laudi anteponere tanto pretio emptæ.

204. *Tardusque senio*. In Ægid. edit. irrepsit *gravi*, hoc modo : «Tardusque gravi senio graditur Alcidæ parens.»

210. *Paratur*. Probat Commelinus MS. Colon. lectionem *paratus*.

211. *Meat*. Raphel. MSS. et Pariss. ad unum omnes, necnon Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Scriv. editt. *exeat*, quod intelligi possit. Sed Avant. et omnes post illum, excepto Scriverio, *meat* ediderunt : hoc ipsum Gronovius in Florent. invenit.

212. *Aut ullum*. MSS. Paris. 6395, 8026 et 8029, *haud ullum*. — *Vacat*. Omnes fere MSS. et editt. *datur*. Gronovius in Florent. reperit *vacat*, nec tamen quidquam mutavit in textu. Baden. in Specimine Florentinam lectionem valde laudat, sed, ut Gronovius, servat priorem. Primus Both. *vacat* textui intulit. Mox Baden. in edit. (1821) idem recepit. Etrusco accedit MS. 8260 : cæteroquin *vacat* multo elegantius est et significantius : dolet Megara quod conjugi suo nullum concedatur tempus laboribus et ærumnis *vacuum*.

213. *A primo*. Vett. editt. Fern. Isoard. Ægid. Phil. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. et duodecim Pariss. MSS. *apprime*, quod non sensu careat. Primus Lipsius legendum censuit *a primo*, h. e. ab ipsis vitæ primordiis, quod ei confirmari videtur sequentibus *numquid immunis*, etc. Commelin. reposuit *apprime*, notans tres MSS. exhibere *apprima*, seu *ad prima*, quod explicat, *præcipue*, Græco more, ἐπὶ τὰ πρῶτα (tres quoque Paris. nostri 8026, 8027, 8037, *apprima*). Delrio *apprime* in textu (1594) retinuit; sed *ad prima*, quod suppeditat Milangianus, veram lectionem pu-

Digitized by Google

tat. Heinsius vero ad Lipsii *a primo* regreditur, quod laudat, *statim a primo* idem esse adnotans ac Græcum illud εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς. Gronov. in Etrusco invenit *aprime*, quod ei videtur Lipsii *a primo* confirmare. Baden. in duobus quoque MSS. *aprime*, et in Varsoviensi *a primo* legi affirmat. Servamus igitur *a primo*, licet *apprime* multis auctoritatibus defendatur, inter quas et Florentinum numeramus, quamvis Gronovius inventum in eo *aprime* Lipsio et Heinsio favere contenderit.

219. *Remisso lumine.* Omnes Commelini MSS., nonnulli Delrionis, quatuordecim Pariss. et vett. editt. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. *remisso pectore ac placido intuens.* Lipsius e Melisseo suo eduxit *lumine;* sed quam leviter et inconsulte, ut cæterorum librorum *pectore* damnet, interrogat « an quispiam pectore intuetur »! Etenim nemo non videt *placido pectore intueri* poni posse pro *placidus intueri.* Commelinus ex MSS. suis reposuit *pectore*, neque aliter Delrio et Gruterus. Heinsius contra Lipsium secutus est. Scriv. Farn. Thys. *pectore* reddunt. Gronov. in Florent. *vultu*, sed non prima manu scriptum, invenit; quod quum respuat metrum, suspicatur in aliis libris substitutum fuisse *pectore* ex Phœniss. 187, «Remisso *pectore* ac placido feras». Lipsianam igitur lectionem adoptat, quam in Florentino, ipsis erasæ scripturæ vestigiis, satis prodi affirmat. Prævaluit eadem apud recentiores, confirmaturque Paris. MS. 8260. Alius, 8024, *placito* pro *placido.* Alius, 8028, *remisso vultu ac placido intuens*, ut in Florent. a secunda manu. Quatuor, 8032, 8033, 8055, 8261, versum producunt hoc modo, « Remisso pectore, vultu ac placido intuens »; quod in nonnullis Delrio, et in uno suorum Commelinus, legi scribunt. Denique unus Christinæ apud Badenium, eodem vitio : « Vultu remisso, pectore ac placido intuens. »

222. *Prolusit.* Sic Philol. Ascens. Avant. Commel. Scriv. et nonnulli MSS. Plerique autem Pariss. et editt. Fern. Isoard. Ægid. Fabric. Raphel. Delr. Grut. Heins. *prælusit.* Gronovius *prolusit* exhibet ex Florentino, qui dat idem in Troad. 179; Hipp. 1057, et Med. 905.— *Hydræ.* Commelino, quum in MSS. omnibus *idræ* occurreret, venit suspicio legi posse *iræ*, ut in Hipp. 1061 : quæ conjectura tam per se absona est, ut ne ulla quidem disputatione ad refellendam opus sit.

225. *Gemuit lacertis pressus.* Both. et Bad. ex Florent. reposuerunt *Pressus lacertis gemuit*, « elegantiori verborum ordine », ait Bad., quod mihi non ita manifestum est, ut quidquam mutare velim.

229. *Arcadia.* MSS. et excusi nonnulli *Arcadica.* Vulgata et usu et sono prævalet.

232. *Tartessii.* Ex MSS. alii *Carchesii*, alii *Carthesii*, quod interpretes, ait Delrio, a Carteia deducunt : eadem quidem Carteia et Tartessus (vid. p. 28, quæ notav. ad vers. 232), sed a Tartesso melius derivatur *Tartessius*, quam *Cartesius* a Carteia. Conjiciebat Nic. Heins. ad Ovid. Metam. XIV, 416, *Carpesii;* scilicet Carpesiorum gentem et Gallum nobilem, Carpesiorum ducem, in Hispania memorat Liv. XXIII, 26. Conjecturæ omnes ablegandæ sunt, et retinendum *Tartessii*, quod multi MSS. et Fern. edit. exhibent.

Digitized by Google

233. *Peremptus : acta*, etc. Nonnulli putaverunt *præda* ad *pastor triformis* referendum, quasi diceretur Geryonem *prædam agi, haberi pro præda;* unde hæc facta est loci dispositio : «Pastor triformis litoris Tartessii, acta est præda ab occasu ultimo.» Sed locus sic intelligi non potest, ut recte notavit Baden. in Specimine, nisi *actus est* pro *acta est* substituatur : adde quod Geryon non *actus* sit præda, quippe qui ipso in loco ab Hercule fuerit *peremptus :* interpretare igitur boves Geryonis ab Hispania in Bœotiam, ipso oppresso, abductas.

238. *Latam ruenti,* etc. Plerique MSS. *etiam* aut *et jam :* vett. quoque editt. Fern. et Isoard. *et jam.* At si hanc lectionem probaveris, *abrupto objice* ad præcedentia relegandum est, quod male quadret cum illis; melius enim dicas «montibus utrinque solutis, abrupit objicem», quam «montes utrinque solvit, abrupto objice»; nullus enim obex præter montes. Itaque auscultandum censemus Lipsio et Gronovio, qui ex MSS. suis *latam* legunt.

242. *Non igne.* Nonnulli MSS., in quibus Mogunt. Delr. et Pariss. 8026, 8035, 8055, 8261, *num igne;* melius 8036, *nonne igne.*

243. *Obductis.* Emendat Nic. Heinsius *obductum;* quorsus?

248. *Stabuli.* Botheus, ut duorum genitivorum concursum emendet, *stabulis,* in textum intrudit : sed quis ferat hanc locutionem, «Turpis Augiæ labor non manus Herculis stabulis fugavit»? — *Augiæ.* Plerique MSS. *Augei,* unde dubitare cœpit Gronovius, annon scripserit auctor *Elei.* Nonnulli, ut manuscriptis satisfacerent et simul duplicem genitivo casu substantivum tollerent, *Augei* pro adjectivo accipiendum opinati sunt. Baden. contra, pro substantivo haberi maluit; «frequentissimum enim esse duorum genitivorum concursum, ut, præter alios, ostendere Perizonius ad Sanct. II, 3, 15, et Burmannus ad Lucan. IX, 18». Nos vero *Augei* nec pro adjectivo nec pro substantivo usurpari posse censemus: nulla est hujus vocabuli in Forcell. lexic. mentio, nec patitur nota lex derivationis aliam vocem ab Αὐγεῖας deduci, quam *Augias* aut *Augeas.* Itaque *Augiæ* repono, quod exhibent Isoard. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. Gronov. Bipont. Both. editt., et MS. Paris. 8062.

256. *Ipsamque.* Isoard. Asc. Avant. *ipsumque*, quod sensu non careat.

259. *Quem d. tremis?* Omnes editt. ante Gronovium, *tremit?* Florent. et Paris. 6395, *tremis;* quod, ut acrius et elegantius, anteponendum.

268. *Civitasque Amphionis.* MSS. omnes et vett. editt. Fabric. Raphel. Delr. Grut. Heins., *atque Ophionius cinis;* Fern. et Isoard. *atque Ophionius civis;* Avant. Petr. Gryph. Commelin. *civis atque Ophionius;* quæ universæ lectiones nec ad sensum validæ nec ad integritatem metri aptæ videntur. Heinsius *civitasque Amphionis* in notis suis proposuit, quod Scriv. Gronov. Bipont. Bad. et Both. arripuerunt. Hanc emendationem veram et legitimam esse sic approbat Botheus : «Nescio in quibus aliis codd. vel scriptis vel impressis *civis atque Amphionis* legi dicat Dan. Heinsius; sed ita certe editio Ascensiana. Gruterus infra ad v. 664 : «*Notum*, inquit, *quam sint figura similes literæ* s *et* t *utique scriptura Longobardica.* Vel igitur

Digitized by Google

hæc similitudo ansam corruptionis præbuerit, vel exaratum fuerit scriptura continua *civisatque* pro *civitasque*, *t* et *s* literis forte inter se commutatis, quo modo *tandem* pro *dantem* Thyest. 416 in vett. edd., *telum* pro *letum* Herc. OEt. 976. » Heinsii codicibus, qui *civis atque Amphionis* habebant, possunt adjungi Pariss. 6395, qui *atque Amphionis cinis*, 8024, qui *atque Amphionis cives*, 8029, qui *atque Amphionis, cinis* præbent.

269. *Quo recidistis?* Sic Pariss. sexdecim, sic edd. vett. Fern. Isoard. Petr. Fabric. Delr. Grut.; nec sensu melius quidquam potest excogitari; repudianda igitur altera lectio *decidistis*, quæ in Ægid. Ascens. Gryph. Raphel. Heins. Scriv. occurrit, quamque Gronovius in Florent. a manu prima scriptam (nam secunda *recidistis* reddidit) eo tantum prætulit, quod in optimo codice reperiret.

272. *Confringit.* Universi nostri MSS. et edd. vett. ante Gronovium *confregit.* Gronovius *confringit* ex Etrusco eduxit, quod et omnes ab illo editores adoptavere. Consentit Ottobon. Badenii cum Etrusco.

273. *Fertque quæ.* Non operæ pretium est de MSS. disserere qui *fert quæque* aut *fert quæ*, manifesta librariorum negligentia, habent. — *Ferri.* In omnibus MSS. et plerisque edd. vett. *fieri.* Sed *ferri* in Lugdunensi, quod testatur Raphel., in multis Delr. codicibus, in Ascens. Gryph. Grut. Heins. Gronov. Bip. Both. et Baden. editt. scriptum, cum solita Senecæ dictione consonat, quæ oppositionibus et antithetis gaudet.

277. *Remées, precor.* Omnes ad unum MSS. nostri, omnes edd. ante Gronovium, *remees tuis.* Ex Lipsii libro, Gronovius *remees, precor* textui intulit, quod a cunctis deinde receptum est : hanc et nos lectionem admisimus, quia vix latinum judicamus *remeare alicui.*

279. *Depulsas.* Lipsius e codice suo *dispulsas* extulit, quod Delrio quoque ex membranarum vestigiis eruit, Gronovius in Florentino, Baden. in uno Christinæ deprehendit. Cic. Tuscul. quæst. I, 26 : « *Ab animo, tanquam ab oculis caliginem dispulit, ut omnia supera, infera, prima, ultima, media videremus.* » Phædr. III, 10, 42 : « Tenebras dispulit calumniæ. »

280. *Nulla si retro via.* MSS. et editt. ante Gronovium *nulla si vetito via,* quod reposuissem, si *vetito*, cæteroquin nervosum et acre, satis definitum, non ad integritatem sensus, sed ad latinæ saltem dictionis salubritatem, visum fuisset.

281. *Diducto.* In Delr. Egvian. *reducto*, in Mogunt. et Herbip. *deducto*, ut in Pariss. 8035, 8036, 8037, 8260, 8262; in 8034, *devicto*.

283. *Dirutis.* Lectio quinque MSS. nostris et Isoard. Ægid. Ascens. Avant. editt. firmata : in MSS. 6395, 8024, 8026, 8029, 8036, 8262, et in editt. Fern. et Philol. *diruptis.*

285. *Stetisti.* MSS. 8025, 8026, 8027, 8030, 8034, 8036, 8055, 8260, 8264, cum Mogunt. et edit. Philol. *fecisti,* quod metrica lege a versu excluditur. Fern. Isoard. Ægid. Fabr. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. et MS. Paris. 8262, *dedisti,* quod sensu non caret. Sed antepono *stetisti,* in MSS. Pariss. 8031, 8032, 8035, 8037, 8261, et in editt. Avant. Vian. Gryph. (quanquam in margine *dedisti*) Petr. (quanquam in margine *fecisti*) Gronov. Bip. Both. et Bad. scriptum; de quo Gronovius:

Digitized by Google

«Plenum majestatis est verbum, victoremque et voti potentem decet.» Troad. «Stat avidus iræ victor.» Vel est connitentis contendentisque, et arduum quid parantis. Statius «Stat sexus rudis insciusque ferri, Et pugnas capit.» Et apud Virg. Entellus «adversi contra stetit ora juvenci». Nam *quærens* non conatum modo, sed effectum quoque denotat, ut pro *acquirere* Latinis sæpe usurpatur. Plaut. Cistell. IV, 2, 42 : «Ecquem vidisti quærere hic.... Cistellam cum crepundiis, quam ego hic amisi misera?» *Quærens iter*, est, faciens iter. Natur. quæst. II, 54: *fugam quærit et cum sono evadit.* Status igitur intelligitur vires Herculeas expromentis atque earum eventu potiti.»

290. *Efferens.* Editt. nonnullæ, Ægid. scilicet. Philol. Ascens. Avant. necnon Pariss. codd. 6395, 8024, 8028, 8029, 8261, *afferens;* infirmo sensu.

295. *Magna sed nimium*, etc. Quidam, inter quos Farn. et Thysius, *magna si nimium*, et paulo inferius, *adde illum mihi* pro *unde illum mihi;* absone (vid. p. 36 quæ notavimus). *Unum* pro *unde* in Mogunt. et MSS. Pariss. 8024, 8030, 8032, 8033, 8034, 8037.

297. *Diem.* Petr. in marg. *die*, quod et Baden. in Specim. probavit, sed mutatis quæ præcedunt. Vulgatæ adhærendum.

299. *Tibi, o deorum ductor.* Abruptiora hæc pronuntiat Botheus, et emendat *tum tibi deorum ductor.* Nos contra arbitramur aptissime hanc compellationem præcedenti interrogatione et voto præparari. Frigent voculæ istæ *tum, igitur*, etc. ad acriora vehementiaque nuntianda. Figuræ tantum et motus magnis figuris et motibus efficaciter in oratione præludunt.

300. *Frugum potens.* Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. *frugum parens:* sed contradicunt fere omnes MSS., nec mutatione opus est.

301. *Muta fide.* Universi MSS. et editt. ante Gronovium, *multa fide.* Gronov. ex Florent. *muta* eduxit, quod sensu longe melius omnes ab illo recepere in textum. Hæc lectio confirmatur exemplis; Thyest. 317 : «Tacita tam rudibus fides Non est in annis.» Œdip. 799 : «Præstare tacitam regibus soleo fidem.» Herc. Œt. 476 : «Quidquid arcani apparo, Penitus recondas, et fide tacita premas.» De conjunctis vocibus *muta* et *tacita*, vid. quæ notavimus, p. 64, ad vers. 536.

302. *Eleusi.... jactabo.* Sic vett. edd. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Farn. Thys.; sic et MSS. Pariss. 6395, 8025, 8027, 8030, 8031, 8034, 8055, 8260. Gronov. ex Florent. substituit *Eleusin.... jactabit*, quod omnes ab illo adoptare non dubitaverunt. Attamen Florentina lectio vulgatæ adeo non sensu præstat, ut hæc etiam clarior et simplicior videri queat. Si ad auctoritatem librorum respicias, nonnulli quidem MSS., ut Pall. Commelini et Paris. 8026, *Eleusin;* 8024, 8028, 8029, 8032, 8035, 8036, 8037, 8261, *Eleusis* exhibent; universi tamen *jactabo*, quod capitale est, præferunt. Repono igitur veterem lectionem, quæ cur rejiciatur non satis video.

306. *Clausum.* Conjiciebat Delrio *cassum*, ex Mogunt. qui *classum*, et

Digitized by Google

ex secundo Venet. qui *clasum* habebat, quod Gruterus optime confutavit, adnotans diversitatem lectionis ab antiqua scribendi ratione ortam, *clusum*. — *Aut omnes tuo*. Hæc lectio in viginti Pariss. MSS., et edd. vett. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Primum occurrit *omnes tuos* in Grutero, quod Heins. Raphel. Gronov. Bipont. et Bad. in Spec. receperunt. Sed monet Gronov. in Florent. esse *tuo*, cui se adhærere testatur : id tantum miror quod hanc lectionem non textui inferre ausus sit; nihil illa certius et melius.

308. *Fractos deus*. Scribit Delrio in quibusdam autographis legi *dies*.

309. *O socia*, etc. Apte notant Lipsius Delrioque, repudiata MSS. quorumdam et edd. auctoritate, initium colloquii non hic faciendum; nam ex fine præcedentis Chori constat Amphitryonem cum Megara in scenam prodiisse.

315. *Amoveri*. In Fern. et in Paris. 8029, *admoveri*, manifesto errore. Monet Jac. Gronovius legi in Florentino *moveri*, quod etiam in Paris. 8024 scribitur.

316. *Prona est*, etc. Recte voluit Lipsius hunc versum a Megara ad Amphitryonem ablegari.

317. *Ac defossus*. Ægid. *atque fossus*. Ascens. *ac defessus*.

321. *Discedens*. In MSS. nostris 8024, 8037, 8055, *descendens*.

323. *Deprensus*. In MS. 8055 et Ægid. edit. *depressus*. — *Hæsit*. In MS. 8024, *exit*.

326. *Tuto*. MS. 8026, *tutum*.

332. *Urbis regens*, etc. Omnes ad unum MSS. Pariss. et editt. ante Gronovium versum hunc cum quatuor sequentibus Megaræ adsignant, et ad vers. tantum 337 *Non vetera*, etc. initium loquendi Lyco faciunt. Ex membr. Florent. Gronovius aliam et ipsam quam sequimur personarum dispositionem eduxit. « Ut Megara, inquit, primum inimicissima tyranno, dein tantis ærumnis ac miseriis affecta, magnifice atque otiose potentiam ejus extendat, ac latos imperii fines metiatur, quam est intempestivum ! » Quamvis personas, ut voluit Gronovius, digesserimus, fatemur mutandi causam, quam affert, nobis pessimam videri : nam Megaræ hi versus possunt attribui sine intempestiva et otiosa potentiæ, quam sibi Lycus vindicavit, memoratione : nonne queat illa indignari tam latos imperii fines, tam opulentam civitatem penes regem esse *alienigenam* et *sævum* ? Quo major est et splendidior in Thebanos dominatio, eo indignius est illa potiri adventitium crudelemque tyrannum. Itaque ad veterem distributionem personarum fuissem regressus, nisi intercisi viderentur versus *Aliena dextra*, etc. et *Urbis regens*, etc., non sensu quidem et sententiæ summa, sed forma orationis et verborum compositione : nihil enim in vers. *Urbis regens*, etc. et seqq. voci *aliena* respondet, quæ est præcipua in versu *Aliena dextra*, etc. : adde quod *gerens*, *concutiens*, *regens*, *findens*, in eadem sententia, nec intermisso sermone, ineleganter congerantur. Ii tamen, quibus vulgatam ante Gronovium lectionem restituere placuerit, habebunt quæ pro illa tuenda et ad novissimam impugnandam afferant.

Digitized by Google

333. *Uberi cingit solo.* Habet MS. Paris. 8029. *fingit.* Mallet quoque Nic. Heinsius *uberi jungit solo* vel *uberis jungit soli:* in pejus certe mutatum.

334. *Ismenos.* Sic MSS. Commelini, sic Etruscus, Minervæ unus, Christinæ alter et tertius, Angelicus uterque cum Varsov. Sic quoque excusus 1481 (Baden. in Specim.). Cf. Hipp. 14; Œdip. 467; Med. 13 et 87; Herc. Œt. 501.

336. *Findens.* Monet Delrio in vett. libb. legi *scindens:* sic quoque in marg. edit. Petr. et in MSS. Pariss. 8025, 8028, 8035, 8261. In Fern. et Isoard. *fidens.*

341. *Rapta sed trepida,* etc. Apponi notam interrogationis post verbum *obtinentur* jubebat Gruterus, ut ad hæc responderetur vocibus *Omnis in ferro est salus* et sequentibus. Probat Botheus *hanc rationem sustentandæ vulgatæ lectionis;* sed sua eum magis delectat conjectura, quæ *Seneca non indigna* ipsi videtur, scilicet *Rapta sed rapida manu sceptra obtinentur.* Verum supervacaneus est et præposterus excogitandi labor, ubi emendatione haudquaquam opus est. Vid. p. 40, in not. ad vers. 341, quomodo vulgata sine interrogatione et mutatione se *sustentet.*

343. *Tenere te.* In plerisque MSS. et editt. vett. *tenetur,* quod cum *scias* non facile componitur. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. ediderunt *tenere te,* quod novissimi editores arripuerunt.

346. *Regali.* Gryph. et Petr. in margine *jugali.*

347. *Ducet e genere inclyto.* Variant multiplicem in modum de hoc loco MSS. nostri. Cum Ægid. et Philol. 8024, 8027, 8034, 8036, 8037, 8055, *ducet genere inclyto:* 8029, 8031, 8033, 8260, *ducet et genere;* 8026, *duceretque;* 8028, *ducet e genere indito;* 8032, *ducente genero inclyto.*

352. *Factum.* MSS. et vett. editt. *fastum:* «Sed tollere Herculeam domum, ait Gronovius, non fastus erat, sed crudele facinus.» Scribit igitur *factum,* quod Etruscus a manu prima exhibet, quodque jam Gruterus conjectura odoratus erat. Nota tamen *factum* jam in edit. Vian. (1522) inveniri. Defenditur frustra *fastum* in Specimine Baden.; ipse novissime *factum* edidit, priscam lectionem silentio prætermittens. — *Ac sermo.* Volebat Delrio, ex membranis, substitui *at sermo,* quod intellectu non ita facile foret.

353. *Ars prima regni, posse te invidiam pati.* Tredecim MSS. Pariss. ut Burdigal. et Egvian. Delr. habent *posse ad invidiam pati;* quod nuperrime Botheus in textu suo reposuit, afferens sæpe in Nostro usurpari verbum *pati* pro *durare,* καρτερεῖν, ut in Thyest. 470, Herc. Œt. 1524; sed nihil disseruit de *pati ad invidiam,* quod quanam ratione pro *contra invidiam se sustinere* possit accipi omnino non videmus. Amplectimur igitur cum Gronov. Bipont. et Baden. lectionem jam pridem vulgatam, quippe quæ in Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Commel. Delr. Grut. Heins. Raphel. Scriv. Farn. et Thysio occurrat: adde etiam Fern. Isoard. Ægid. Philol. et Ascens. et MSS. Pariss. 6395, 8030, 8031, 8033, 8055, in

Digitized by Google

quibus *est posse invidiam pati;* et MS. 8026, in quo *est posse invidiam pacti.* Nihil de *est* disputare expedit, quod vel admitti vel aboleri, salva utcumque metri integritate, potest.

354. *Fors dedit.* In Fern. edit. *sors.* — *Nobis.* Substituebat Nic. Heinsius *votis,* nescio quam in intelligentia loci sibi fingens difficultatem.

355. *Tristi vestis obtentu.* Fateor me in eo fuisse, ut reponerem *obtectu,* quod MSS. non pauci, duo Gruteri, et Pariss. 6395, 8026, 8029, 8034, 8264, necnon editt. Avant. Vian. Petr. Fabric. Commel. Raphel. exhibent, quodque Lipsius non repudiabat: caput enim *obtegitur* potius quam *obtenditur* velamine. Sed, quia in nullo alio auctore *obtectus* pro nomine substantivo usurpatur, *obtentu* retineo in pluribus MSS. nostris et edd. vett. scriptum. *Tristi* autem, multis tum manu scriptis tum excusis libris suppeditatum, mihi longe præstare videtur antiquæ lectioni *tristis,* quæ in novem Pariss. et in Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Gryph. Delr. et Commel. edd. occurrit: quis enim ferat adjacere hæc duo vocabula, *tristis* et *vestis,* præsertim quum eumdem in cadendo sonum referant? Adde quod accommodatius poetico sermoni et felicioris audaciæ sit *tristi vestis obtentu.*

362. *Odia.... agant.* Sic omnes MSS. Delrionis et Commelini et multi excusi. In Herbipol. et tribus Venet. et Eib. Delr., sicut et in Fern. Isoard. Ægid. Philol. et septemdecim Pariss. MSS., *agent,* quod ferri queat. Lipsius autem *gerant* in codice suo repertum, ut latinius, anteposuit: eum secutus est Raphel. Gronovii quidem Florent. MS. huic lectioni favet, necnon edit. Bothei. Attamen prætulimus *agant,* quo nihil latinius esse potest (vid. quæ notavimus p. 43), quodque plures exhibent libri.

365. *Tum vastis.* Emendat Nic. Heins., et *cum vastis* substituit, quasi nesciret præpositionem posse subaudiri, et *vastis* sæpe pro *vastatis* poni.

369. *Particeps regno.* In Isoard. Ægid. Ascens. Gryph. Delr. *regni.* In multis aliis *regno,* quod elegantius judicamus. Vid. quæ notav. p. 44.

370. *Sociemus animos.* Omnes vett. vel MSS. vel editt. hoc exhibent. Gronovius monuit in Florent. legi a manu prima *sociemur animis:* retinuit tamen in contextu *sociemus animos,* quod exemplis adfirmavit (Herc. fur. 413; Quæst. natur. V, 12). Nihilominus Baden. et Both. Florent. lectionem contextui intulere, *exquisitiorem* judicantes. Latinum certe, *sociari animis;* sed hoc loco non satis inaffectatum. Præstare nobis videtur vulgata, ut simplicior et quæ non ultra vim sententiæ progrediatur.

371. *Continge dextram.* In MS. 8055 et in Raph. edit. *conjunge.*

374. *Diem.* Basileens. Delr. et edit. Petr. *dies.*

383. *Pars quota ex illo.* Decem Pariss. *ex ista;* vitiose. Multi alii *ex isto,* quod Both. et Baden. ex Florent. in *illo* mutavere, «quasi diceret, inquit Baden., minima ex tanto. Nam, ut notat Servius ad Virg. Æn. X, 677, antiqui *ille* vel magnitudini vel nobilitati adsignabant».

385. *Ultor a tergo.* Sic Ascens. Gryph. ad marg. Fabric. Commel. Grut. Heins. Raphel. et qui secuti sunt omnes. *Victor* in sexdecim MSS.

Digitized by Google

Pariss. et in Fern. Isoard. Ægid. Philol. Avant. editt. Longe aptius ad sensum *ultor* mihi videtur.

390. *Riget superba.* Scripsit ad marginem *superbo* H. Grotius (quod et in Ascensiana edit. reperio; unde patet hanc emendationem non primum, ut credidisse videntur Gronov. Both. et Baden., a summo viro tentatam). Hanc Both. et Bad. summopere laudaverunt, ut quæ ad dictionis elegantiam multum conferret, Gronoviumque objurgaverunt dubitantem de conjectura Grotii, et interrogantem quæ vis futura sit locutionis *Tantalis parens,* nisi adjungatur *superba :* respondet Baden. dici hic absolute *Tantalis parens,* ut in Agamemn. 374, *Tantalidos matris.* Nos quidem Botheo et Badenio suffragamur, quatenus satis definitum locutionis *Tantalis parens* sensum contendunt. Sed vulgatam tamen reponimus, quæ melius cum præcedentibus consonet, *sequitur superbos ultor a tergo deus,* etc. Quid enim ad sententiam facit, si Niobe in statua Florentina *superbe* lugere videatur, i. e. sine lacrimis (ut explicat Baden. in specimine), aut si nobili et magnifico luctu (ut interpretatur Both.) statua illa conspicua sit? Non de superbia Niobes, sed de ejus superbiæ pœna, hic dicendum est, ut præcedentia continuentur. « I, superbe, inquit Megara, spiritus feroces gere : sequitur superbos ultor deus..... Superbam illam Nioben vide; riget luctu », etc. Confirmat hanc interpretationem sequens versus *mœstusque,* etc. in quo de dolore tantum et supplicio Tantalidos dicitur. Qui *superbo* substituerunt, causam pœnæ cum ipsa pœna miscuerunt : ea distingue, et lege *riget superba,* quod non secus accipiendum est ac *riget propter superbiam.* In Statio quidem, Theb. IV, 576, dicitur Niobe *tumido luctu percensere funera,* quod forsan suum Botheo et Badenio errorem imposuit : sed alia est Statii, alia Senecæ sententia : Statius pervicacem Niobes superbiam describit; Seneca vero Nioben eo tantum memorat, ut ejus exemplo discat Lycus, quæ maneat superbos pœna.

393. *Illyrica.* Gronov. Both. et Baden. *Illyria* substitui jusserunt. Sed nulla codicum auctoritate nititur ista emendatio. Gronov. κακίφατον causatur; sed frequens in poetis numerorum vel maxime curiosis iste syllabarum idem sonantium concursus. Vid. Virg. Æn. II, 27; VI, 88, etc. Nec miretur quisquam nos supra v. 229 *Arcadia* pro *Arcadica* probavisse, nunc vero *Illyria* pro *Illyrica* nolle adhiberi. *Arcadia* enim in MSS. legitur, et *Arcadius* sæpenumero in poetis usurpatur (vid. Ovid. Fast. I, 462; Amor. III, eleg. 6, v. 30. Mart. IX, 102. Propert. I, eleg. 18, v. 20. Stat. Theb. II, 70; VII, 39); *Illyria* contra nec in MSS. nec in vett. editt. deprehendas, et *Illyrius* nusquam fere legitur.

395. *Manent exempla.* In MS. 8035, *monent.*

397. *Efferatas.* Novem Pariss. et Fern. Isoard. Philol. editt. *effrænatas,* repugnante metro.

400. *Regamque cuncta.* In sexdecim MSS. nostris, sicut et in MSS. Commelini, in Herbipol. et Venet. Delrionis, in Fern. Isoard. Philol. Ascens. *geramque,* quod Delrio non repudiabat, repetitionem ejusdem vocabuli *geram* haud insuavem judicans. Contra Avant. Vian. Gryph.

Digitized by Google

Petr. Fabric. Commel. Grut. Heins. et post illos Gronov. Bipont. Both. et Bad. *regam* anteposuere, rati videlicet non posse, ut *gerere sceptra*, sic dici *cuncta gerere* : hos ultro et libenter sequimur.

402. *Cruento.* In Pariss. 8032 et 8033 *cruentus*.

403. *Non servant modum.* Sic omnes excusi. Plerique autem MSS. nostri *domum*, manifesta corruptione.

406. *Nos improba.* Fabric. et Delr. legendum censuerunt *vos improba*, quasi hæc *sed illa*, etc. Megaræ nomine, tyrannidem accusantis, dicantur : supervacanea emendatio.

423. *Posset ut supera.* In Fern. Isoard. Philol. editt. et in septemdecim MSS. nostris *superna*, quo violatur metri integritas. *Supera* in Ægid. Ascens. Avant.

430. *Sceptrone.* In vett. quibusdam editt. *sceptroque*, quod Delrio mutavit ex MSS. suis in *sceptrone*. Probavit emendationem Raphel. Gruterus contra vividius et mordacius *sceptroque* judicavit. Videtur nobis lectio Delr. latinior : adde quod hæc occurrat in Philol. Heins. Gronov. Bipont. Bad. et Both. editt. In Fern. Isoard. Ægid., ut in MSS. 8024, 8025, 8026, 8028, 8032, 8033, 8034, 8037, 8055, 8262, *sceptro quoque*.

434. *Objici.* In multis MSS. et editt. *obici*, quod requirit metrum, ut prima corripiatur syllaba, *obici*. Sic Claudian. Honor. quart. consul. 364 : «Cur annos obicis? pugnæ cur arguor impar?» Lucan. VIII, 796 : «Cur obicis Magno tumulum?» Id. IX, 188 : «Pompeiumque deis obicit.» Ideo tantum irrepsit *objici* in nostram editionem, quod typographi ante oculos habuere Badenii novissimam editionem, in qua hocce modo verbum scribitur.

435. *Virtutis est.* In Fern. Isoard. Philol. et decem MSS. Pariss. *virtus est*, quod lex metri recipi non patitur. Altera lectio, *virtutis est*, in Ægid. Ascens. Avant. et cæteris; sic quoque MS. 8262.

438. *Sperat.* In MSS. Pariss. omnibus et in Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Scriv. editt. *penetrat*, quod mihi paulo violentius videtur : placeret magis *penetret*, quod in vetere interprete et in MSS. a Commelino repertum (licet Gruterus hoc in Palatt. minime inveniri affirmaverit), adoptavere Delr. Heins. Raphel. Farn. et Thys. Sed aptius et convenientius est *sperat*, quod Lipsius in codice, Delr. in MSS., Gronov. in Etrusco, deprehenderunt. Gruter. conjiciebat *spirat*, vix servandum, etiamsi MSS. et editionibus veteribus suppeditaretur.

440. *Partes meæ sunt.* Delevit, Etrusco volente, Gronovius, voculam *hæ* post *meæ* in multis libris positam. MSS. 8026, 8028, 8031, 8036, 8037, 8262, 8264 habent *partes meæ hæc sunt*.

453. *Quem profuga terra mater errante edidit.* Quot edd. et codd., tot prope diversæ hujus loci lectiones : nam in Fern. *q. p. mater terræ errantem dedit;* in Ægid. et in MSS. nostris 8029, 8030, 8031, 8033, 8035, *q. p. terræ mater errantem dedit;* in MSS. 8025, 8026, 8028, 8055, 8261, *q. p. matri mater errantem dedit;* in Isoard. et in MS. 8262, *q. p. mater terra erranti dedit;* in Philol. *q. p. matri tellus errantem dedit*, etc. Consen-

Digitized by Google

tiunt tamen editt. Avant. Vian. Petr. Fabric. Rapheleng. Commel. Grut. Scriv. Farn. et Thys. in hanc lectionem *q. p. terra mater erranti edidit*, quæ insuper firmatur MS. nostro 8036, in quo *q. p. terra mater errantem edidit*. Gronovius hanc ipsam in Florent. invenit, nisi quod *errante* pro *erranti* scriberetur. Versu sic castigato nihil clarius et probabilius.

454. *Num monstra*. Quidam *non monstra*, sublata interrogatione; quod et ferri queat.

460. *Rupis exesæ*. Universi MSS. Pariss. et omnes ad unam editt. ante Gronovium exhibent *exesæ;* quod quidem et ille probabat, « sic alibi recte scriptum occurrere in his tragœdiis ». Attamen ex Etrusco suo *Idææ* exprompsit, quod nullus alius liber vel excusus vel manu scriptus habet, quod nec metri necessitas nec sensus dignitas requirunt, et in textum immisit, superstitiosa unius codicis reverentia ludificatus. Qui secuti sunt editores, non minus in Gronovium, quam Gronovius in Florentinum, obsequiosi, tacito recepere *Idææ*, nisi quod Baden. in specim. reponendum *exesæ* censuerit, *Idææ* pro glossemate jure accipiens. Recurrimus et nos ad veterem lectionem, codicum auctoritate subnixam, eamdemque sensu optimam : nam *exesa rupes* pro vili et ignobili antro ponitur, unde tamen Jupiter in summam cæli et terrarum dominationem evasit; cujus exempli mentione aptissime Lyco respondetur, objicienti Herculem gravia in prima ætate tulisse mala. Hoc ad repudiandum *Idææ* sufficiat, quod sententiam potius premat quam adjuvet. Adde quod in Nostri Phœniss. 359, eadem occurrat dictio : «Latebo rupis exesæ cavo. »

466. *Factus*. Corrigebat Nic. Heins. *pactus*, præpostere, ut solet vir egregius.

467. *Fulsitque*. In MS. nostro 8024, *fluxitque*.

471. *Mitra ferocem*, etc. Lipsii liber hunc versum ad Amphitr. regerit, hoc modo : «Mitra f. b. f. premens, Non erubescit Bacchus », etc. ita ut de Baccho dicatur quod in vulgata de Hercule. Sed, ut Commelin. et Grut. considerate animadverterunt, « præter consensum codd. omnium, vetat epithetorum diversitas : quomodo enim *tenero* Baccho frontem *ferocem* tribuamus? »

473. *Nec manu*. MS. Paris. 6395, *non manu*.

474. *Vibrare*. In nonnullis *vibrasse*, quod scripsisse librarios putat Bad. in Specimine, sono præcedentis verbi *sparsisse* illectos.

475. *Syrma barbarico*. Elegantius *barbarico*, quam quod in MSS. et vett. edd. legitur, *barbaricum*.

476. *Laxari*. Monet Pontanus in Cruseriano codice legi *lassari*, scriptum et ad marg. edit. Petr. et in MS. 8030.

477. *Hoc Euryti*. Ita in quindecim MSS. nostris (inter quos adnumeramus 8024 qui *hoc Erycis*, et 8032 qui *hoc Eurici*); ita in omnibus excusis ante Jacob. Gronovium. Primus Delrio (1594), quod in Mogunt. *Teutantis testatur* inveniret, emendandum fortassis *Teuthrantis hoc fatetur* pronuntiavit. Gruterus quoque erravisse putabat Senecam, posito Euryto pro Thespio. Scilicet uterque volebat in vss. 477 et 478 unum et

Digitized by Google

idem factum memorari, nempe quinquaginta virgines quas Thespius, Teuthrantis filius, genuerat, ab Hercule compressas. Nullam quidem causam repudiandæ vulgatæ attulerant; sed Gronovius, ut eorum sententiam adfirmaret : « Qui eversus Eurytus, inquit, dici potuit Lyco, quum ultimam omnium eam susceperit expeditionem Hercules, et Dejaniræ maritus? vix potest in re tam nota errari. Ut scilicet poeta, quicumque fuerit ille tandem, Sophoclis Trachinias aut Ovidii Metamorph. libros non legerit? » Attamen Gronov. non ausus est mutare in contextu vulgatam, Etrusco quoque codice sancitam, reputans cæteroquin non novum esse Senecæ personas veteres et earum vocabula confundere. Suo fidentior judicio Jacob. Gronovius *Teuthrantis hoc* in edit. (1682) admisit, quod Bipont. Both. Bad. recepere, et suo Schrœd. silentio comprobare visus est. Eorum opinioni cur non obtemperem et restituam *hoc Euryti*, fusius exponendum. 1° Unum tantum Herculi exprobrari nefarie admissum neutiquam necesse est : immó debuit Lycus plura conferre ab Hercule perperam patrata, nec a Junone aut Eurysthéo jussa. Quid autem potuit eligi Lyci proposito convenientius, quam illa Euryti et filiorum ejus cædes, ab Hercule inique et crudeliter et sponte facta? de qua in Herc. OEt. 418 : «Errat (*Hercules*) per orbem, non ut æquetur Jovi, Nec ut per urbes magnus Argolicas eat; Quod amet, requirit; virginum thalamos petit : Si qua est negata, rapitur; in populos furit; Nuptas ruinis quærit, et vitium impotens Virtus vocatur. Cecidit OEchalia inclyta, Unusque Titan vidit atque unus dies Stantem et cadentem. Causa bellandi est amor », etc. Narrant quoque Sophocl. in Trachin. 269 et sqq. et Apollod. II, 6, Iphitum, Euryti filium, adeo contra jus fasque ab Hercule occisum, ut ille in sceleris expiationem sordido servi munere aliquandiu fungi ab oraculo jussus fuerit, et ipse filio suo iratus sit Jupiter : Ἔργου δ' ἕκατι τοῦδε μηνίσας ἄναξ Ὁ τῶν ἁπάντων Ζεὺς πατὴρ Ὀλύμπιος Πρατόν νιν ἐξέπεμψεν, οὐδ' ἠνέσχετο, Ὅθ' οὕνεκ' αὐτὸν μοῦνον ἀνθρώπων δόλῳ Ἔκτεινεν. Nihil igitur invidiosum magis et infame a Lyco Herculi objici potuit. 2° Quæ affert Gronovius ad impugnandam vulgatam, scilicet, non nisi post Megaram interfectam in Eurytum Herculem sæviisse, et obscuriorem esse fabulam Teuthrantiæ domus, quam ut a librariis aut corruptoribus veterum librorum proficisci potuerit vulgatæ emendatio, hæc facile confutantur. Respondet ipse Gronovius ad id quod prius objicitur, « non novum esse Nostro personas confundere », et jam non semel animadvertimus tempora sæpe ab illo misceri. Vid. quæ not. p. 5, v. 14; p. 27, v. 222 ad fin.; p. 33, v. 272. Quod autem posterius opponit, obscuriorem esse fabulam, etc. potest et ad vulgatam tuendam afferri, et eo quidem efficacius, quod difficilius fuit fabulam Euryti, non minus quam Teuthrantis, plerisque ignotam, in contextum, ubi nulla res eam innuebat, accersi, quam Thespii fabulam, jam in versu 478 memoratam, in vers. quoque 477 introduci. 3° Denique (et hoc decretorium mihi videtur atque ad emendationem Jac. Gronovii subvertendam sufficere), ex nullo auctore colligi potest *Teuthrantem* fuisse *eversum*, quem narrant omnes in Mysia

Digitized by Google

regnasse et morientem imperium suum Telepho tradidisse. Apollod. III. 9 : Παραγενόμενος (Τήλεφος) εἰς Μυσίαν, θετὸς παῖς Τεύθραντος γίνεται, καὶ τελευτῶντος αὐτοῦ διάδοχος τῆς δυναστείας γίνεται. Hoc autem vocabulum *eversi*, de quo editores omnes siluerunt, et quod, si admittas *Teuthrantis*, non friget solum, sed intelligi nequit, cum vetere lectione *Euryti* omnino congruit; Eurytus enim cum sua *domo*, i. e. cum suis, ab Hercule trucidatus est. Apollod. II, 7 : Κτείνας μετὰ τῶν παίδων Εὔρυτον, αἱρεῖ τὴν πόλιν... Καὶ λαφυραγωγήσας τὴν πόλιν, ἦγεν Ἰόλην αἰχμάλωτον.

486. *Integer Cygnus.* Lectio ex Florentino codice desumpta, et ab omnibus editoribus post Gronovium recepta. Ediderant Fern. Avsint. Vian. Petr. et Delr. *ante Geryones*, quod Delr. in Basileens. Mogunt. et Egvian. invenit, quod et in MSS. Pariss. 8024, 8026, 8027, 8029, 8030, 8031, 8086, 8260, 8262 scribitur : Isoard. Ægid. Fabric. Commel. Grut. Heins. Raphel. Scriv. Farn. et Thys. *ante Geryonem*, ut in Herpib. et tribus Venet. Delrionis : Ascens. et Gryph. *ante Geryonas :* Philol. cum MSS. nostris 6395, 8025, 8028, 8032, 8033, 8034, 8037, 8261, 8264, *aut Geryones*, quod Commelinus, licet aliud in textum admiserit, substitui volebat, sic interpretans, « Coactus pati mortem aut Geryones, i. e. aut pugnam cum Geryonibus ; tres enim erant Geryones. » Heinsius interrogabat quis iste esset ferro et vulneri obvius, qui tamen ante Geryonem mortem pati coactus sit? Et quum intelligere locum non posset, emendabat ex Villeriano cod. « Ipsius Orthrus, vulnere et ferro obvius, Mortem coactus ante Geryonem pati. » Denique Gronovius ex Florentino edixit *integer Cygnus*, quod, licet a vulgata diversissimum, in contextum recipere non dubitavit. Nos illius quidem lectionem admisimus : attamen fatemur parum abfuisse quin reponeremus *ante Geryonem*, rati haud adversum Senecæ ingenio fore, si de triplice Geryone dicatur, Geryonem *ante Geryonem* aut *ante Geryones* occisum ; nam uno sublato, duo supererant : videntur hunc sensum innuere sequentia *nec unus*, etc. Nec objiciat aliquis hoc pravi admodum judicii esse, nisi forte putet Nostrum hoc vitiorum genere carere, et nunquam argutias ascitosque sermonis lepores adhibere. Unum obstitit quominus vulgatam revocarem, nempe quod, illa restituta, præcedentia *vulneri et ferro obvius* non commode interpretarer.

493. *Negat.* MSS. Pariss. 8026, 8055, 8261, *negas*, conversa ad Megaram oratione.

497 et 498. Vid. quæ notav. p. 60, de Gronovii conjecturis. — *Ægypti.* MSS. omnes et edd. vett. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. *Ægysti*, manifesto errore.

501. *Conjugia quoniam pervicax.* Diversissimæ sunt hujus loci lectiones tum in MS. tum in excusis. Nonnulli, inter quos Petr. in marg. et Delr. vetus liber, *pertinax*, vulgata languidius. Ascens. *Conjug. quando pervicax.* MSS. Paris. 8029, *nimis pertinax*, quod non mihi displicet : friget enim paululum conjunctio *quoniam*, et aptius forsan cadat in solitam Senecæ scribendi rationem oratio hoc modo concisa : « Conjugia nimium pervicax nostra abnuis, Regemque terres? sceptra quid possint, scies. »

Digitized by Google

504. *Te mihi.* Ascens. *Mihi te.* — *Remolito.* Non desunt MSS. qui *revoluto* exhibeant, ait Delr. (1576) : sic quoque Philol. et MSS. Pariss. 8025, 8030 et 8264.

508. *Rogus.* Longe convenientius quam *locus,* quod omnes habent MSS. Pariss. et edd. Fern. Ægid. Philol. et Ascens. His opponi possunt Isoard. Avant. Vian. Gryph. et multorum aliorum edd. in quibus legitur *rogus.*

512. *Diversa irroga,* etc. Jubebat Pontanus ex cod. Cruseriano hæc et quæ sequuntur a Lyco ad Amphitryonem transferri : a nullo, et merito quidem, ei auscultatum est.

515. *Colam.* Omnes ante Gronovium vel MSS. vel excusi libb. *rogem;* Gronov. ex Etrusco, *vot. colam;* «Nemo enim non videt, ut ipse aiebat, aptius hic poni verbum futuro indicativo, quam præsenti dubitativo.»

518. *Humana telis, impiam.* MSS. Pariss. 8029 et 8035 præbent *Humana telis imperia,* quod elegantissimum judicamus et sensu multo melius quam vulgata. Vix ferimus *humana* absolute usurpatum; quod si de locis quæ incolunt homines accipias, *terrena* melius quam *humana* adhibeatur. Contra *humana imperia* cælestibus telis quassari et tremere optime dicuntur, præsertim quum in *imperantem* Lycum deorum auxilium imploretur. Itaque, nisi repugnarent plerique MSS. et omnes tum veteres tum recentiores libri, ultro et libenter legerem : «Proh numinum vis summa, proh cælestium Rector parensque, cujus excussis tremunt Humana telis imperia, regis feri Compesce dextram!»

523. *Est, est sonitus.* Alii, ut Avant. Vian. Petr. Fabric. Raphel. et Commel. *en est :* sic quoque MSS. 8024, 8025, 8029, 8034, 8036, 8055, 8264. Alii, ut Fern. Philol. Ascens. Gryph. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. Gronov. uterq. Bipont. *en, en.* Both. et Baden. ex Etrusco substituere *est, est,* quod nervosius et nos opinamur, quodque in MSS nostris 6395, 8026, 8031, 8032, 8260, 8261, invenimus.

526. *Regnet.* MSS. 6395 et 8055, *regnat,* quod ferri possit, nisi sequerentur *exagitet, resecet, referat.*

528. *Cæliferam.* MS. 8029, *stelliferam.* De Lipsio *teliferam* probante, vid. quæ notav. p. 63.

529. *Feracia.* Universi ante Scriverium libri *ferocia,* quod et in omnibus MSS. reperitur. Sed monuerat Gruterus amicum suum Simonem Ulricum Pistorem conjecisse *feracia,* et ita scriptum ad oram unius codicis manu exarati. Hinc ea lectio, significantior et probabilior, in Scriv. Thys. Gronov. Bipont. Both. et Baden. editt. recepta est.

536. *Et mutis tacitum.* Sic in Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. Gronov. et recentiorum editt. Aliæ editt. vett. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens., cum quatuor Commelini codd. et Mogunt. Delr. et septemdecim Pariss., *multis tacitum.* Præstat sensu altera lectio, cui videtur favere MS. Paris. 8264, in quo *mutum tacitis.*

539. *Teritur.* MS. 8024, *seritur.*

544. *Nobile.* MS. 8260, *mobile.*

Digitized by Google

546. *Suspiciens.* Vix Delrioni assentior, qui *suscipiens* in Mogunt. et Herbip. inventum tolerabile judicabat : quis enim ex latin. auctt. scripsit unquam *suscipere victorem* pro *victorem confiteri?* Lege cum Isoard. Ægid. Ascens. Avant. et cæteris editoribus *suspiciens*, quod aptissime cum *posito genu* convenit.

552. *Geminum.* In Fern. et MS. 8262, *timidum.*

553. *Timidis.* Gryph. et Petr. in marg., *miseris :* Farn. et Thysius, *tumidis*, quod Delr. in MS. legi monuit.

559. *Non revocabiles.* Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. *irrevocabiles.* Alii *irremeabiles*, aut *non remeabiles* (sic Ægid.). Adhærendum vulgatæ, quam vetustiora exemplaria et multi MSS. exhibent.

561. *Bello quum peteres.* Hæc lectio, a novissimis editoribus recepta, occurrit quoque in Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. et in MS. Paris. 8030. In Fern. et in MSS. 8033 et 8262, *bello quum peterent;* in Isoard. Ægid. et MSS. 6395, 8024, 8029, 8260, *bello quum peteret;* in Philol. et undecim Pariss., *bella quum peterent.* — *Nestoream.* Omnes MSS. Pariss. (exceptis 8032 et 8033, in quibus *Nestoricam*) habent *Nestoriam*, sicut edd. vett. et ipsa societatis Bipont. edit. Specimenque Baden. Primus Fabric. *Nestoream* intulit, quod deinde Delr. (1594) Heins. Scriv. Farn. Thys. et cæteri editores assumpsere. Mart. IX, 30 : «Sæcula Nestoreæ permensa, Philæni, senectæ.» Stat. Silv. I, 3, v. 110 : «Finem Nestoreæ precor egrediare senectæ», quanquam in nonnullis editionibus *Nestoriæ* legatur. Noster in Hipp. 810 : «Castorea mobilior manu.»

566. *Tristibus inferis.* Vetustæ edd. Fern. Isoard. Ægid. Phil. Ascens. cum omnibus MSS. *tristis et inferis;* quod reponerem, nisi propius adjaceret repetita conjunctio, *et mortis dominus, ... tristis et inferis, ... et invias.* Nihil quidem iis moveor quæ Gronovius contra priscam hanc lectionem disserit, nempe «falso dici lucem esse tristem inferis, nisi quæ invitis et improvisa contingit»; nam, unde colligitur eam non fore improvisam lucem, quam Hercules Plutoniis regnis inferret, et libenter inferorum incolas eam excepturos? adde quod notissima sit et in poetis vett. usitatissima illa lucis reformidatio, Plutoni et inferis attributa, sive expectata sive inopina ingruat (vid. quæ notavimus p. 68, ad vers. 567). Non igitur propter ista, sed propter invenustam conjunctionis iterationem, retinemus vulgatam *tristibus inferis*, sensu cæteroquin optimam, et ab Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Commelin. Delr. Grut. Heins. Raphel. adhibitam. Infelix est Gronovius in omnibus notæ suæ partibus, qui dicat «Delrionem de hac lectione, *tristis et inferis*, primum monuisse», quum Delrio eam tantum memoraverit in syntagmate (1594), et jam antea hanc ipsam Isoard. Ægid. Philol. Ascens. et Petr. in margine occupaverint. Addit Gronovius «Gruterum, quia sic omnes Pall. et vetus interpres, *tristari inferos dum vident lucem*, primum eam recepisse in libros». Si Gruterum adeas, illum nihil tale dixisse invenies, quippe qui hunc locum in notis suis silentio prætermiserit. Commelinus qui-

Digitized by Google

dem : « MSS. uno consensu omnes, *tristis et inferis*, qui tristantur, inquit vetus interpres, dum vident lucem », quæ verba videtur Gronovius ad Gruterum temere transtulisse. Sed nec Gruterus nec ipse Commelinus *tristis et inferis* in libros suos recepere : uterque *tristibus inferis* edidit. Unde et qua ratione tot in unam Gronovii notam errores confluxerint, haud satis scio.

571. *Repetit.* Melius quam *recipit* : recepta enim conjuge, et inter redeundum, Orpheo nec prece supplici, nec vocis dulcedine opus fuit. Frustra Pontanus non repetitam tantum Eurydicen, sed et receptam, scribit : respuit enim vocem *recipit* conjunctio *dum;* unum ex his requirit sensus necessitas, vel *dum repetit*, i. e. dum *vadit ad recipiendam,* vel *ut recipiat.* Attamen *recipit* in Mogunt. Herbip. et Venet. Delrionis, in Cruseriano Pontani, in undeviginti Pariss., et in vett. edd. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Contra *repetit* in Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Commel. Delr. Grut. Heins. Raphel. Scriv.

577. *Deflent Eurydicen.* In duodecim Pariss. et vett. editt. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Commel. hic versus post v. 580, *Quærunt, ac veteres,* etc., relegatur, qua dispositione admissa, laborat loci sensus. Monuit autem Lipsius versum *Deflent Eurydicen,* etc. in veteri libro post v. 576 *Et surdis resonat*, etc. apponi, et hanc collocationem Commelin. ex MSS. vetustioribus, Delrio ex judicio suo, comprobaverunt. Illis merito a seqq. editoribus auscultatum est. (Vid. quæ notav. p. 69.)

583. *Evade.* Vetusta aliquot exemplaria *et vade* exhibent, « pleniore, inquit Commelinus, sententia ». Nobis secus videtur. Longe melius *en vade,* quod invenerat Commel. in uno codice, quodque suppeditat etiam Paris. MS. 8026.

590. *Carmine.* Omnes MSS. et ante Gronovium edd. *cantibus,* quod ille mutari jussit, quia in Florent. *carmine* invenerat. Ipse tamen in contextu vulgatam retinuit, quam non repudiavit Schrœder in notis nec Bipont. aut Both. in editt. Primus Baden. *carmine* textui intulit, quod mihi suspectum est, ut a librario, propter ejusdem soni geminationem, *cantibus, viribus,* adscitum. Fluxit hæc lectio in nostram editionem, ut supra, v. 434, *objici* pro *obici,* typographorum errore et intempestiva Badenici contextus imitatione.

592. *Alme rector.* Botheus ex edit. Caiet. contendit legendum *almæ*, quia « recepto *alme,* tres continuos haberemus trochæos, quibus ita debilitaretur versus senarius, ut ne simplex quidem iambographus admittendum eum putaturus fuisset, multo minus ornatior majorisque ponderis tragicus ». Si Botheus in summa rei non errat, multis saltem exemplis premitur, quæ non ex Nostro tantum, sed ex una Herculis furentis tragœdia excerpere in promptu est : sic in verss. 47, 91, 311, etc., etc. trochæi continuantur, ita ut et in his oportuisset vulgatam mutari, ne debiliores numeri viderentur. Hæc amove fastidia, et memento sæpe occurrere in numerosissimis poetis quosdam versus, quos emendandos, vel omnibus MSS. adversantibus, judices, si verborum

Digitized by Google

modulationem scrupulosius trutineris. — *Cœli decus.* Legitur *deus* in Pariss. nostris 6395 et 8029.

593. *Curru.* Isoard. *cursu.*

597. *Arcana.* MSS. nostri et edd. vett. *secreta*, quod ut reponamus non tanti est.

598. *Fulmine opposito.* Farn. et Thys. *apposito.*

604. *Quæ jussit.* Nonnulli MSS., inter quos Moguntinus, habent *qui jussit*, quod Commel. et Raphel. edidere, *qui* ad Eurystheum referentes. Sed optime Baden. in Specim. et in edit. (1821) adnotavit patere ex versu 615 labores suos Herculem Junoni imputare, et jam dixisse Junonem v. 62, *timui imperasse.* Cæterum *qui jussit* in omnibus vett. excusis reperitur, Fern. Isoard. Ægid. Ascens. Avant. Vian. Petr. Fabric. etc. Sic quoque MS. Paris. 8262. In decem aliis nostris, *quæ vexit*, ut in Philologo, quod sensu caret.

611. *Quiddam gravius.* Fern. Isoard. cum sex MSS. Pariss. *quidem gravius*, repugnante metro.

613. *Ostendi.* Gryph. edit. et Paris. 8030, *offendi.*

614. *Da, si quid.* Isoard. Ægid. *nam si quid.* — *Tam diu.* Avant. Vian. Petr. Fabric. *nam diu*, languidius quam vulgata. Both. conjecit *jam;* frustra.

615. *Quæ vinci.* Vett. edd. *quid vinci.* Ex Florent. recentiores *quæ vinci* edidere, « sicque, ait recte Badenius, suadent aures, defatiscentes similitudinis satietate, quam affert tergeminum *quid restat aliud*, *quid ultra est*, *quid vinci jubes* ».

619. *An ille domitor*, etc. Numeros debilissimos esse ratus, substituit Both. *An orbis ille edomitor et Graium decus :* sed nusquam invenitur in scriptt. latt. *edomitor*, et miror quod maluerit vir doctissimus Senecam in justo sermonis et linguæ usu quam in numeris peccavisse. (Vid. quæ sup. notav. ad vers. 592, in his ipsis Animadv.)

620. *Silentem.* Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Commel. Raphel. *silentum;* qua mutatione non opus est. Hipp. 221 : «Adiit silentem nocte perpetua domum. » Omnes prope MSS. *silentem.*

622. *Certa et sera.* Mavult Both. *certa*, *at sera*, quod jam laudaverat Jac. Gronov. in Schedis Dietz. In pejus mutatum.

623. *Teneone in auras editum.* Plerique MSS. et vett. edd. *verumne cerno corpus*, quod intelligi et ferri potuit. Sed Lips. ex vetere libro *Teneone in auras editum* eduxit, quod deprehendit quoque Raphel. in Orteliano : hic autem et Delrio vulgatam anteposuerunt. Post eos Gronovius Lipsii lectionem Etrusci codicis auctoritate confirmavit, et vulgata longe elegantiorem multis approbavit exemplis (vid. quæ notav. p. 75). In MS. Paris. 8036 utraque occurrit lectio : «Teneone in auras editum, an vacua furo? Verumne cerno corpus, an fallor vel tua videns Deceptus umbra? » — *An vana fruor.* Sic in Meliss. Lipsii, Etrusc. Gronovii, editt. Scriv. et recentiorum. Vett. edd. et nonnulli MSS. *an fallor tua.* Pariss. 8031, 8035, 8260, *an fallor videns;* alii, *an fallor vel tua videns.*

Digitized by Google

629. *Regna possedit.* Philol. et septem Pariss. habent *regnaque possidet,* quod recipi metrum non patitur. Melius est quod Fern. Isoard. Ægid. Raphel. Commel. Delr. Grut. et novem Pariss. suppeditant, *regna possidet:* sed præstat elegantia *regna possedit,* quod, præter omnes recentiores editores, Heins. Scriv. Farn. Thys. et MS. nost. 8031 exhibent. Consuetum est scriptoribus latinis *possideo* pro *occupo, invado* usurpare : unde sæpe *possedit* pro *tenet* ponitur. Vid. Nostr. Troad. 566.

631. *Herculeæ domus.* Petr. *Herculeas :* unde sequenti versu *auxilio* pro *auxilia* scribere cogitur : sed nec *auxilio* in metrum cadit, nec potest ferri *Herculeas domus* pro *Herculeam domum.*

632. *Vidit.* Isoard. *videt,* quod et Delrio potius judicabat, non animadvertens hac lectione integritatem versus violari.

633. *Cur diem.* Isoard. *cur idem.*

634. *Ferat.* In Pariss. 8028 et 8055, *feret,* ut vers. sq. *fiet.* — Baden. abjecit personam Thesei, et hæc omnia ad Herculem transtulit sublato post *Lycus* interrogationis signo; non absone quidem, sed languidius et ad interpretationem minus commode.

635. *Hostis.* « Quem non offendat bis repetitum *hostis?* » ait Nic. Heins. a Baden. citatus; et *sudor* pro *hostis* legendum contendit. Ego contra ausim dicere : Quem non offendat *sudor?* quo nihil affectatius et contortius excogitari potuit. Dicente autem Hercule *mactetur hostis,* quid mirum si Theseus hanc vocem hostis statim repetat, indignans Lycum pro *hoste* Herculi haberi? Illi tantum suam geminato verbo vim abstulere, qui Thesei personam ablegaverunt, ut Nic. Heinsius et Baden.

644. *Lentum est,* etc. Sic partes hujus versus disposuit MS. Paris. 8033, ut *lentum est, dabit* et *hoc quoque est lentum* Amphitryoni attribuantur, et subjiciat Theseus primum *dat,* mox *dedit.*

646. *Rebusque lapsis.* Quatuordecim Pariss. et edd. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Gruter. *rebusque lassis.* Monuerat autem Commel. in aliquot MSS. esse *lapsis,* quod sibi magis placere aiebat. Hanc lectionem, Commelino probatam, Heinsius, Scriverius, Farn. Thys. et cuncti post illos editores recepere; eamdem in MSS. Pariss. 8027 et 8029 reperio.

656. *Quæ fuit.* Vett. edd. *quod fuit.* Post Commelinum, qui in omnibus MSS. notavit esse *quæ fuit,* Heins. dicit in notis se hanc lectionem restituisse, quam venustiorem judicabat. Attamen ante Heinsium, Grut. eamdem assumpserat. Scriv. Farn. Thys. et cæteri eos imitati sunt. Pariss. quoque 8026 et 8262 *quæ fuit* exhibent.

659. *Irrita.* Pariss. 8029 et 8030, *eruta,* quod Botheus quoque probavit. Ipse libenter reponerem, si plures faverent MSS.

660. *Ætna.* Nonnulli, Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commelinus, *Enna* ediderunt : sed *Ætna* in plerisque MSS. aptius quidem et significantius (vid. quæ notav. pp. 79 et 80). Gruterus substitui *Æthra* volebat, quod in mentem sani judicii viro venisse admiror. — *Jura abdita.* Paris. 8035, *jure abdita.*

664. *Ditis invisi.* Isoard. Phil. Ascens. Delr. et duodecim Pariss.

Digitized by Google

invicti; sed melius cum antecedentibus et sequentibus rerumque colore congruit *invisi*, quod reperio in Paris. 8037, in Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Grut. et cæteris. Paris. 8036, ut MSS. Commel. et Gruteri, ut Pulaviensis Badenii, *immitis,* quod similitudine soni male substantivo *Ditis* adjacet. Fern. Ægid. edd. et Paris. 8024, *inviti*, quæ lectio, licet per se vana sit et improbabilis, optimam hanc, *Ditis invisi*, tuetur et confirmat : nam, ut adnotavit Gruterus, notum est quam sint figura similes literæ *s* et *t*, utique scriptura Longobardica. Inde videtur orta lectionum varietas, quum in MSS. falso lectum *inviti,* alii in *invicti*, alii in *immitis* mutarent. Huic favent conjecturæ verba Gruteri : « Consului MSS. et reperi in plerisque aut *immitis* aut *invicti :* sed ita ut appareret prius fuisse *inviti* vel *invitis.* »

665. *Immenso specu.* Interrogabat Jac. Gronovius « *immenso* an *immerso?* » Quasi dubitari posset!

671. *Nocte sic mista.* MSS. et vett. excusi *tale non dubie solet.* Gruter. in uno MS. lectionem, nunc receptam, invenit, quam longe meliorem omnes ab illo assumpsere.

674. *Pereat.* Paris. 8034, *pergit.*

676. *Rapit.* Paris. 8034, *agit.*

677. *Sic pronus aer.* Lectio in omnibus MSS. et plerisque vett. editt. habita. Primus Avantius *agger* intulisse videtur, quo ex fonte petitum non satis constat. Eum imitati sunt Vian. Gryph. Petr. Fabric. Commelinus; sed omnes alii *aer* anteposuere, non auctoritatum magis numero quam sensus præstantia commendatum (vid. quæ notav. p. 82). Badenius (1821) in textum *agger* revocavit. « Vulgo editur, inquit, *pronus aer,* qui si ventus est, ad Styga, non huc pertinet. » Et inferius addit : « Certe vento hauddum utitur Theseus, rate Stygia navigaturus demum v. 760. » Ex his patet Badenium *aer* non secus accepisse, ac si *ventus* scriberetur, quippe qui contendat Theseum Stygio tantum amne navigantem potuisse aere urgeri : nos autem, qui *aer* pro *arcana vi ætheris*, non pro *flante quodam vento,* accepimus, non miramur Theseum præcipitem aere rapi, licet in Styge nondum naviget, licet et inferius v. 704 idem aer dicatur *immotus* et iners. Quod demum objicit Badenius, scilicet non opus esse *aere* coactore, siquidem *ipsa deducit* via, non efficacius nobis videtur : nam aptissime duo possunt afferri a poeta quæ mortale genus in inferos præceps rapiant, nempe iter proclive, et vis ætheris arcana. Adde quod *aer* sic intellectum multo accommodatius sit poetico sermoni, quam sola et bis repetita devexi et proni tramitis imago.

679. *Immensi sinus.* MSS. et vett. edd. *immenso sinu*, quod propter sequentem ablativum, *placido vado*, spurium non immerito visum est. Gronovius, auctore Florentino, *immensi sinus* substituit.

687. *Luctifer bubo.* Alii, *letifer :* sic nonnulli MSS. Commel. et unus Minervæ Varsoviensisque Pulaviensisque Badenii.

691. *Tabido victu.* Fern. Isoard. Phil. et Pariss. codd. sexdecim, *rabido,* quod metrum non recipit magis quam *rapido,* in Pariss. 8030, 8034 et 8264 scriptum. Cæteroquin vulgata, quæ in Ægid. Ascens.

Digitized by Google

Avant. Vian. Gryph. etc. reperitur, sensu quoque præstat : Delrio, qu leges metri non curat, *tabido* tamen anteponit, ut significantius. « Moguntinus, inquit, et unus Venetus *rabido*. Cæteri *tabido* : melius; fames enim, quasi tabes, conficit. »

692. *Tegit*. Veteres impressi *gerit*. Mallet Delr. *tegens*.

694. *Aterque*. Pariss. Nostri 8024, 8027, 8034, *acerque*.

697. *Ferax*. Male Phil. et Burdegal. Delr. et quindecim Pariss. *tenax*. Vulgata tum sensus excellentia, tum vett. edd. Fern. Isoard. Ægid. Avant. etc. et MSS. Pariss. 8027 et 8262, auctoritate defenditur.

703. *Mundi ultima*. Propter repetitionem ejusdem vocis *mundo*, quod paulo inferius legitur, Botheus conjicit dedisse Senecam *in unda ultima Immotus aer hæret*. Laudet aut reprehendat hanc emendationem, qui sententiam sic compositam intelliget.

706. *Ipsaque morte*. Corrigebat Nic. Heinsius *ipsaque nocte*, quod vulgata debilius nemo non fateatur, quodque omnes libb. tum excusi, tum manuscripti suo consensu repudiant.

709. *Recessu*. MSS. cum Philol. *secessu*, repugnante metro : quorsus igitur Badenius (1821 et antea in Specim.) Claudianum et Plutarchum et Ovidium citavit, ut vulgatam tueretur? Badenius legum metricarum non multo curiosior nobis videtur quam Delrio (vid. sup. not. ad v. 691 in his Animadv.) : earum tamen decretoria est necessitas.

711. *Discors*. Voluit frustra Nic. Heins. substitui *dissors*; emendatione enim quid opus? — *Hinc uno*. Multi, inter quos Fern. Isoard. Ægid. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. etc. *imo* ediderunt. Monuit Delr. (1594) esse in Mogunt. *uno*, quod Gruterus probavit, repertum et in uno codice : jubebat quoque Heins. scribi cum clarissimo H. Grotio *hinc uno*. Occurrit præterea *uno* in Scriv. Farn. Thys. et recentioribus editoribus, et ante omnes in Philologo. In nonnullis, *vivo*, et notat Nic. Heins. ad Ovid. epist. Sab. I. 35, in Florent. legi *primo*. Anteponendum est *uno*, propter oppositionem cum *Discors*. Vid. nostram interpretationem p. 86.

712. *Alter*. In Ægid. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. *ater*.

714. *At hic*. Nonnulli, in quibus Delrio, *at hinc*; « male, ait Gruterus; *hic* enim diserte opponitur voci *alter* versus 712, tuenturque ipsam nostri omnes ».

717. *Adversa*. In duobus Commel. codd. *aversa*.

719. *Hoc umbris iter*. Both. emendat *hac u. i.* « quia, inquit, ipsa Plutonis limina non dici possunt *iter* seu via umbrarum ». Præstantem virum latuit, sæpe et elegantissime adjectivum pronominalem *hic* pro adverbio *hac*, vel *huc*, vel *hinc*, adhiberi. Istius modi *attractio* usitatissima est in poetis : sic Terent. Andr. act. I, scen. 1, v. 97 : « hoc illud est; Hinc illæ lacrymæ, hæc illa est misericordia. » Haud dissimiliter Virg. Æn. VI, 128 : « Sed revocare gradum superasque evadere ad auras, Hoc opus, hic labor est. »

720. *Hæc porta*. Paris. 8024, *hac p.*

Digitized by Google

721. *Digerit.* Duodecim Pariss. cum Mogunt. *dirigit,* in margine quoque edit. Petr. notatum, debiliori sensu.

722. *Recentes.* Paris. 8264, *nocentes.* — *Deo.* Florent. *dei.*

723. *Speciem.* Lectio Ægidio, Raphel. Commel. Grut. Heins. Scriv. et recentioribus editt. probata : Fern. Isoard. Philol. Ascens. Avant. cum plerisque MSS. *specimen.*

726. *Cujus aspectus.* Sic Fern. Isoard. Ægid. Delr. Bad. et tredecim Pariss. Prætulere *aspectum* Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric., etc. et inter recentiores Gronov. Bipont. Botheus, quibus favet Paris. 8027. Nobis nervosius videtur *aspectus,* quod, præter modo allatas editiones, Moguntinus, tres Veneti et Herbipol. Delrionis, Florent. Gronovii, Ultraject. Bothei, exhibent.

727. *Quidquid.* Paris. 8024, *quisquis.*

733. *Aditur.* Omnes MSS. et edd. vett. *auditur,* quod non facile intellexeris. Gronovius *auditor,* in veteri membrana scriptum et adnotatum a Grotio in libri sui margine, non improbabat; sed *aditur* in Florent. repertum anteposuit, notans hoc verbum fori Romani esse proprium. — *Foro.* Paris. 8026, *loco.*

734. *Audit.* Quidam Delr. MSS. *agit,* non ita male.

739. *Placide potens,* etc. Nic. Heinsius, vulgatam fastidiens, ut solet, sic hos versus mutabat : « Quisquis ast placitæ potens Dominusque vitæ servat innocuas manus, Et incruentum mitis imperium gerit, Pœnæque parcit. » Quam emendationem Badenius abunde refellit.

741. *Regit.* Botheus legendum censet *gerit,* ratus non latine dici *imperium regi.* De tuenda vulgata vid. p. 91 quæ notavimus.

742. *Animæque.* Multi præferunt *animoque ;* sic Isoard. Ægid. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Heins. Scriv. Farn. Thys. Sed vix intelligitur *animo parcit,* licet Delr. interpretetur *animum non contaminat crudelitate,* Grut. autem, *moderatur animo nec ei indulget.* Potius mihi videtur *animæ,* quod inventum in vetere libro laudat Lipsius, quodque sic explanat, *vitæ civium.* Hæc lectio in tribus Commelini, in Burdeg. et Egvian. et Eib. Delrionis, in tribus Gruteri, in Florent. habita, aptius cum reliqua sententia consonat; non tamen extra omnem reprehensionem est. Vid. p. 91, nott. ad verss. 740 et 742.

747. *Majore vestra.* Plerique MSS. et antiqq. libb. *nostra.* Quatuor Commel. et Etrusc. *vestra.* — *Certus.* Adeo friget ista Amphitryonis interrogatio, ut prope malim cum Moguntino interrogationem tollere et hæc omnia, ablegata Amphitryonis persona, Theseo tribuere.

751. *Sisyphia.* Isoard. Ægid. Gryph. Petr. Commel. et Raphel. *Sisyphea.*

753. *Alluit.* Omnes editt. ante Baden. et Both. *abluit :* recte Badenius (1798) *alluit* ex Ottoboniano et Nic. Heinsii sententia probavit; « aliter, inquit, aqua dicitur *abluere* corpus, scilicet illuvie, aliter *adluere,* i. e. stringere, quo modo mentum Tantali, ex fabula, adluit unda ». Secutus est Badenium Botheus : illis assentior, conspirante et MS. Paris. 8260.

759. *Terretque.* Paris. 8026, *tenetque.*

Digitized by Google

763. *Stupente ubi unda.* Lectionem secuti sumus in omnibus MSS. nostris, necnon in omnibus excusis ante Gronovium repertam. Quid ad latini sermonis elegantiam accommodatius quam hæc in unam tantum sententiam contexta verba, *stupente ubi unda, segne torpescit fretum,* unum et idem exprimentia? Quid reprehensione dignius quam eadem disjuncta et intercisa, *stupent ubi undæ : segne torpescit fretum,* quod Gronovius in Etrusco invenit? Id quidem usque eo tantummodo laudavit, ut « non pejus profecto quam cæteri » esse pronuntiaret; in textum tamen recepit. Baden. in Specim. *stupens profundo* anteponit, quia languidius illi videtur *ubi :* at nihil adversus Florentinam emendationem disserit; quin etiam in novissima editione (1821), eam admittit, tacita laudatione. Botheus, licet Badenio audentior, Gronovii lectionem non e textu removit; sed fatetur in adnotationibus « non placere asyndeton lectionis Florentinæ », nec dubitat quin inserenda sit copula, quæ in MSS. sæpe excidit : addit denique « bonam quoque esse antiquam lectionem *stupente ubi unda, s. t. fretum* ». Ex hoc rursus judicari potest, quanta et quam superstitiosa fuerit unius codicis reverentia, quum alii, propter eam, vulgatum ab omnibus locum et eumdem sensu optimum mutaverint, ut titubantia et male concisa substituerent, alii autem, cognito errore, antiquam et probabilem lectionem reponere tamen non ausi sint.

766. *Impexa.* Paris. 8055, *implexa.*

767. *Lucent genæ.* Sic plerique MSS. et vett. edd. Qui *genæ* non bene interpretati sunt (vid. quæ notav. p. 95), multum sudaverunt ut *lucent* mutarent; alii *squallent*, alii *livent*, alii *pallent* substituere. Both. ex Nic. Heinsio legendum contendit *lurent*, affirmans « maximas nugas agere, qui *lucent* mordicus retinent ». At quoniam in nullo auctore *lureo* invenire potui, malo nugari cum omnibus editoribus et librariis, quam cum Botheo indictam hactenus vocem usurpare textui vatis nostri intrudere.

769. *Onere vacuam.* MSS. et primariæ edd. *vacuus,* quod ferri possit. *Vacuam* primum occurrit in Avantio, quem Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raph. Commel. Delr. Grut. Heins. et cæteri imitati sunt.

770. *Repetebat umbras.* Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. et universi Pariss. codd. *undas* habent, manifesto errore. Lipsius ex suo libro *umbras* extulit, quod Gronovius quoque invenit in Florent.

774. *Ipso coactum.* Monet Pontanus MS. anglicanum, quem Cantabrigiæ inspexit, legere *proprio coactum*, quod laudat : hoc quoque Both. numerosius judicavit.

776. *Sedit.* Petr. in marg. *cedit*, quod referebat certe ad *gravior ratis.* Gronov. opinabatur scripsisse Senecam *sidit,* quod Both. admisit in textum, quasi necesse foret præsens tempus adhiberi, sequente præsente *bibit.* Scatent exemplis latini scriptores, quæ hanc opinionem refellant.

777. *Titubanti.* Sic Ascens. Gryph. Heins. Scriv. Farn. Thys. et recentiores, quibus addi possunt Fern. Isoard. Ægid. Delr. et MS. Paris. 8262, in quibus *titubante.* Quindecim Pariss. cum Philol. Avant. Vian. Petr. Fabric. Raphel. Commel. et Grut. *titubato.* Pariss. 6395 et 8026, *turbato;* 8055 et 8261, *titubando.*

Digitized by Google

778. *Victa.* Longe melius et significantius quam *vasta*, quod in MSS. et editt. ante Gronovium legitur : *victa* ex Florent. eductum est.

779. *Multo in bella.* Vett. edd. Fern. Isoard. Ægid. Phil. Ascens. Avant. cum undeviginti Pariss. *multo bella.* Lipsius voluit primus addendam voculam *in*, e vet. libro. Delrio in Lugdun. invenit *ad bella*, quod deinde in editt. Gryph. Commel. Grut. Heins. Farn. et Thys. fluxit : hoc quoque in MS. nostro 8264. Gronovius autem Lipsianum Florentini codicis auctoritate firmavit, atque Bipont. Both. et Baden. *in bella* edidere.

784. *Trina.* Multi, *terna.*

786. *Colubræ.* Alii, *colubri :* sed in vetustioribus, *colubræ*, feminino genere, quod scriptoribus latinis magis placet. — *Horrent.* Fern. et Ægid. *hærent.*

790. *Aure subrecta.* In MSS. nostris et vett. edd. *subjecta*, quod Lipsius mutavit in *subrecta*, non ex codice, ut putavit Gruterus, sed ex judicio tantum suo. Delrio Lipsianam emendationem laudavit. Gruter. quidem ejus conjecturam non damnat, quam uno suorum etiam confirmat, in quo *surrecta :* sed non audet rejicere lectionem antiquam *subjecta*, quia videntur apponi *comis sublatis*, *aures subjectas*, et canes soleant, ut ex longinquo sonum persentiant, auribus et oculis submissis eumdem quasi venari. Recte respondit Gronovius *subjicere oculos* vel *aures* non esse idem ac *submittere* vel *dejicere*, et *subrecta*, in Etrusco quoque scriptum, textui demum intulit.

792. *Antro sedit.* Nonnulli *cedit :* male; nam « si cessisset canis, ait Commelinus, Herculi, utpote fugato hoste, nihil erat timendum». At versu demum 804 *antro cedit.* Nic. Heinsius, absone, ut solet, *se dat* proponit, quod vix intelligatur. — *Incertus.* Paris. 8029, *invitus.*

793. *Uterque timuit.* De conjectura Bothei, vid. not. p. 98.

794. *Loca muta.* Ægid. *loca multa.* — *Totos.* Sic plerique MSS. et edd. vett. Primus Scriverius *tortos* intulit, operarum vitio, si Badenio credatur. Hæc tamen lectio in Thysii et Gronovii edd. transiit. Reposuit *totos* Jac. Gronovius. Nihil refero de *totus*, quod Fern. Isoard. Ægid. edd. et Pariss. 8026, 8035, 8037 habent.

797. *Feros.* Recepimus lectionem Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Jac. Gronov. Bipont. Both. Badenii, quam tuentur Pariss. 8030 et 8031.

801. *Rotat.* Ascens. et Gryph. in marg. *rotans.*

803. *Lassus.* Pariss. 8024, 8029, 8030, 8033, 8035, 8261, 8264, *lapsus.*

804 *Antroque toto.* Vid. not. p. 99.

805. *Uterque.* Multi MSS. in quibus nonnulli Delrionis et Varsov. Badenii, *utrumque* exhibent, quod referatur ad Cerberum et Herculem. — *Duci.* Volebat Nic. Heinsius *educi.*

807. *Tunc gravia*, etc. Metuens Both. ne hoc dici videatur de Plutone et Proserpina (propter antecedentia verba *munus Alcidæ dedit, duci jubet*, quæ ad Plutonem et Proserpinam spectant), scribi malit *Tum hic gravia :*

Digitized by Google

sed asperum est et inelegans *tum hic*, et sensus proximitasque vocis *Alcidæ* satis indicant ab eo, non ab inferorum dominis monstrum vinciri.

808. *Vincit.* Liber Pontani *vinxit.* Petr. notavit ad marg. *nectit,* quasi ambiguum sit *vincit :* sed quis necessitate sensus non moneatur *vincit* a *vincire,* non a *vincere,* derivari?

811. *Fassus.* Paris. 8029, *passus.*

814. *Lucis ignotæ, novos.* Plerique MSS. et vett. edd. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. *l. ignotæ, bonos.* Lipsius aut ex libris suis aut ex conjectura laudavit *l. i. bono,* sic interpretans : « Postquam Cerberus supera attigit, et lucis dulcedo ac bonum objecta sunt oculis, luctatur », etc. Delr. (1594) ad *bonos* rediit, nullo codice ab hac scriptura dissidente, nec requirente sententia, ut ad conjecturas et novationes abiretur. Post eum Gruterus apte et exquisite : «Ingeniose quidem, qui supponunt *lucis ignotæ bono.* Sed nonne constructio nimis coacta *nitor percussit oculos bono lucis ignotæ* videtur, tantoque magis quod respectu Cerberi lux potius tristis sit? » Gronovius Lipsianam emendationem probavit et duobus exemplis defendit, nempe Senecæ, epist. LXXIX, « adhuc non fruitur bono lucis », et Stat. Theb. VIII, 33, « jucundaque offensus luce profatur ». Sed censebat scripsisse auctorem *ignoto bono*, aut, per ἐπεξήγησιν, *ignotum bonum.* Attamen ex Rutgersii conjectura *lucis ignotæ, novos* textui intulit, jam ab Heinsio, Farn. et Thys. adoptatum, quodque recepit Schrœder sine annotatione. Baden. in Specim. scribi jubet *l. i. bono*, ut Lipsio placuerat, ut Florent. et unus Vatic. exhibebant, ut Paris. quoque noster 8025. Botheus, licet in contextu hanc ipsam lectionem adhibeat, monet in notis Wakefield. ad Lucret. II, 418, *ignotæ bonus* prætulisse, quod Baden. in edit. (1821) arripuit, ut venustissimum et verissimum. Nos autem nec conjecturam Wakefield. sequimur, quia non ita felix videtur *nitor bonus,* præsertim uno versu inter *nitor* et *bonus* interjecto, ut a vulgata recedamus; nec antiquam lectionem *bonos,* quia *bonos animos* languidum judicamus; nec *lucis ignotæ bono,* quia, sicut Gruterus, verborum compositionem non satis inaffectatam opinamur. Restat ut conjecturam Rutgersii amplectamur.

815. *Vinctus.* Ortelian. Raph. *victus,* quod et in Isoard. Ascens. Delr. Grut. et Heins.

816. *Victorem.* Gryph. Petr. Raphel. Commel. *vectorem.*

817. *Movit gradu.* Philol. et septem Pariss. *m. gradum.*

823. *Oborta nox est,* etc. Contendit Both. hunc versum cum sequenti non consentire. « Si enim, inquit, nox oborta est, cur statim ex oculis expulisse dicitur canis diem, qui nullus fuit? » Existimat igitur reprobatum fuisse a tragico versum, *oborta nox est,* etc. et hunc nonnisi uncinis inclusum admittit, quasi inutilem et importunum. Erravisse putamus Botheum, qui non viderit noctem Cerbero obortam ex ipso solis splendore, et hæc minime contraria, scilicet hinc nitor lucis aciem perstringens et caliginem offundens oculis, inde oculorum compressio,

Digitized by Google

ne hic molestus et gravis admittatur nitor. Quid mirum, si propter *obortam noctem*, Cerberus *diem invisum expellat oculis*, quum ex ipsa die nox illi oboriatur?

824. *Invisum*. Paris. 8262, *visum*.

825. *Aciemque retro flexit*. Botheus malit *faciemque r. flexit*, quoniam, compressis oculis, non est quod Cerberus aciem retro flectat. Id mihi falso dictum rursus videtur, quum Seneca omnes promiscue modos congerere potuerit, quibus tentat canis Stygius lucem declinare, nunc *lumina dans in terram*, nunc *comprimens oculos*, nunc *retro flectens aciem*, nunc *terram petens cervice*.

826. *Sub Herculea caput*, etc. Baden. (1821) vulgatam mutat, et *Herculeas umbras* ingerit ex Florentino, ut poeticum magis et Virgilii auctoritate commendatum, qui Æn. VIII, 538 : « Quam multa sub undas Scuta virum galeasque et fortia corpora volves! » Sed non fero *umbras Herculeas* pro *umbram corporis Herculei*.

840. *Quantus Eleum ruit*. In plerisque Pariss. et nonnullis edd. vett. *qualis*. Ascens. Gryph. Raphel. Commel. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. et recentiores, *quantus*, quod sensu præstat. Pro *ruit*, edd. Fern. Philol. cum quindecim Pariss. exhibent *currit*, quod salva metri lege recipi non potest. In Isoard. Ægid. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Scriver. Farn. Thys. et in Paris. 8031, *coit*, quod intelligi et tolerari queat. Sed Commel. in uno MS. optimo, et Grut. in antiquo Coloniensi scribi *ruit* monuerunt, hanc lectionem haud aspernati : inde illa in edd. Heins. Gronov. et cæterorum transiit; quam sequimur quoque, in Paris. 8030 repertam. Nihil disserimus de Baden. emendante in Specimine : « Qualis Elin commigrat ad Tonantem ».

842. *Hora noctis*. Voluit Gronov. ex Florent. subrogari *nocti*, et Both. hanc lectionem in textum admisit. Nihil Both. de vulgatæ mutatione in notis disputavit. Gronov. autem contendit dictum esse *longæ redit hora nocti* pro *longa redit hora nocti* (i. e. *nox fit longior*), more Veterum, quibus notum est diem tam hibernum quam æstivum et noctem tam æstivam quam hibernam fuisse duodecim horarum; ergo redire longas, non plures horas noctibus, quum acceditur ad hiemem. Optime hæc ultima Gronovius; sed non satis approbavit *longæ redit hora nocti* dici posse pro *longa redit hora nocti* : ista mihi videtur hypallage inusitatior et contortior, quam ut vulgatam mutare velim. Retineo igitur cum Baden. *longæ redit hora noctis*, interpretans *hora noctis* quasi diceretur *tempus noctis*, ut in Horat. lib. III, od. 13, v. 9 : « Te flagrantis atrox hora Caniculæ Nescit tangere. » Id. in art. poet. 302 : « Sub verni temporis horam. »

843. *Crescere et somnos*. Fern. Isoard. Ægid. ut Herbipol. et Veneti Delrionis, *crescere in somnos*.

846. *Et citi*. Fern. et octo Pariss. *cite*; 8025, *Scithiæ*; 8030, *Scythæ*. Nic. Heinsius malebat *exciti*, laudans ex Virgil. Æn. IV, 301 : « Qualis

Digitized by Google

commotis excita sacris Thyas, etc. » Sed, ut recte adnotavit Badenius, trieterica cum furore peragebantur, non autem Eleusinia.

847. *Attici... mystæ.* Paris. 6395, *Atticæ... nymphæ;* in eodem, superiori versu, *citæ* pro *citi.*

850. *Et longa.* Jac. Gronov. monuerat esse in Florent. *haud* pro *et;* quam lectionem veram judicat Botheus, quia ideo tantum umbræ sunt tristes, quod etiamnum longa vita non satiatæ fuerint. « Gratularentur sibi, inquit, si essent satiatæ. » Sed non attendit Both. sic hoc loco mortales exhiberi et depingi, quales fuere in ultimo spiritu et quasi in transitu ad mortem : opponuntur senes, vita satiati, et ideo tristes quod vita satientur, virginibus et ephebis et infantibus et omnibus illis, quicumque *meliore ævo* fruebantur.

855. *His datum*, etc. Paris. 8034, *h. d. s. munus, ne timerent,* optimum sensu; sed peccat lectio in metrum.

859. *Sentit.* In plerisque MSS. et vett. edd. *sensit.*

863. *Vacuæque nubes.* Petr. ad marg. *variæque n.*

866. *Potuit.* De conjectura Both. vide quæ notavimus p. 105.

874. *Carpit.* MSS. et edd. vett. *carpsit,* quod Gron. ex Etrusc. mutavit, temere forsan; sed parvi interest.

884. *Et qua sol*, etc. Opinatur Nic. Heins. scriptum esse, *Et qua sol medius tenens*, quod vix intelligi queat, vel *E. q. s. medius viæ.* Sed quid opus est conjecturis? præsertim quum per illas nihil vulgata et pridem recepta lectione lucidius elegantiusque subrogari possit.

886. *Alluitur.* Sic Petr. ed. et Paris. 8037; sic quoque Gronov. ex Florent. et Bipont. Both. et Badenius. Schrœder, qui Gronovii emendationibus tacitus plerumque assentitur, de reponendo *abluitur* (quod in MSS. et edd. vett. scribitur) hoc loco contendit, Traject. cod. auctoritatem afferens. Videtur nobis *alluitur* melius cum *longo Tethyos ambitu* quadrare.

891. *Jam nullus.* Isoard. *nam n.*

894. *Dilecta.* Paris. 8033, ut membr. Delrionis, *delecta.*

895. *Ultrice.* Multi *victrice,* ut in Florentino. Volebat Baden. (1798) hoc (*victrice*) in textum revocari : sed apte notat (1821) lectionem *ultrice* flagitari sequentibus verbis *pœnæ comes.* — *Adverso.* Phil. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. cum quatuordecim Pariss. *adversam.*

896. *Cecidit.* Sic plerique MSS. cum hoc glossemate, *pulsavit, percussit.* Nec reclamant grammatici, ut putavit Commelinus : nam prima in *cecidit* corripitur, quod probavit Gruterus versu 1037 ejusdem tragœdiæ *Gregem cecidi,* etc. et Juven. sat. III, v. 278, «Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit ». Amovenda igitur est lectio Fabric. Raphel. Commel. et Delr. qui *petivit* ediderunt.

898. *Nunc sacra patri*, etc. Botheus, ut « versuum ληκυθίων numerum minueret et insuave τὸ ὁμοιοτέλευτον *feram, colam* » tolleret, verba transponi jussit, hoc modo : «Patri feram nunc victor et superis sacra,

Digitized by Google

Cæsisque », etc. Jam diximus Botheum in æstimanda numerorum dignitate nobis subtiliorem videri.

903. *Adsit.* Pariss. 8029, 8030, 8031, 8033, 8035, *adsis.*

909. *Indorum seges.* Castigabat Withofius *Indorum genus.*

911. *Exundet vapor.* Alii *exsudet.*

914. *Adorabit.* Paris. 6395, *odorabit.*

915. *Tu conditores.* Omnes membranæ et edd. vett. *dii conditores*, manifesto errore. Gronov. ex Florent. locum restituit.

916. *Antra Zethi.* In membranis aut *Ceti* aut *Tethi* legitur, quod Delrio (1576) mutari jussit in *Zethi* : « Si quis, inquit, contendat *ceti* retinendum, et cum Badio et Bernardino interpretetur draconem Dirces custodem, exspecto me doceat alibi *cetum* pro dracone poni, quod vereor, ut probare possit. » — *Nobilis Dircen aquæ.* Sic Gronov. ex Etrusco, Bipont. Both. et Baden. In tredecim nostris et in plerisque vett. edd. *nobiles Dirces aquas.* Philol. et Ascens. cum sex Pariss. *nobilis Dirces aquas.* In MS. 6395, *tu Dirces aquas*, quod Florentinam lectionem *Tu conditores* confirmat.

917. *Laremque regis advenæ.* Alii *laremque regis qui advenæ.* Vetus Lipsii *Laremque regis advenæ.* — *Coles.* Vetus Lipsii *colens*, quod in Scriv. Farn. et Thys. scribitur. Multi, *colis.*

924. *Genitor tuos.* MSS. Commelini *tuus*, quod in Ægid. Ascens. et Petr. ad marg. legitur et quod Badenio non displicet.

928. *Æther.* Malit Nic. Heins. *æquor;* male (vid. quæ notav. p. 113).

937. *Si quod etiamnum est.* Sic Phil. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. et omnes recentiores; sic MSS. Pariss. 8030 et 8037. Fern. Isoard. Ascens. cum MSS. 8261, 8262, *si quod etiam est*

940. *Cinxere.* Paris. MS. 8034, *tinxere*, ut Delr. Moguntin.

941. *Quis diem.* Isoard. Ascens. Avant. Gryph. Petr. Fabric. Delr. *Quid diem.*

944. *Diurnæ.* Petr. in marg. *diurnum.* — *Noster.* Paris. 8025, *nostri*, quod referri potest ad *cœli.*

946. *Iraque totus.* Paris. 8024, *iraque motus.*

948. *Rutilat jubam.* Sic viginti, i. e. universi Pariss. codices, nisi quod 8055 *jubas* pro *jubam* exhibeat : sic quoque MSS. omnes Commel. et plerique Badenii : sic et vett. edd. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Vian. etc. Lipsius primus locum conjectura emendavit et legit *rutila jubam Cervice jactat*, quod Raphel. Heins. Scriv. Farn. Thys. Gronov. Bipont. et Baden. in Specimine adoptaverunt. Respondit aptissime Delr. (1594) « *rutilat* probam esse vocem ; . . . *rutilare* leonem ut sidus » ; et sic edidit, verba interpunctione distinguens, *et rutilat, jubam cervice jactans*, quo nihil lucidius. Gronovius, licet Lipsii conjecturam admittat, adnotat tamen rectius ante Lipsium editum *rutilat jubam Cervice jactans :* sed putat *rutilat* posse activo more usurpari pro *crispat*, quod Schræd. magnopere laudat, dicens non leonis esse *colorare* jubas; quasi necesse sit *jubam* ad *rutilat* referri ! (vid. quæ notav. p. 114). Both. et Badenius,

Digitized by Google

tum in Specimine, tum in edit. (1821), *rutilat* probavere, sed acceptum neutraliter et a *jubam* separatum ut voluerat Delrio, quod quidem omnem loci difficultatem tollit : conjecturam enim ideo tantum adhibuerat Lipsius, quod *rutilare jubam* non posset interpretari.

951. *Et verni.* Pariss. 8025, 8030, 8031, 8034, 8035, 8055, 8264, ut Delrionis Moguntinus, *et iterum.*

957. *Dignus Alcidæ.* Legit Nic. Heinsius *Alcida*, quasi cum genitivo male jungeretur *dignus.* Attamen Plaut. Trin. act. V, scen. 2, v. 29 : « Non ego sum salutis dignus? » Vid. et Phædr. IV, 19, v. 3.

963. *Una vetante. Recipis,* etc. In Pariss. 8024, *una vetante recipi, et reserat;* in 8026, *unà vetante recipi : sed reserat;* in 8264, *u. v. recipit; resera p.* Metrum ut servetur, vulgatæ adhærendum.

964. *Traho.* Quinque Pariss. *traham.*

968. *Feram.* Alii, inter quos Farn. et Thys. *traham*, de quo optime Botheus : « *Traham*, quæ Delrii est emendatio, probata a Nic. Heinsio ad Ovid. Heroid. VI, 88, et per se non est malum, et potest esse a Seneca profectum; sed habuimus modo *traho* ».

972. *Positus.* Conjectabat Nic. Heinsius *oppositus.* — *Gradu.* Paris. 8036, *loco.*

973. *Mittetur.* Avant. Vian. Petr. Fabric. Raphel. Commel. *mittatur.*

976. *Arma pestiferi.* Septemdecim Pariss. cum Fern. Isoard. Ægid. Avant. Vian. Philol. etc. habent *pestifera.* Ex Ascens. Delr. Heins. Scriv. Farn. et Thysio, Gronovius et recentiores *pestiferi* assumpserunt.

980. *Macetumque Tempe.* Omnes MSS. et edd. universæ ante Gronovium habent *marcentque Tempe*, de qua lectione Gronovius : « Non Tempe profecto, sed sensus hic marcet. Ocius rescribe ex optimo libro *Macetumque Tempe* ». Gronovii lectionem recepimus, ut simpliciorem; sed sensu non caret vulgata, et ea forsan reponi possit, ut quæ omnium MSS. et edd. auctoritate innitatur et ingenio Senecæ minime repugnet. Putat Hercules universitatem mundi et rerum turbari naturam : labant solidissimi atque altissimi montes, marcescunt valles lætissimæ; nam, ut soliditas et altitudo montibus, sic vallibus propria amœnitas florendi. Adde quod Tempe cæteras valles jucunditatis fama longe antecellant, nec minus prodigiosum videri possit, si marcescant loca illa perenni viriditate insignia, quam si labent montes et contremiscant. Ex hac interpretatione hoc unum inferre velim, non fuisse Gronovio locum, vel meliorem lectionem adhibenti, vulgatam irridendi ut absonam et contemnendi sensus.

981. *Horrendum Mimas.* Fern. Isoard. Ægid. cum Paris. MS. 8034, *horrendum minax;* Phil. et sex Pariss. MSS. *horrende minans;* Ascens. et sex quoque Pariss. *horrendum minans.* Occurrit *Mimas* primum in Avantio; deinde in Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Heins. Scriv. et recentioribus.

983. *Adustas.* Ingeniosissimus Nic. Heinsius, ut vocat Badenius in Specimine, conjicit *adesas.*

Digitized by Google

985. *Vallata.* MSS. Pariss. 8027 et 8029, *velata.*

988. *Inviso.* Censet Gronovius scripsisse auctorem *invito,* ut in verbo sit acumen : «Solent enim volentes gaudentesque patres recipere liberos, a quibus separati fuere; at vos ille recipiet ingratiis, quippe quos superesse mallet et genus propagare et patrem ulcisci.» Mirantur hoc *acumen* Baden. et Batheus. Nos contra putamus vulgatam longe meliorem esse, propter hoc ipsum quo Gronov. Baden. et Both. ad improbandam inducuntur : Herculem enim furentem minime decent *acumina* et argutæ sententiæ.

989. *Excutiat.* Vet. codex Delr. et edit. Ascens. *excutiet.*

991. *Herculea. Quo se,* etc. Mogunt. Delrionis, Ultraject. Both. et Pariss. nostri 8034 et 8035, tollunt *Herculea,* et versum sic componunt, *Quo, nate, sic se cæcus,* etc. quod merito Both. interpolatione factum pronuntiat. — *Impegit.* Plerique *invergit,* quod languidum nemo non fateatur. Paris. 8025, *immergit,* acriori sensu. Sed præstat dictionis salubritate *impegit,* quod Lipsius et Gronov. in suis codd. invenerunt.

993. *Stridet.* In Avant. Vian. Petr. Grut. *stridit,* quod Commelin. quoque in libb. vett. legi monuit.

996. *Omnesque latebras.* De conjectura Both. substituentis *latebris* vid. not. p. 120. Falso quoque Gronov. legi volebat *Omnem e latebris.*

999. *Aula.* Emendat Baden. *valva,* quasi non posset intelligi *aula :* sed non reputavit *aula* sæpe pro *regia domo* usurpari. Propter hoc repudianda Badenii conjectura, necnon propter vocabuli insolentiam, ut adnotavit Botheus : nam raro *valva* singulari numero adhibetur, quanquam Badenius Petron. c. 96, et Propert. II, 23, 13, et Pompon. apud Nonium I, 69, invocet.

1001. *Perlucet.* Hanc elegantissimam lectionem Gronov. ex Florent. desumpsit. Ante illum, in omnibus edd. *procumbat,* quod in MSS. legitur. Desiderat Schrœd. priscam illam lectionem, quæ certe posset reponi, non ut sententiæ aptior quam Florentina, sed ut probabilior MSS. et editionum concordia.

1005. *Dextra precante.* Lectio hæc est Florentina, quæ vix præstat vulgatæ *dextra precantem;* hanc reposuissem, si aliter verba sociarentur, *precantem dextra rapuit,* unde liqueret *dextra* ad *rapuit,* non ad *precantem* referendum. Non mihi displicet *dextram precantem,* quæ in Ægid. Philol. et Pariss. 8024, 8025, 8026, 8031, 8260, 8262, 8264. Sed his omnibus rectius est, quod in Pariss. 8034 et 8037 reperio, *dextram precantis.*

1007. *Tecta... madent.* Avant. Vian. Petr. Fabric. Delr. et MS. 8029, *terra... madet.*

1009. *E latebris.* MS. 8055, *in latebras.*

1012. *Aut latebram.* Plerique MSS. et vett. edd. *latebras.*

1013. *Infenso.* Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. cum Delrionis, Pontani et Gronovii libris, *infesto,* quod in textum revocavit Botheus. *Infenso* tamen (ab Avant. Vian. Gryph. Petr. etc. editum) sententiæ accommodatius nobis videtur, ut quod pro *hoste, inimico,* melius quam

Digitized by Google

infesto dicatur. *Infestus* est qui malum infert; *infensus*, qui malum minatur et parat. «Differt *infensus* ab *infestus* (ait Forcell. in lexic.) quia *infensus* est vehementer iratus, *infestus* vehementer molestus.»

1018. *Teneo novercam.* Antiqui codices, *renuo novercam;* sed monebat Delr. (1576) *teneo novercam* in pluribus deprehendi, et sensu prævalere. *Teneo* quoque in lib. Lipsii, et in Commelini MSS. melioris notæ, et in Venet. et Herbipolens. Delrionis. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Commel. cum novem Pariss. habent *renuo;* sed Raphel. Delr. Scriv. Farn. Thys. et recentiores, cum Paris. 8027, exhibent *teneo.*

1020. *Monstrum occidat.* Hoc Gronovius in locum vulgatæ, *monstrum auferam,* substituit, e Florent. cod. eductum: præstat simplicitate sensus lectio Florentina; sed vulgatam, ab omnibus editoribus prius receptam et omnibus MSS. defensam, cæteroquin intellectu facilem, mutare forsan non debuit Gronovius.

1021. *Fundes.* Duodecim MSS. Pariss. et edit. Petr. in marg. *fundens.*

1023. *Eripuit timor.* In plerisque vett. edd. *rapuit.*

1025. *Corpori trunco.* Ægid. *corporis t.*

1026. *Nimis.* Scribebant olim nonnulli *nefas.*

1030. *Converte.* Fabric. *everte.*

1032. *Senior.* Convenientius quam vett. edd. Fern. Isoard. Ægid. Phil. et MSS. omnes, in quibus *genitor.* Ediderunt *senior* Ascens. Raphel. (ex vetere Lipsii libro, et ejus opinione) Heins. Gronov. Bipont. et recentiores.

1038. *Et Argos.* Volebant Nic. Heins. *at Argos,* et Gronov. *ad Argos,* inutili et inconsulta emendatione.

1043. *En video.* Badenium sequor qui sic locum edidit (1821). Omnes ante illum *an video,* excepto Ægidio, qui edidit quoque *en video,* elegantius quam *an video.*

1046. *Ad terram rait.* Nic. Heins. *ad t. fluit*

1051. *Gravi.* Antiqq. edd. et MSS. *gravis:* Ascens. tamen et Etrusc. cod. *gravi,* quod melius nobis videtur.

1064. *Solvite, Superi.* Monuit Gronov. esse in Etrusco, *Solvite, o superi,* quod Baden. (1798) in uno Christinæ quoque inventum reponendum pronuntiabat: sed in edit. (1821) Florent. lectionem jure amovet, ut metro contrariam. Both. autem putat scripsisse auctorem, «Solve a tantis animum monstris, solvito! Superi, rectam», etc. Quasi non potius sit vulgatæ adhærere et Florentinam lectionem repudiare, quam propter hanc servandam plura mutare verba, et repetitionis elegantiam corrumpere, *solve, solvito!*

1066. *Laborum.* Sic Avant. Vian. Gryph. Petr. Raphel. Commel. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. Bipont. Baden. Alii *malorum,* quod possit substitui, et forsan significantius est: sed parum refert, præsertim quum sæpe usurpetur *labor,* ut optime adnotavit Gronovius, pro malo quo corpus animusve laborat.

1068. *Volucer.* Sic plerique editores et cod. Paris. 8026. Botheus qui

Digitized by Google

in Ultraject. suo invenit *volucre* (sic quoque Petr. in marg. Fabric. et MSS. Pariss. decem), vellet hoc posse in versum recipi; sed adversatur metrum. Conjicit igitur scripsisse Senecam *volucris matris genus Astrææ*, quo nihil infelicius excogitari potuit.

1075. *Lenisque fove.* Avant. Vian. Petr. Gryph. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. et MSS. Pariss. 8030 et 8262, *foves*, quod sententiam debilitat et prope nullam facit. Scaliger voluit legi *fovens*, non multo melius. Gronovius lectionem Florentinam laudat, quæ ita habetur: « Qui par regi famuloque venis, Pavidum leti genus humanum Cogis longam discere mortem; Placidus fessum lenisque fove: Preme devinctum », etc. Hanc versuum transpositionem rectam ille judicat, modo juves scribendo *cogens* et *fovens*. Admittit transpositionem Baden. (1821), sed *cogis* et *fove* servat, ratus « per asyndeta precationem fieri ardentiorem ». Hæc omnia præpostere agitari opinor; nam optima est vulgata et facillima intellectu. Acute Botheus: « Nobis errasse in hac versuum trajectione librarius Florent. videtur, propterea quod quem volumus *placidum lenemque fovere* ægros, eumdem simul precari, ut eos *premat torpore gravi*, parum convenit. Recte igitur vulgati libri, in quibus hæc separantur: cæterum bene Florentinus *fove*, in quo assentientes habet edd. Fernandi, Caietani et Ascensii; bene item *devinctum*. Sententia sic explicanda: O Somne, quoniam et interdiu et nocte ad procurandam requiem venis regi pariterque servulo, ideo jam Herculem quoque fessum fove placido amplexu! Et quoniam tu idem is es, qui mortem doces homines, nunc torpore gravi, qui morti similis est, devinctum preme! Ita hæc ex se nexa ». Editionibus Fern. Caiet. et Ascens. adde Isoard. Philol. et quindecim Pariss. MSS.

1077. *Longam mortem.* Douza filius in notis ad Catullum legendum conjicit *long. noctem*, quod Botheo elegans et fortasse verum videtur. Gruterus tamen aptissime notaverat « quum somnus censeatur mors brevis, haud male dici eum assuefacere nos longæ illi morti et perpetuo dormiendæ ».

1078. *Devinctum.* Sic Ægid. Baden. et Paris. cod. 8032.

1089. *Sed, ut ingenti.* Ellipsis Botheo ita displicet, ut locum pro corrupto habeat, et reponi jubeat *velut ingenti*. Ingeniosa quidem, sed inutilis emendatio. Vid. quæ notavimus p. 128.

1094. *Vel sit.* Fern. Isoard. Ægid. *sed sit.*

1103. *Victrice.* Nic. Heins. malebat *ultrice*. Vid. quæ notav. p. 130. — *Vastos.* Nic. Heins. *istos*, infelici conjectura.

1105. *Regina poli.* In multis MSS. Mogunt. Etrusc. et quinque Pariss. legitur *regia poli*, quod recipi metrum non patitur. *Regina p.* exhibent Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. necnon cod. Paris. 8027. Acute conjicit Both. ortam alteram lectionem ex usitato scribendi compendio. Baden. ex conjectura Withofii legendum pronuntiat *regia populi*, quod reciperem, si vulgata sensu aut latinitate laboraret.

Digitized by Google

1107. *Latitans.* Paris. 8026 *latrans.*

1109. *Latique.* Sic Fern. Isoerd. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Delr. Baden. et Etrusc. et Vossian. et Schrœd. Traject. et universi Pariss. libri. Hanc tamen lectionem amovere Raphel. Commel. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. Gronov. Bip. Both. et substituerunt *lateque,* vana et infelici emendatione.

1115. *Decus ac telum.* Nic. Heinsius emendabat *decus assuetum;* frustra.

1117. *Pharetræque graves.* Hanc lectionem ex Florent. desumptam intulit Gronovius, quia magis convenit Herculeis viribus, ut choro pharetræ videantur *graves,* quam *leves* (sic enim MSS. et vett. edd.).—*Sæva fero.* MSS. aut *sera,* aut *fera* plerique exhibent, necnon vett. edd. Gruterus et Both. *sera* vellent reponi, quia sequitur mox *sævo vulnere.* Adhæreo nostræ lectioni, ut ad sententiam aptius accommodatæ.

1120. *Duris oneret.* Gronov. conjiciebat *duris urat,* quod non probabile judicaremus, etiam si necesse foret vulgatæ mederi. Vid. quæ notav. p. 132.

1123. *Sævo vulnere.* Mogunt. Delr. Ultraject. Both. et Pariss. 8024 et 8035 *sævos.* Vid. quæ notav. p. 133.

1125. *Flectere docti.* In quibusdam MSS. *flectere forti fortes cæstu.* Sic undecim Pariss. et edd. Ægid. Philol. Ascens. et Petr. ad marg.—Delrio vulgatam assensione sua confirmavit.

1127. *Scythici leve coryti.* Nihil de libris dissero, qui *Corinthi* aut *Goryti* habent. Sed jussit Gronov. scribere cum Florent. *Scythicis leve corytis Missum certa librare manu,* quod Both. probat et hoc Troad. loco confirmat, v. 930 : « Arcis an celsæ edito Mittenda saxo? » Scilicet interpretatur Florent. lectionem, quasi *Scythicis corytis* ad *missum* referatur, quod non potest ferri; nam, ut aiebat Baden. (1798), « tela non emittuntur pharetra, sed arcu ». Ipse tamen Baden. in edit. (1821) *Scythicis corytis* recepit, forsan ad *leve* referens (*leve Scythicis corytis* pro *quod Scythicas pharetras non gravat*). Fateor Etrusc. lectionem, hoc sensu acceptam, mihi non displicere : sed quid opus est emendatione, quum nihil vulgata lucidius et latinius excogitari queat? Nec te torqueant sequentia *missum certa librare manu,* quæ usitatissimo schemate dicuntur pro *librare et mittere certa manu.*

1134. *Furor; ite.* Withofius, ut metrum servaretur, sic versus invertebat : « Patriusque furor : noti per iter Triste laboris ite, iratos Visite reges : ite infaustum Genus, o pueri ». Sed recte adnotavit Baden. nonnunquam brevem syllabam in inciso produci, ut in Troad. 135 : « Bis pulsata Dardana Graio »; et in Octav. 311 : « Pulsata freta fertur in altum. »

1135. *Per iter.* Nonnulli Pariss. *pariter.*

1136. *Laboris; ite.* Ultima syllaba in vocabulo *laboris* producatur oportet, ut metri servetur integritas. Vid. sup. in his Animadv. quæ notav. ad vers. 1134.

Digitized by Google

1137. *Visite.* Mogunt. Delr. Ultraject. Both. et octo Pariss. *visere.*

1143. *Prostrata domo.* Lectionem depravatam judicat Botheus, quod non *prostratam domum*, sed prostrata Megaræ et Herculis liberorum corpora poeta memoret, et tamen *prostrata* longa finali syllaba, quam versus requirit, ad *domo* necessario referatur : unde infert legendum *prostrata a domo,* i. e. ante domum. Nos vero interrogamus, cur ad *domo* non possit referri *prostrata?* nonne dixit Hercules v. 997, *Cyclopea eversa manibus saxa nostris concidant?* etc. Et mox, eversa domo, *Perlucet omnis regia?* Si furore amens Hercules et suos interfecit et tecta disrupit, quid est cur ab insania recreatus non utrumque miraretur?

1146. *Oberrat oculos .... meos.* Florent. *oberrat oculis .... meis*, quod elegantissimum haud diffitemur.

1147. *Paveo : nescio quod.* Both. edidit *paveo nescio quid*, et sane in multis MSS. et edd. Fern. Isoard. Ægid. *quid* pro *quod;* sed longe nobis præstare videtur, quam adhibuimus, dispositio.

1151. *Abiit.* Pro *abit*, quod metrum requirit. — *Tegimen.* Alii *tegmen* (scilicet Fern. Isoard. Ægid. Phil. Ascens. Avant. etc. et undecim Pariss.). *Tegimen* in Pariss. 8030 et 8031, necnon in edd. Heins. Scriver. Farn. Thys. et recentiorum.

1157. *Exsurge, victor.* Gronov. ex Florent. extulit *exsurge, virtus*, quod valde laudavit, multis exemplis approbans *virtutem* pro *viro forti* non semel dictum, nec inusitatam hanc verborum conjunctionem, *virtus quem;* scilicet referri *quem* minus ad *virtus*, quam ad hominem qui *virtus* nuncupatur, qui sub nomine *virtutis* intelligitur; cæterum posse locum sic dispungi : «Exsurge, virtus! Quem novum cælo pater Genuit relicto, cujus in fœtu stetit Nox longior, quam nostra?» Lectionem Florentinam, sed ablegata Gronovii interpunctione, arripuerunt Badenius et Botheus; Baden. in edit. tantum (1821); nam in Specim. (1798) legi jusserat *Exsurge, virus*, faceta et quæ merito risum moveat, emendatione. Nos vulgatam retinuimus, simpliciorem, ut putamus, et probabiliorem.

1158. *Cujus in fœtu.* Ante Gronovium legebatur *incestu*, quod Herculem de procreatione sua loquentem omnino dedecet.

1167. *Ruat ira in omnes.* Nonnulli *r. ira in hostes;* at inelegans prorsus ter repetitum vocabulum, *hostes, hostis, hostem.*

1168. *Victor Alcidæ, lates?* MSS. Pariss. 8029 et 8261, edd. Fern. Isoard. Ægid. *latens*, sine interrogatione, *v. A. latens, Procede.*

1170. *Geryonæ.* Sic vetustiores Commel. MSS. et Etruscus et tres Pariss. 8026, 8055, 8262.

1175. *Differte fletus.* Conjiciebat Nic. Heins. *Referte jussi :* Baden. in Spec. *Deferte; telis quis*, etc. Gronovius invenit in membranis antiquissimis *defer tellus.* Hæc omnia facile vincit vulgata, ad quam tuendam affert Baden. (1821) quæ Quinctilian. Declamat. XI extrem. scripsit : *Si quis est pudor, oculi differte lacrymas, abite gemitus.* Vid. nost. editionem, Vol. V, pag. 260. Ed.

1180. *Numquid Argivæ impotens.* Plerique MSS. et vett. edd. *potens.*

Digitized by Google

Gronov. ex Etrusco substituit *impotens*, quod indignantem Herculem magis decet.

1181. *Infestum Lyci Pereuntis.* Nonnulli, inter quos Avant. Vian. Phil. et Scriverius, edidere *infestum mihi Parentis*, quod multi habent MSS. et, ut de nostris tantum dicamus, decem Pariss. Scaliger hanc lectionem defendit, interpretans *urbis mihi Parentis agmen*, i. e. Thebarum, quod non improbabile nobis videtur : sed alteram lectionem plures commendant libri et interpretandi facilitas. De *pereuntis Lyci* pro *occisi Lyci*, vid. quæ notav. p. 138.

1182. *Clade nos tanta.* Ascens. *vos*, ut Pulaviens. MS. in Badenio. Anteponendum *nos;* venit enim Hercules in partem malorum, quæ suis incumbunt.

1193. *Hic errat scelus.* Unus vetustus Delr. et edit. Ascens. et Petr. ad marg. *hic erat.* Paris. 6395, *hæret;* melius quidem quam *erat*, sed languidius vulgata. *Errat* eodem sensu dicitur, quo in Thyest. 473, *errat dolus.*

1195. *Leto, tincta.* Vult Botheus locum sic interpungi : « Quid illa puerili madens Arundo leto? Tincta Lernæa nece Jam tela video nostra. » Ingeniose quidem : sed, sic dispositis sententiis, desideratur illa oppositio *puerili leto madens, tincta Lernæa nece.* « Qui fieri potest, ait Hercules, ut illa arundo, Lernæ quondam tincta sanguine, nunc puerili cruore madeat? » Friget *tincta Lernæa nece* ad sequentia detortum, præsertim quum voci *tela* adjiciatur epithet. *nostra.*

1197. *Quis potuit.* Sic Philol. Avant. Petr. Alii, ut Fern. Isoard. Ægidius, ediderunt *quæ potuit.* — *Aut quæ dextera.* Grut. Heins. Scriv. Farn. et Thys. *aut quis.*

1198. *Vix recedentem.* Plurimæ sunt hujus loci lectiones, quum alii *Vix cedentem*, contra legem metri, alii *pæne cedentem*, vano sensu, suppeditent. Both. edidit *justa cedentem*, quod vix intelligitur. Servandum *recedentem*, cujus facilis est et obvia interpretatio. Vid. quæ notavimus p. 140.

1202. *Parte ab omni.* Conjicit Nic. Heins. *arce ab omni.*

1205. *Flammasque.* Alii *flammas.* Etrusc. et sex Badenii MSS. *flammasque.*

1207. *Atque ales avida.* Paris. 8036, *atque alites avidæ.*

1209. *Abruptum latus.* Mogunt. *abruptum*, ut nostri 8033 et 8261. Fern. Philol. et Pariss. 8030 et 8035, *obrutum.*

1212. *Distendat.* « In vetustis, ait Commelinus, *distentat.* » Sic quoque Pariss. 8027 et 8055, et Ascens. editio. MSS. 8024 et 8034, *distentet;* 8032, et 8262 *discindat.*

1213. *In se coibunt, saxaque.* Scaliger emendabat *in se coibunt saxa, quæ.* Hanc lectionem Gronovius recepit. Sed friget *quæ*, ut recte adnotavit Baden. Servanda igitur vulgata, sive de manibus Herculis, sive de Symplegadibus dicatur *coibunt.* Fatendum tamen Scaligero favere editt.

Digitized by Google

Fern. Philol. et Scriv. Sed *saxaque* Isoard. Ægid. Ascens. Avant. et quindecim Pariss.

1214. *Actis.* Fern. Ægid. Ascens. ut in Mogunt. *arctis.*

1215. *Ego inquieta.* Scalig. *e. in quieta*, de quo vid. Gronovii not. in hac ipsa nostra edit. p. 142.

1217. *Cremo.* Sic Isoard. Philol. Ascens. etc. et Pariss. 8027 et 8037. In Fern. Ægid. Avant. et in novem Pariss. *cremem.*

1219. *Attonito.* Sic Ascens. et recentiores. Fern. Isoard. Ægid. Philol. cum Pariss. omnibus *attonitum*, quod forsan simplicius videatur, et reponi possit. — *Caret.* In Paris. 8030, ut in Ultraj. Bothei, *carens.*

1220. *Habet proprium.* Paris. 8026. *h. pronum.*

1221. *In se ipse sævit.* Nonnulli codices *furit*, quod ut, salvo versu, recipi posset, Lips. et Delr. scribi jusserant, *furit, o dira.* Sed optima est vulgata. Attamen *in se ipse furit*, in Phil. Petr. ad marg. et Pariss. 8024, 8028, 8029, 8055, 8261, 8264.

1225. *Tartari ad finem ultimum.* Paris. 8033, *ultimi.*

1232. *Ac tuis stipes.* «Forte, inquit Gronovius, *hic tuis stipes.*» Baden. quoque in Specim. conjiciebat *at tuis stipes.* Ego contra necessariam judico copulam *ac*, ne arma inter quatuor filios dividi videantur. Vid. quæ notav. pp. 143 et 144.

1235. *Infaustas meis.* Quum Gronovius locum non intelligeret, sic emendari volebat: «Vos quoque infestas meis Cremabo teneris, et novercales manus.» Sed quis ferat *meis teneris* pro *meis filiis?* Schrœderus recte hanc infelicissimam emendationem improbavit; sed non felicior nobis videtur in interpretanda vulgata: nam opinamur non posse dici *cremare telis* pro *cremare igni ex telis accensis facto.* Baden. in Specim. ex Angelico codice scribebat «Vos quoque infaustas meis Cremabo tædis», quod quidem a Both. laudatum nobis non ita displiceret, si commodius intelligi posset *meis tædis.* Denique idem Baden. (1821) contendit præpositionem *cum* subaudiri, *vos cum meis cremabo telis*, quod mihi propter insolentiam suspectum videtur. Nostra autem interpretatio (vid. p. 144), ut latinis verbis accommodatior, sic melius sententiis respondet, quas jam de re eadem congessit Seneca, scilicet tela Herculis hucusque gloriosa et plectendis tyrannis devota, uno jam dexteræ scelere inquinari (sic sup. vv. 1100, 1103, 1104, 1110, 1116, etc.). Ideo Alcides manus suas *novercales* appellat, quod illæ armis Herculeis ad ea polluenda usæ sunt, ut noverca Juno Herculea virtute ad eam dedecorandam.

1237. *Errori addidit.* Alii *dedit* (Plerique MSS. et edd. Fern. Isoard. Ægid. Fabric. Delr. Heins. Scriv. Farn. Thys.). Alii *indidit* (Avant. Vian. Gryph. Petr. Raphel. Commel.). Philol. Ascens. Grut. et recentiores, cum Herbipol. et Egvian. Delr. *addidit.*

1240. *Non sic.* In Fabric. *num sic.* — *Furore cessit.* Avant. Vian. Petr. Delr. *furori.*

1243. *Reddi.* Membran. Delr. et Pariss. codd. 8024 et 8030. *reddc.*

Digitized by Google

1245. *Mortis inveniam viam.* Gruterus substituebat *m. inveni viam*, in uno codice repertum, « ne aures raderet illa repetitio ». Fastidiosior et inutilis emendatio. Phœniss. 5 : « Melius inveniam viam Quam quæro solus. »

1247. *Altorem.* Plerique MSS. nostri, ut Mogunt. Delrionis, *auctorem :* sic quoque Fern. Isoard. Ægid. Philol. Sed *altorem*, quod sensu præstare mihi videtur, in Paris. 8037, in Ascens. Avant. Gryph. Petr. Fabric. et multis aliis invenio. MSS. 8028 et 8035, *actorem.*

1250. *Lapsæ.* Nonnulli MSS. *lassæ*, ut solet. Nic. Heins. conjiciebat *quassæ*, quia, lapsa domo, firmamen esse non poterat; et ob hoc idem Both. *lassæ* malebat. Sed optime adnotavit Baden. in Specim. et in edit. (1821) *lapsæ* dici pro *lapsuræ :* sic Pœniss. 71, « hic rapax torrens cadit Partesque lapsi montis exesas rotat » ; et 147, « noxias lapso vias Cludes? » Troad. 625 : « turre, lapsis sola quæ muris manet. »

1251. *Unum lumen.* Legit Heins. *unum columen.*

1254. *Aut monstra.* Pontanus in Basiniano libro pro *monstra* invenit *terram*, quod quum respueret versus, *terramve* conjecit. Hanc lectionem laudavit Botheus, quoniam *dubium mare* et *monstra* vix recte opponi videntur. Sed quid in terra timebat Amphitryon præter tyrannos et *monstra ? — In toto furit.* Nonnulli MSS. et edd. Avant. Vian. Gryph. Petr. Commel. *fuit*, languidius quam *furit*, in lib. Basin. et multis MSS. habitum.

1255. *Aut aris nocens.* Raphel. in nonnullis invenit *armis nocens;* quod repudiavit Gronovius, interpretans *aris nocens* quasi scriberetur *nocens per aras.* Paris. cod. 8027, *animis nocens.*

1256. *A me timetur.* Vetus lectio *nox timetur* suppeditabat, unde Lipsius conjecit *Nobis timetur*, Baden. autem, in Specimine, *Annos timetur.* Nota has emendationes, ut quæ manifestum faciant quam inconsulta sit et eadem pervicax novandi prurigo.

1266. *Veniam pete.* Plerique MSS. et edd. vett. habent *v. peto.* Lips. primus substituit *pete*, quod cæteri arripuerunt, ut acrius.

1271. *Effer arma.* Pariss. 6395, 8026, 8029, 8031, *affer arma.*

1274. *Moveare fletu.* Multi alii *movere.* Prætulimus lectionem *moveare*, ut quæ sensum lucidius definiat : Adde quod ea tum in Pariss. nostris 8026, 8036 et 8261, tum in edd. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. et Both. invenitur.

1277. *Herculem irasci.* Cod. noster 8261, *Herc. ulcisci.*

1283. *Ignave, cessas.* Edidit Both. *ignava, cessas*, quod legi jusserat Jac. Gronov. in Schedis Dietz. Putant illi « Herculem non posse sic se alloqui, quia ipse vel animo vel corpore non ignavus fuit, aut tantum fortis in pueros; compellari vero dextram, quæ per se, non librante et ignaro Hercule ob furorem, non fuit nisi ignava ». Sed non attenderunt viri docti Herculem, nunc dolore amentem, ut furore antea fuit, de se pejora vero loqui posse, et se increpare ut fortem tantummodo in pueros, quippe qui non audeat se ipsum interficere. Amphitryonis est et

Digitized by Google

Thesei excusare Herculem, et scelus dicere non ab illo patratum, sed a Junone, dextram ejus impellente et librante: debet autem Hercules, luctu et indignatione ardens, se auctorem nefariæ cædis appellare et exsecrari.

1284. *Pavidasque matres.* Sic omnes codd. Commelini, Paris. 8027, et edd. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. et recentiorum. *Pavidamque matrem* in octo Pariss. et in Philol. Ascens. Avant. etc. Vid. quæ notav. p. 148. — *Nisi dantur.* Universi nostri codd. *dentur*, quod et in vett. edd. babetur. Gronov. et cæteri post illum, Etruscam lectionem *dantur* receperunt. Utrum eligas parum refert.

1285. *Excidam nemus.* Lectio duodeviginti Pariss. codd. et edd. Fern. Isoard. Philol. Ascens. Avant. et aliorum defensa: hanc quoque Etruscus, Ultraject. Bothei, Pulaviensis et quatuor alii Badenii. Prætulere *exscindam* Fabric. Raphel. Commel. Gruter. et recentiores, excepto Badenio, qui *excidam* reposuit.

1287. *Tota cum domibus.* Assentior Botheo, qui desiderari pronuntiat vocabulum *aut* ante *tota*, quod scilicet respondeat præcedentibus *aut omne Pindi.* Isoard. Ægid. hanc lectionem exhibent, cæteroquin necessariam ut alterum *aut* possit intelligi. Eam quoque reperio in editione Fernandi: jam Both. hunc principem librum sibi favere affirmaverat.

1291. *Immissa incident.* Monet Delr. in quibusdam vett. libb. esse *excident*, quod elegantius judicat, et Heins. in MS. suo, *mænia immersa*, unde conjicit *m. inversa.* Gronovius utramque lectionem amovit, et scripsit ex Etrusco et multis aliis *immissa incident.* Avant. Vian. et Petr. ediderant *excident.*

1293. *Media parte quod mundi*, etc. Diversissimæ hujus loci lectiones. Fern. Isoard. Ægid. Ascens. Avant. Vian. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. cum sex MSS. nostris, *qua mundus sedet.* Philol. et novem Pariss. *quo m. s.* MS. 8264., *quod m. s.* Edit. Petr. *qua mundus sedit.* Gronovius ex Florent. *quod mundi sedet.* Vid. quæ notavimus p. 149.

1294. *Dirimitque.* Septem MSS. nostri, *dirimamque.*

1295. *Redde arma.* Sic Ægid. Ascens. Avant. etc. cum sexdecim codd. Pariss. Fern. Isoard. et Pariss. 8055, 8261, 8262, *reddite arma.* Gronovius, Bipont. Both. et Baden. substituerunt *reddo*; sed Florentini auctoritatem vincit consensus librorum, præsertim quum nihil vulgata lucidius et simplicius excogitari possit: nam ut *famuli arma removerunt* (v. 53), sic famulorum est *arma reddere*, jubente Amphitryone. — Lessingius, qui *redde* aptissime restituit, personas aliter quam Gronov. disposuit, hoc modo (Theatralische Bibliothek, Berlin, 1754, vol. 2. p. 58.): « *Amph.* Redde arma. *Herc.* Vox est digna genitore Herculis. *Amph.* Hoc en peremptus spiculo cecidit puer; Hoc Juno telum manibus emisit tuis: Hoc nunc ego utar. *Thes.* Ecce, jam miserum metu Cor palpitat, corpusque sollicitum ferit. *Amph.* Aptata arundo est: ecce

Digitized by Google

jam facies scelus Volens sciensque. Pande quid fieri jubes? *Herc.* Nihil rogamus: noster in tuto est dolor. *Amph.* Natum potes servare tu solus mihi, etc.» Putat Lessingius ex verbis Amphitryonis *redde arma*, ludum oriri festivissimum; credere scilicet Herculem fore ut arma sibi reddantur; sed falli eum: nam Amphitryoni consulto hæc a famulo dari, vel dum ad Herculem deferuntur, ab Amphitryone eripi, et admoveri pectori cum his: « Hoc en peremptus spiculo, etc.» Sed quis non videat tragica dignitate carere *jocum* illum, quo arma ex famuli manibus in Amphitryonis manus veniunt? Adde quod, recepta in verss. seqq. personarum distributione, qualis ex prima earumdem mutatione habeatur oportet, intellectu haud ita facile est *Nihil rogamus: noster in tuto est dolor*, quod respondet Hercules genitori vitam petenti. In summa loci explicanda felicior longe nobis videtur Gronovius; et eum secuti sumus, nisi quod *redde* reponendum judicavimus.

1297. *Hoc en peremptus.* Paris. noster 8035, *tuus en peremptus.*

1298. *Ecce, quam miserum.* Scriv. Farn. Thys. *ecce jam miserum.*

1300. *Jam facies.* Fabric. *jam faciet.*

1301. *Pande*, etc. Opinatur Both. hæc ab Hercule dici, et torqueri poetam ab illis qui aliter personas disponunt: sed non explicat quomodo hæc verba Herculem deceant, ad necem sibi consciscendam obstinatum. Affert tantum «Herculem magis magisque Amphitryonis precibus commoveri.» Attamen adeo non Hercules commovetur genitoris precibus, ut infra, v. 1310, exclamet Amphitryo, *tam tarde patri vitam dat aliquis?* et se velit interficere, pervicacia filii exasperatus. 2° Etiamsi Hercules patris precibus commoveretur, eumne interrogaret, *pande quid fieri jubes?* quum optime sciat quid ille velit, et præcedant hæc Amphitryonis verba, v. 1266, *unius a te criminis veniam pete*, et v. 1300, *jam facies scelus volens sciensque?* 3° Petente Hercule quid fieri jubeat Amphitryo, nonne debeat pater, quum sentiat flecti et leniri filium, eum ne vitam abjiciat obsecrare? Cur respondet *nihil rogamus*, quando expedit, ut quum maxime, Herculem *rogare* ut vivere velit? Denique cur in desperationem tunc agitur, quum prima spes affulget?

1304. *Eripere nec tu.* Hæc lectio a Gronovio in textum introducta est, jubente codice Florentino. Ante illum, omnes edd. cum universis MSS. habebant *Theseu, ipse necdum.* Quod quum sensu careret, nec ipsis metri legibus satisfaceret (nam in *Theseu* ultima male absorbetur syllaba), Heins. legit: « Natum potes servare tu solus mihi. *Thes.* Et ipse nondum maximum evasi metum. *Herc.* Miserum haud etc.» Putat Heins. hæc postrema Herculi omnino tribuenda, quasi dicat ille: « Non potes me miserum efficere, quia magis esse non possum: potes autem felicem, si mortem concedas»; addit Heins. quod præcedit, *Nihil rogamus* etc. eodem plane spectare. De personarum distributione satis diximus: lectio autem Heinsii *Et ipse nondum* nobis videtur ita frigere, ut malimus hoc loco antiquam et omnibus libb. defensam lectionem deserere, quam

Digitized by Google

vix intelligendam servare. Sequimur igitur Florentinum codicem cum edd. recentioribus.

1309. *Quassam malis.* Sic omnes libri, excepto Florent. qui habet *fessam malis*, non insuavi quidem, ut opinatur Gronovius, repetitione, sed quæ ad vulgatam repudiandam non satis valeat.

1311. *Vitam dat.* Paris. 8026, *v. det.* Idem codex *altius* pro *ulterius* exhibet.

1312. *Letale ferro pectus impresso.* Sic MSS. fere omnes Commelini, nisi quod nonnulli *impressum* pro *impresso* habeant: sic Lipsiensis et plerique vett. libri, ait Delr. (1594): sic MSS. tres et Scholiastes Gruteri: sic et nostri 6395, 8028, 8037, 8055. *Impressum*, non solum in nonnullis Commelini, sed in pluribus Gruteri et duodecim Pariss. nostris et in Ægid. Philol. habitum, ferri possit; at *impresso* elegantia excellere mihi videtur. *Ferrum pectori impressum* scribitur in Ascens. Gryph. Raphel. Commel. Delr. ut in Ottoboniano et Angelico utroque Badenii: sed potius dicitur *pectus induere ferro* quam *ferrum induere pectori.* Nihil dissero de libris qui *letali* habent, quia repugnat metrum.

1313. *Jacebit.* Substitui volebat Nic. Heins. *placebit;* cui a nemine auscultatum est.

1315. *Perfer imperium.* Codd. 8029 et 8261, *profer;* 8035, *præfer.*

1317. *Afflictos solo.* Cantabrig. Pontani, *afflicti s.* quod recipi possit: sic quoque MSS. nostri 8030 et 8035.

1319. *Amplector.* Codd. 8024, 8028 et 8264, *amplectar.*

1320. *Ægro.* Lugdun. Delrionis, Palatt. Gruteri, et edd. Avant. Vian. et Gryph. *ergo.* MSS. Pariss. sexdecim et edd. Fern. Isoard. Ægid. Ascens. Petr. Fabric. Raphel. Commel. et Delr. *ego.* Habent *ægro* Philol. Grut. Heins. Farn. Thys. et recentiores.

1322. *Obruam.* Etruscus et Pariss. 8032 et 8033, *obruar*, quod Both. in contextum admisit. Attamen vulgata aptior est sententiæ et cum præcedentibus cohærentior.

1323. *Quis Persica.* Emendabat Nic. Heins. *quis percita*, quod non improbabat Gronovius, quia Tigridis in Persicum sinum effusio non satis causæ illi esse videbatur, cur ejus unda *Persica* diceretur. Vid. p. 154, quæ possunt Heinsio et Gronovio opponi exempla

1324. *Rhenus ferox.* Cod. 8055, *R. ferax.*

1325. *Turbidus gaza fluens*, Wakefieldus ad Lucretium, VI, 1075, emendabat *turbidum gaza fluens*, videlicet quod duplici epitheto offenderetur, *fluens* et *turbidus.* Fastidiosius. — In Fern. *Tagusque Iberas turbidus gazas fluens.* Ægid. cum Paris. 8262, *Tagusve Iberas t. gazas f.* Paris. MS. 8055, *turbidus gaza nimis.*

1329. *Hærebit altum facinus.* MS. 8026, *horrebit;* 8055, *habebit;* Petr. ad marg. *habebunt.*

1336. *Quoniamque semper.* Fern. Philol. cum quatuordecim Pariss. *quique.* Isoard. Ægid. Ascens. Avant. et plerique alii cum quatuor Pariss.

Digitized by Google

quicunque; de qua lectione hæc Gronovius : « Quando solum alloquitur Thesea, et illum amare dicit etiam nocentes, propter Pirithoum, ne in scelere quidem relictum, nemo non videt ineptum hic illud, *quicunque.* Succurrit in tempore codex Etruscus : *Quoniamque semper;* quæ omnino vera lectio est. »

1337. *Amas nocentes.* Lugdun. Delr. et edd. Petr. et Gryph. (ad marg.) *amat.*

1338. *Redde me infernis.* Fern. Isoard. Ægid. *inferis.*

1339. *Umbris reductum.* Ultraject. Bothei et quatuor nostri *redactum.*

1340. *Abscondet.* Codd. 6395, 8028, 8261, 8264, *abscondat.*

1343. *Restituit.* Sic duodecim Pariss. et edd. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Gryph. Petr. Fabric. etc. Primus Heinsius (non Scriverius, ut putavit Baden. in edit. 1821) *restitues* edidit, quod Scriv. Gronov. Bipont. et Baden. in Specim. usurpaverunt, manifesto, ut mihi videtur, errore : nam et Marti haud proprie attribueretur jus lustrandi sceleris, et ad sequentia *socero innocentes* etc. præparanda, opus est qualicumque fabulæ memoratione, qua Mars ab Areopagitis Atheniensibus cæde purgatus dicebatur — *Alcida.* Fern. Isoard. Ægid. et plerique vett. editores *Alcide.* Nic. Heins. voluit substitui vocativum Græcum *Alcida* : illi auscultatum est a Gronovio, qui affert versum 783 Thyestæ, « Bonum est, Thyesta, quod mala ignoras tua », et a recentioribus, Both. et Baden.

Digitized by Google

Digitized by Google

THYESTES.

Digitized by Google

DRAMATIS PERSONÆ.

THYESTES.
ATREUS.
TANTALUS.
MEGÆRA.
PLISTHENES, Thyestis filius.
Chorus senum Mycenæorum.
TANTALUS, Thyestis filius, } mutæ personæ.
Alius Thyestis filius, }
Satelles, nuntius.

ARGUMENTUM.

Regnante Mycenis Atreo, Thyestes ejus frater, imperii sibi vindicandi cupiditate correptus, aureum arietem, in cujus possessione fata regni reposita credebantur, per fraudem subduxerat, adjuvante Aerope regina, Atrei uxore, quam Thyestes in adulterium pellexerat. Inde dissidia bellumque inter fratres. Post varias fortunæ vices (nam ex hac ipsa tragœdia, v. 237, inferri potest erravisse aliquandiu Atreum, dejectum regno), Thyestes, ex solio simul et urbe pulsus, diu vitam traxerat miseram et inopem. Atreus vero ultionis ultra modum appetens, ut sceleri pœnam æquet, fingit se velle pristinam caritatem cum fratre restituere. Redit igitur Thyestes; et postquam pavidum nec adhuc fortunæ suæ confidentem Atreus simulato gaudio excepit, natos ejus, pro obsidibus acceptos, ad aras trucidat, et epulandos genitori apponit, ipsumque eorum cruorem, vino commixtum, hauriendum præbet. Tum ultione exacta, cujus immanitatem sol horruisse dicitur, et refugo cursu damnavisse, Atreus fratri aperit exsultans quibus dapibus famem expleverit, et imprecantem irridet. (Vid. quæ de *argumento* infra notavimus, ad vss. 33 et 432).

Digitized by Google

L. ANNÆI SENECÆ

THYESTES.

ACTUS PRIMUS.

UMBRA TANTALI, MEGÆRA.

TANT. QUIS me inferorum sede ab infausta extrahit,
Avido fugaces ore captantem cibos?
Quis male deorum Tantalo vivas domos
Ostendit iterum? Pejus inventum est siti
Arente in undis aliquid, et pejus fame 5
Hiante semper? Sisyphi numquid lapis
Gestandus humeris lubricus nostris venit?

2. *Avido fugaces*, etc. De supplicio Tantali vid. Herc. fur. 752 et Thyest. 152 et sqq.

3. *Quis... deorum*. Sic Virg. Æn. VI, 341 : «Quis te, Palinure, deorum Eripuit nobis...? » Id. ibid. IX, 601: «Quis deus Italiam, quæ vos dementia adegit?» Poetis enim, ut bona, sic mala deis accepta referre solenne fuit. — *Male*. Hæc jungenda vocula sequenti verbo *ostendit* : interpretare *male ostendit*, quasi scribatur *magno cum metu et malo meo ostendit*, sive queratur Tantalus se ad lucem ætheream retrudi, tristem et infaustam inferorum hospitibus (cf. Herc. fur. 293 et 567), sive existimet se ideo tantum in terras revocari, ut ad pejus mox supplicium traducatur. — *Vivas domos*. Pro *viventium domos*, usitatissima hypallage.

6. *Sisyphi*. Vid. Herc. fur. 751.

7. *Lubricus*. Quia lapis ad sum-

Digitized by Google

Aut membra celeri differens cursu rota?
Aut pœna Tityi, qui specu vasto patens
Visceribus atras pascit effossis aves, 10
Et nocte reparans quidquid amisit die,
Plenum recenti pabulum monstro jacet?

mum montem devectus in præceps semper revolvebatur. Dicuntur sæpissime *lubrica*, quæ facile effugiunt et destituunt manus : sic Curt. VII, VIII, 24 : *Lubrica est* (fortuna), *nec invita teneri potest.* Ovid. Fast. V, 476 : « Lubrica prensantes effugit umbra manus. » — *Venit.* Ovid. Fast. V, 648 : « Et tandem Cacò debita pœna venit. »

8. *Aut membra*, etc. De Ixionis supplicio vid. Herc. fur. 750. Subauditur *venit*, præcedenti versu usurpatum; quod ne repeteretur, volebat Gruterus *differar* aut *differet* pro *differens* legi, inutili prorsus emendatione. — *Differens.* Versans et exagitans, non autem, ut accepere nonnulli, lacerans et discerpens. Plaut. Epid. act. I, scen. 2, vs. 15 : « Clamore defatigor, differor. » Id. Pæn. act. I, scen. 1, vs. 28, *differri cupidine.* Prop. I, eleg. XVI, vs. 48 : « Æterna differor invidia. »

9. *Pœna Tityi.* Vid. Herc. fur. 756. — *Specu vasto patens.* Hæc a Lipsio et a Gronovio e codd. suis educta, multi ideo non probavere, quod prave interpretarentur : ea non satis latina esse judicat Delrio, et *jacens* pro *patens* saltem requiri; unde liquet locum ab eo sic acceptum, tanquam diceretur *in specu vasto jacens.* Gallicus quoque interpres *Levée : Dois-je, nouveau Tityus, être couché dans un antre spacieux...?* Non miror sic intelligentibus languida hæc videri; sed ut talia significentur, aliud verbum quam *patens* desiderari manifestum est. Si autem accipias cum Grutero Tityum ipsum patuisse, ea scilicet corporis parte quam rostro sævæ fodiebant volucres, Lipsiana lectio nec barbara nec invalida, sed, quod in Seneca fieri solet, acris ultra modum et propior tumidæ quam languidæ orationis vitio jam habebitur. *Vulnus patens* dicitur in Virg. Æn. XI, 40; et trita est illa dictio *patere specu.* Virg. Æn. XII, 710 : « ut vacuo patuerunt æquore campi. »

10. *Visceribus*, etc. Tibull. I, eleg. III, vs. 75 : « Porrectusque novem Tityus per jugera terræ Assiduas atro viscere pascit aves. » — *Aves.* Unicumne an plures vultures passus fuerit Tityus, vix tanti est disputare. Virg. Æn. VI, 597, et Seneca ipse in Agam. 18 et in Hipp. 1233, unum tantummodo memorant; plures contra, Homer. Odyss. XI, 577, et Lucret. III, 997, cum Tibull. loco sup. citato : sed quis nescit solitos poetas, ubi de rebus hujusce generis dicendum occurrit, pluralem numerum, si placuerit, pro singulari usurpare?

12. *Plenum.* Integrum, reparatis visceribus. — *Recenti.... monstro.* Quotiescunque redit avis ad pabulum; aut potius, quoniam *aves* scripsit Seneca, quotiescunque novum supervenit monstrum. Utrumvis

Digitized by Google

In quod malum transcribor? O quisquis nova
Supplicia functis durus umbrarum arbiter
Disponis, addi si quid ad pœnas potest, 15
Quod ipse custos carceris diri horreat,

sensum recipias, pariter opponuntur *plenum* et *recenti*. Ad primum sensum referri possunt hæc Ovidii, Metam. II, 63 : «Ardua prima via est, et qua vix mane *recentes* Enitantur equi» ; et hæc Cæsaris, Bell. Gall. V, 16 : *Integri et* recentes *defatigatis succedebant*.

13. *Transcribor*. Ad quod supplicium ex meo transferor? Servius ad Æn. V, 750 : «Romani moris verbum est : *transcripti* enim in colonias deducebantur.» Sen. ep. 4 : *Quum puerilem animum deposueris, et te in viros philosophia transcripserit*. Idem Consol. ad Marc. cap. 16 : *Cœliam, contempto hoste et flumine, ob insignem audaciam tantum non in viros transcripsimus*. — *Quisquis*. Interrogavit enim supra Tantalus *Quis deorum...?* — *Nova*. Nam ut Tantalo, Sisypho, Tityo propria et nova irrogata sunt supplicia, sic nova et propria stirpi Tantali erunt excogitanda.

15. *Disponis*. Suum cuique statuis. — *Ad pœnas*. Hæc omnes accepisse videntur, ut a Tantalo de suo supplicio dicta : sic Gallicus interpres : *Inflexible arbitre des ombres, si ingénieux à imaginer des supplices, ajoute donc au mien*, etc. Quo admisso sensu, non satis intelligitur cur Tantalus, postquam inferni tyranni acerbitatem provocavit et graviora rogavit supplicia, tanquam facile perpessurus, addat tamen *ad cujus metum Nos quoque tremamus*, quum potius dicere debeat, *ad nullius supplicii metum tremamus*. Præterea hæc *addi si quid ad pœnas potest*, etc. male cum sqq. *jam nostra*, etc. cohærent. Quomodo socies *me innocentem faciat* cum *adde ad pœnas meas?* Denique si *nova functis* et *disponis* diligenter expendas, fateberis hæc non recte omnino ad augenda Tantali supplicia referri; aptissima vero fore, si ad futura aliorum scelestorum spectent supplicia. Generaliter igitur *pœnas* interpretare, nec Tantali modo, sed Sisyphi, Ixionis, Tityi et omnium qui in inferis torquentur. Sententiarum concatenationem ab initio tragœdiæ hanc esse arbitror : «Quis deus me ab infausta inferorum sede extrahit? Num pejus aliquid siti ac fame æterna mihi reservatur? Num jam passurus sum quæ Sisyphus, Ixion, Tityus? Sed jam in alios potius quam in me excogitandæ sunt pœnæ : o arbiter infernorum suppliciorum, qui novos et proprios et sceleribus pares cruciatus nocentibus irrogas, jam graviora quære, si fieri potest, quam quæ in Sisyphum, Ixionem, Tityum et me ipsum decrevisti; quære quod horreant Cerberus et Acheron, ad cujus metum ipse tremam. Mea enim e stirpe subit turba, quæ me ita sceleribus vincat, ut, si comparationem inter me et eam facias, innocens videri queam; adeo immania sunt quæ meditatur et audere parat! etc., etc.»

16. *Custos carceris diri*. Cerberus. Vid. Herc. fur. 784.

Digitized by Google

Quod mœstus Acheron paveat, ad cujus metum
Nos quoque tremamus, quære : jam nostra subit
E stirpe turba, quæ suum vincat genus,
Ac me innocentem faciat, et inausa audeat. 20
Regione quidquid impia cessat loci,
Complebo : nunquam stante Pelopea domo
Minos vacabit. MEG. Perge, detestabilis
Umbra, et penates impios furiis age.
Certetur omni scelere, et alterna vice 25
Stringantur enses. Ne sit irarum modus
Pudorve : mentes cæcus instiget furor;
Rabies parentum duret, et longum nefas

19. *Turba*. Atreus, Thyestes, et, si ultra persequi velis, Ægisthus et Orestes.

20. *Me innocentem*, etc. Sic in Gallica nostri Voltarii tragœdia, cui titulus *les Pélopides*, Atreus ipse, act. IV, scen. 5 (*variantes de l'édit. de* 1775) :

Cessez, filles du Styx, cessez, troupe infernale,
D'épouvanter les yeux de mon aïeul Tantale.
Sur Thyeste et sur moi venez vous acharner :
Paraissez, dieux vengeurs; je vais vous étonner.

21. *Regione... impia*. Id est, inferis, impiorum sede. — *Cessat*. Quidquid loci vacat.

22. *Pelopea*. Pelops filius fuit Tantali, et Atrei Thyestæque pater.

23 sqq. *Minos vacabit*. Minos, judex in inferis. Vid. Herc. fur. 731 et sqq. — *Voltaire, les Pélopides*, act. V, scen. 5 (loquitur Atreus) :

.....L'enfer m'ouvre un sépulcre éternel :
Je porterai ma haine au fond de ses abimes;
Nous y disputerons de malheurs et de crimes.
Le séjour des forfaits, le séjour des tourments,
O Tantale ! ô mon père ! est fait pour tes enfants.
Je suis digne de toi, tu dois me reconnaître;
Et mes derniers neveux m'égaleront peut-être.

25. *Vice*. Occidat, alternata cæde, Atreus fratris liberos, Atreum Ægisthus, Ægisthum Orestes, etc.

28. *Rabies parentum duret*. Gallicus interpres : *Que rien ne puisse apaiser la rage de leurs pères*. Falso : ex sequentibus constat *duret* pro *continuetur et vivat in liberis* accipiendum. — *Parentum*. Dubitat Farnabius, utrum intelligendum sit, dicine *parentum* de Tantalo et Pelope, an usurpari *parentum* pro *parentis*, i. e. avi Tantali, ut in Herc. fur. 1284, *pavidas matres* pro *pavidam matrem*. Prior interpretatio probabilis mihi videtur : nam et Pelops non sceleris expers fuit (vid. inf. vv. 140 et 242), et nihil obstat quominus intelligas, non solummodo Tantalum Pelopemque, sed Thyestem, qui ex filia sua Ægisthum genuit, Atrei et Agamemnonis interfectorem, et Atreum, cujus nepos Orestes suis furoribus adeo innotuit. Vult Megæra Tantali rabiem ad Atreum et Thyestem, Thyestæ et Atrei ad Ægisthum et Orestem transmitti. — *Longum nefas*. Nefas *longum* appellatur, quod

Digitized by Google

Eat in nepotes : nec vacet cuiquam vetus
Odisse crimen; semper oriatur novum, 30
Nec unum in uno; dumque punitur scelus,
Crescat. Superbis fratribus regna excidant,
Repetantque profugos : dubia violentæ domus
Fortuna reges inter incertos labet :
Miser ex potente fiat, ex misero potens, 35
Fluctuque regnum casus assiduo ferat.

duraturum sit et ad posteros iturum.

29. *Vacet cuiquam*, etc. Ita scelera sceleribus continuent, ut illis ne intervallum quidem pœnitendi suppetat.

31. *Nec unum in uno*. Plura in uno scelere nefarie admissa. Hoc quum ad Thyestem, Ægisthum, Clytæmnestram referri queat, ad Atreum præcipue spectare arbitror, qui eadem die et cæde tres fratris filios jugulaverit, eorum corpora dilaniaverit, igne torruerit, patri epulandos apposuerit; ita ut, quamvis ea omnia ab uno homine facta fuerint unoque consilio, tamen multiplex crimen videri possit. In simili re similiter loquitur Medea, v. 473, dum Jasonem recordari jubet quomodo fratris sui Absyrti membra laceraverit sparseritque : « Traditum fratrem neci, Et scelere in uno non semel factum scelus. »

32. *Crescat*. Nempe, in hac Pelopidarum domo, pœnæ repetitæ de criminibus, et ipsæ crimina fuerunt. Atreus, ut ulciscereturadulterium Thyestæ, ejus filios mactavit; quod ut vindicaret, Thyestes oraculum consuluit, monitusque sibi vindicem exstiturum, si filium gigneret ex ipsa filia sua Pelopeia, illam stupro violavit, et procreavit Ægisthum, qui Atreum et Agamemnona immolavit. Orestes denique, ut patrem ulcisceretur, matrem ipsam interfecit. — *Superbis*, etc. Sceptra excidant e manibus Atreo et Thyestæ; e solio vicissim deturbentur, alterum altero pellente.

33. *Repetantque profugos*. Referendum *repetant* ad *regna*. Postquam regna ex eorum manibus elapsa erunt, redeant ad ejectos et exsules; i. e. fiant illi ex profugis reges, quod sqq. explicatur, *Miser ex potente fiat, ex misero potens*.—Ex his forsan Senecæ editores id intulerunt, quod in præmissis *argumentis* legitur, scilicet *alternis annis regnandi vices pactos Atreum et Thyestem*; nusquam enim alibi illius pactionis facta est mentio : sed ne Senecæ quidem auctoritate niti possunt, qui tragœdiæ argumento ista ingesserunt; nam innuit tantum Poeta fratres per vices ideo regnasse, quod alter ab altero pelleretur, neque illud fœdere quodam et pactione factum, sed vi armorum et vario pugnarum eventu. His quoque refelluntur quæ in vulgato scribuntur argumento, *Thyestem male conscium in exsilium abiisse* : Thyestes enim non sponte abiit, sed ab Atreo ejectus et exterminatus est.

36. *Casus ... ferat*. Fortuna jactet

Digitized by Google

Ob scelera pulsi, quum dabit patriam deus,
In scelera redeant; sintque tam invisi omnibus,
Quam sibi. Nihil sit, ira quod vetitum putet :
Fratrem expavescat frater, et natum parens, 40
Natusque patrem : liberi pereant male;
Pejus tamen nascantur : immineat viro
Infesta conjux. Bella trans pontum vehant;
Effusus omnes irriget terras cruor,
Supraque magnos gentium exsultet duces 45

versetque regnum, nunc ad Atreum, nunc ad Thyestem illud deferens.

37. *Quum dabit*, etc. Quum patria rursus frui illis licebit, in eam tantum redeant ut nova patrent scelera.

40. *Fratrem . . . frater*. Atreum Thyestes. — *Natum parens*. Orestem Clytæmnestra.

41. *Natusque patrem*. Thyestem filii ejus : Thyestem enim fata ad id destinant, ut suorum visceribus vescatur. — *Liberi*. Thyestæ.

42. *Pejus tamen nascantur*. Non ex incestu, ut explicat Farnabius, leviri cum glore, i. e. Thyestæ cum Aerope, Atrei uxore; nam nulli feruntur ex adulterio Thyestæ et Ærope nati. Ad Ægisthum solummodo alludit Poeta, ex Thyeste et filia ejus ortum. *Nascantur*, generaliter dictum plurali numero, licet de uno tantum dicatur. Vid. sup. not. ad vers. 28, et Herc. fur. 1284.

43. *Infesta conjux*. Clytæmnestra, Agamemnonis uxor et interfectrix. — *Bella trans pontum*, etc. Agamemnon et Menelaus, ad repetendam Helenam a Trojano Paride raptam, Trojanis bellum intulerunt. Non quærat quisquam, cur de cæde Agamemnonis ante Trojanum bellum poeta loquatur, nisi forte opinetur servandum in poetica imprecatione, ut in narratione historica, rerum et temporum ordinem.

45. *Supra que*, etc. « Ita Agamemnon, inquit Farnabius, magnus dux Græciæ, Chryseida et Cassandram deperiit. » Hunc sensum repudio, ut qui sententiam illam infra cæterarum vim et dignitatem demitteret : non arbitror inter tot scelera et furores obtinere locum posse amores Agamemnonis, nulli funestos. Hæc igitur *libido victrix exsultet supra magnos gentium duces*, ad incestum Clytæmnestræ et Ægisthi refero, ex quo nex Agamemnoni exstitit : « Bella trans Pontum vehant, inquit Noster; et quum terras omnes cruore irrigaverint, cadant magni gentium duces ab impudicis uxoribus et earum procis necati : supra illos gentium victores victrix exsultet libido. » Nisi fallor, ea et plus habent roboris, et præcedentibus sententiis multo melius respondent. In refellenda interpretatione Gallica non morabor, manifeste vitiosa : *Qu'ils transportent la guerre au-delà des mers... que leur colère homicide soit fatale aux plus courageux, aux plus puissants maîtres des nations.*

Digitized by Google

Libido victrix. Impia stuprum in domo
Levissimum sit : fratris et fas et fides
Jusque omne pereat. Non sit a vestris malis
Immune cælum : cur micant stellæ polo,
Flammæque servant debitum mundo decus? 50
Nox atra fiat, excidat cælo dies.
Misce penates : odia, cædes, funera
Arcesse, et imple Tantalo totam domum.
Ornetur altum columen, et lauro fores
Lætæ virescant : dignus adventu tuo 55
Splendescat ignis : Thracium fiat nefas
Majore numero. Dextra cur patrui vacat?
Nondum Thyestes liberos deflet suos?
Ecquando tollet, ignibus jam subditis

46. *Impia*, etc. Oratio, quæ in adumbranda nepotum scelera deflexerat, jam ad furores Atrei depingendos redit, proprium hujus tragœdiæ argumentum. «Sed in hac impia domo aliquid stupro pejus sit et nocentius : pereant fas et fides, et jus fratris. »

47. *Fratris et fas*, etc. Fraternæ necessitudinis, ut recte adnotavit Badenius, jura tum divina, tum humana. Nam *fas* ad deos ac religionem refertur (vid. Herc. fur. 658), et *jus* ad homines, teste Servio ad illud Virg. Georg. I, 268 : «...festis quædam exercere diebus *Fas* et *jura* sinunt. »

48. *Non sit*, etc. «Sentiat quoque cælum vestra mala, et densioribus obducatur tenebris. Cur micant stellæ polo? » Nempe nonnisi noctu fingi potest Tantali umbram ab inferis emersisse. Vid. quæ notavimus Herc. fur. 123.

50. *Flammæque*, etc. Ignes siderei suum cælo splendorem servant.

54. *Altum columen*. «Proprie significat *columen*, inquit in lexic. Forcellinus, extremum tectum casæ rusticæ seu villæ, quemadmodum et *culmen*, quod vel ab eo per syncopen fit, vel inserta per epenthesim vocali, ipsum creat. » Sed ita plerumque de summo quarumcunque ædium tecto dicitur. Sic Herc. fur. 1000 : «Columen impulsum labet. »

55. *Dignus*. Alludit Megæra ad ignes quibus cocti sunt Thyestæ filii.

56. *Thracium* .... *nefas*. Procne enim, Terei uxor, regis Thracum, Itym filium interemerat, patrique epulandum apposuerat. Vid. Herc. fur. 149.

57. *Majore numero*. Procne unum tantummodo filium necaverat; vult Megæra tres Thyestis filios ab Atreo immolari. — *Patrui*. Atrei.

59. *Ecquando tollet*, etc. Locus ab editoribus sollicitatus, ut qui

Digitized by Google

Spumante aheno? membra per partes eant 60
Discerpta : patrios polluat sanguis focos :
Epulæ instruantur. Non novi sceleris tibi
Conviva venies : liberum dedimus diem,
Tuamque ad istas solvimus mensas famem.
Jejunia exple : mixtus in Bacchum cruor
Spectante te potetur.... Inveni dapes,
Quas ipse fugeres. Siste : quo præceps ruis?
TANT. Ad stagna, et amnes, et recedentes aquas,
Labrisque ab ipsis arboris plenæ fugas.

maxime. Sed quoniam nulla est lectio et conjectura quæ reprehensione careat atque impugnari non possit, vulgatam retineo, non ita spernendam. Interrogavit Megæra *Cur vacet patrui dextra, et nondum Thyestes filios suos defleat?* Pergit quærendo *Ecquando tandem Thyestes eos vorabit ignibus subditis coctos?* Fateor ad id verbis et oratione exprimendum aptius aliquid excogitari posse quam *Ecquando tollet*, etc. quod non secus accipio ac si diceretur *Ecquando tollet Thyestes filios ex aheno, subditis ignibus fervente?* Sed hanc interpretationem, quanquam non omni parte validam, probabiliorem judico quam quæ jubet *tollet* ad patruum Atreum referri, probabiliorem etiam quam illam alteram, quæ *tollet* pro *gignet* usurpari contendit. Licet non quisquam alius quam Atreus Thyestæ filios interfecerit et flammis concoxerit et coctos ab aheno eduxerit, potest tamen Thyestes suos filios ab aheno extraxisse dici, quos voraret; hæc enim αὔξησις Megæram decet, omnia in pejus exaggerantem, et quæ pari schemate dixit sup. v. 41, *nati expavescant patrem.*

61. *Patrios...focos.* Patriam domum, aut potius patrias aras, ad quas immolati sunt Thyestæ liberi. Vid. inf. v. 650 et seqq. De voce *foci* pro *aræ* adhibita, cf. Tibull. I, eleg. VIII, v. 70; Ovid. de Arte Am. I, 638; Proper. IV, eleg. v, vs. 64, etc.

62. *Non novi*, etc. Tales epulas tu, Tantale, inire conviva poteris, non tibi novas, qui filium tuum Pelopem comedendum diis apposueris. Vid. Herc. fur. 752.

63. *Conviva.* Sceleris conviva, poetice et nervose dictum pro infandarum epularum conviva. — *Liberum.* Tibi hunc diem concedimus liberum a fame et infernis pœnis.

65. *Bacchum.* Vinum. Vid. inf. v. 915 et sqq.

66. *Inveni dapes*, etc. Scilicet refugit Tantalus ad talis convivii imaginem.

67. *Quas ipse fugeres.* Alluditur ad supplicium Tantali, quem dapes fugiunt in Tartaro.

69. *Arboris plenæ fugas.* Locutio insignis elegantiæ pro *ad arborem a labris fugientem.* Horat. III, od. XXX, v. 5 : « Annorum series et fuga temporum. » — *Plenæ.* Fructibus gravidæ. Vid. inf. v. 155.

Digitized by Google

Abire in atrum carceris liceat mei 70
Cubile : liceat, si parum videor miser,
Mutare ripas : alveo medius tuo,
Phlegethon, relinquar, igneo cinctus freto.
Quicunque pœnas lege fatorum datas
Pati juberis; quisquis exeso jaces 75
Pavidus sub antro, jamque venturi times
Montis ruinam; quisquis avidorum feros
Rictus leonum, et dira Furiarum agmina
Implicitus horres; quisquis immissas faces
Semiustus abigis, Tantali vocem excipe 80
Properantis ad vos : credite experto mihi,
Amate pœnas. Quando continget mihi

71. *Cubile.* Primum pro lecto, mox pro dormitorio cubiculo, deinceps, per imitationem, pro nidis avium et ferarum latibulis, denique, per translationem, pro qualibet sede, usurpatum. Val. Flacc. V, 155 : «Sævumque cubile Promethei Cernitur, in gelidas consurgens Caucasus Arctos.»

72. *Mutare ripas.* Me ad pejorem sævioremque ripam transferre.

73. *Igneo.* Phlegethon a φλεγέθω, *uro,* dictus, quia credebatur igneas undas per inferos agere. Virg. Æn. VI, 550 : «Rapidus flammis ambit torrentibus amnis Tartareus Phlegethon.» Stat. Theb. IV, 523 : «Fumidus atra vadis Phlegethon incendia volvit.» Conf. et Thyest. 1018, Hipp. 1227.

74. *Quicunque,* etc. Eos compellat, qui in inferis qualicunque supplicorum genere exercentur.

75. *Exeso.* Intellige antrum, cujus, ima parte exesa cavataque, summa semper in eo esse videtur ut ruina sua suppositos opprimat. Idem illud expresserat Virg. Æn. VI, 601 : «Quid memorem Lapithas, Ixiona Pirithoumque, Quos super atra silex, jamjam lapsura, cadentique Imminet assimilis.» In fabulis memoratur et ipsius Tantali cervicibus saxum impendere. Hygin. fab. 82 : *Saxum super caput ejus* (Tantali) *ingens pendet, quod semper timet ne super se ruat.* Eurip. Orest. v. 5 : «...Τάνταλος Κορυφῆς ὑπερτέλλοντα δειμαίνων πέτρον Αἐρι ποτᾶται.» Eleganter Τανταλου λίθον impendentis belli metum appellat Pind. Isth. VIII, 21.

76. *Venturi.* Lapsuri.

78. *Agmina.* Vid. Herc. fur. 101.

79. *Implicitus.* Cinctus a Furiis et misere vexatus. — *Quisquis immissas,* etc. Quisquis manu repellis faces a Furiis intentatas.

82. *Amate pœnas.* Vestra anteponite mala istis quæ mihi in terris parantur. Umbræ, fidem experto mihi adhibete; sit licet gravissimum quod in Tartaro patiebar supplicium, tam infanda inter vivos videnda et patranda mihi sunt,

Digitized by Google

Effugere superos? MEG. Ante perturba domum,
Inferque tecum prælia, et ferri malum
Regibus amorem : concute insano ferum
Pectus tumultu. TANT. Me pati pœnas decet,
Non esse pœnam. Mittor, ut dirus vapor
Tellure rupta, vel gravem populis luem
Sparsura pestis : ducam in horrendum nefas
Avus nepotes. Magne divorum parens,
Nosterque, quamvis pudeat, ingenti licet
Taxata pœna lingua crucietur loquax,

ut satius habeam ad inferos reverti : itaque vestras pœnas patienti tolerate animo, quas longe superent terrestria hæc mea supplicia.

83. *Superos*. Vivos. Vid. Herc. fur. 318 et 1294.

85. *Concute*, etc. Hæc in legentium animos simile aliquid Virgilii revocant, quum Juno Alectonem alloquitur, Æn. VII, 335 : « Tu potes unanimos armare in prælia fratres, Atque odiis versare domos; tu verbera tectis Funereasque inferre faces : tibi nomina mille, Mille nocendi artes; fecundum concute pectus. » Sed aliter in Virgilio, aliter in Seneca intelligendum *concute*. Apud Virgilium, Juno excogitandarum calamitatum curam Alectoni delegat, ideoque illi, *pectus*, inquit, *concute*, id est, ingenium scrutare, et horrendum aliquid exprome. Apud Senecam, interpretare *ferum pectus regum*, non autem *pectus Tantali* : jubet Megæra torqueantur ab ipso Tantalo fera Pelopidarum pectora. Vid. Herc. fur. v. 105.

87. *Non esse pœnam*. Non adhiberi pro pœna, non instrumentum esse sæviendi. — *Mittor*. Siccine mittor, etc. Cum indignatione dictum, ut et sequentia, *ducam in horrendum*, etc.

91. *Nosterque*. Tantalus ex Jove et Pletone Nympha ortus erat. — *Quamvis pudeat*. Quamvis te pudeat, o Jupiter, talem genuisse filium.

92. *Taxata*, etc. Posset illud generaliter accipi de omnibus qui conviciorum in deos graves pœnas dedere, inter quos Tiresias, Pentheus, Minyeides, Pieri filiæ, Stellio, Ascalaphus, Niobe, etc. Interpretandum esset : Libere loquor licet non leve supplicium loquaces linguas maneat. Verum hæc de Tantalo ipso potius mihi dicta videntur : nam inter multa, propter quæ Tantalus apud Veteres supplicium suum in inferis meruisse ferebatur, hoc sæpe affertur, quod epulis deorum Jovisque arcanis admissus, hominibus, quæ audiverat, revelavisset. Hygin. fab. 82 : *Jupiter Tantalo concredere sua consilia solitus erat, et ad epulum deorum admittere; quæ Tantalus ad homines renunciavit*. Ovid. Amor. II, eleg. 11, v. 43 : « . . . Poma fugacia captat Tantalus : hoc illi garrula lingua dedit. » Pariter Euripid. in Oreste, v. 8 : « . . . Θεοῖς, ἄνθρωπος

Digitized by Google

Nec hoc tacebo : moneo, ne sacra manus
Violate cæde, neve furiali malo
Aspergite aras. Stabo, et arcebo scelus.... 95
Quid ora terres verbere, et tortos ferox
Minaris angues? quid famem infixam intimis
Agitas medullis? flagrat incensum siti
Cor, et perustis flamma visceribus micat.
Sequor. 100
MEG. Hunc, o, furorem divide in totam domum.
Sic, sic ferantur, et suum infensi invicem

ὧν (Τάνταλος), Κοινῆς τραπέζης ἀξίωμ' ἔχων ἴσον, Ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν, αἰσχίστην νόσον. »

93. *Nec hoc.* Id est, *etiam non.* Cic. Tusc. I, 26 : *Quid est enim memoria rerum et verborum?...profecto id, quo nec in deo quidquam majus intelligi potest.* Mart. V, LXIX, 4 : « Hoc admissiset nec Catilina nefas. » — *Moneo.* Futurorum scelerum prævisione territus, ista admissuros nepotes compellat. — *Sacra.* Ad hunc locum Badenius : « *Sacra cædes* est cædes, per quam auctor, sancta necessitudinis et cognationis jura violans, grave sibi et posteris suis piaculum contrahit. Hinc fraternus Remi *sacer nepotibus cruor* audit Horat. Epod. 7, vs. 20, ubi Mitscherlichium vide. Nost. iterum, Phœniss. vs. 277, de regno Thebano loquens, *nemo sine sacro feret Illud cruore;* significat, omnes impie fuso sanguine devotos et piaculares fore. » Fateor me cum Farnabio simpliciter intellexisse *sacra cæde,* quasi diceretur *exsecranda cæde,* ut in Virg. Æn. III, 56 : « Auri *sacra* fames. »

94. *Malo Aspergite,* etc. Hoc est, sanguine et cæde. Fratris enim liberos Atreus ad aras jugulavit.

95. *Stabo.* Vid. Herc. fur. 118.

96. *Quid ora,* etc. Tantalo jussa Megæræ detrectanti, illa verbera et angues minatur, famisque stimulos acriores facit. Itaque mox ille, dolore victus : « Sequor », inquit, et pareo. — *Tortos... angues.* Virgil. Georg. III, 38 : « Tortos Ixionis angues. » Ovid. Metam. IV, 480 : « Tisiphone madefactam sanguine sumit Importuna facem, fluidoque cruore rubentem Induitur pallam, tortoque incingitur angue. » Et Noster in Med. 961 : « Ingens anguis excusso sonat Tortus flagello. »

97. *Famem infixam,* etc. Cf. Senecam, epist. 94.

100. *Sequor.* De hoc inchoato nec absoluto versu, vid. Animadvers. nostras.

101. *Hunc, o, furorem,* etc. Hunc, qui te jam habet, furorem tuis inspira, atque ut tu aquam, sic illi cruorem sitiant; ut fame exagitaris, sic infensi fratres odiis et vindictæ cupiditate flagrent.

102. *Sic, sic ferantur.* Eodem furore incendantur. Sic Nep. in Attic. c. 10, *odio ferri* dixit. Cic.

Digitized by Google

Sitiant cruorem.... Sensit introitus tuos
Domus, et nefando tota contactu horruit.
Actum est abunde : gradere ad infernos specus, 105
Amnemque notum : jam tuum mœstæ pedem
Terræ gravantur; cernis, ut fontes liquor
Introrsus actus linquat, ut ripæ vacent,
Ventusque raras igneus nubes ferat?
Pallescit omnis arbor, ac nudus stetit 110
Fugiente pomo ramus; et qui fluctibus
Illinc propinquis Isthmos atque illinc fremit,

pro Cluent. cap. 70, *crudelitate et scelere ferri*. Id. pro Quint. c. 11, *fervere et ferri avaritia*. Plin. X, 33, *ferri rabie*.

104. *Contactu*. Hæc Seneca videtur ex veteri quodam poeta expressisse, in quo Tantalus (vid. Cic. Tuscul. III, 12) : « Nolite, hospites, ad me adire illico istic, Ne contagio mea bonis, umbrave obsit : Tanta vis sceleris in corpore hæret! » Plerique ex Ennii Thyeste ea excerpta putant.

105. *Actum est abunde*. Erupit abunde quidquid venenorum, sceleris, odii, in Pelopidarum domum ex te præsente venturum speraveram.

106. *Jam tuum*, etc. Tuum pedem gravantur, id est, te ægre ferunt et sustinent. Horat. IV, od. 11, vs. 27 : « Pegasus, terrenum equitem gravatus Bellerophontem. » Et Seneca, de Clementia I, 12 : *At illum acerbum et sanguinarium necesse est graventur stipatores sui*. Cf. et Suet. in Aug. c. 72, in Ner. c. 34, in Vitell. c. 12. In his et similibus subauditur præpositio *ob* vel *propter*, locutione ex Græcis assumpta.

107. *Cernis, ut fontes*, etc. Fingit Poeta idem illud in terris, præsente Tantalo, fieri, quod apud inferos, scilicet latere fluvios, marcescere arbores, refugere fructus. Sic in Agam. 53, educta Thyestæ umbra, fingit solem serius solito surgere, ne virum illum conspiciat, cujus olim convivio territus in ortum recesserit.

109. *Ventusque raras*, etc. Arescit ipse aer, et *raræ*, i. e. perlucidæ et pluvia vacuæ nubes vento quodam igneo feruntur. Quo pleniores enim aquas nubes continet, eo spissior intumescit; contra, quo siccior est, eo levior et *rarior*. Virg. Æneid. IX, 508 : « Qua *rara* est acies, interlucetque corona Non tam spissa viris. » Lucret. I, 744, *res molles et raræ*. Ovid. Amor. lib. I, eleg. v, v. 13, *rara tunica*, etc. — Posses et accipere *raras* nubes, pro *paucas* nubes, quod ad eumdem sensum facile redigeretur; namque quo siccior aer est, eo paucioribus nubibus obtenditur.

112. *Isthmos*. Corinthiacus isthmus, qui Peloponnesum reliquæ Græciæ connectit, hinc Ægeo, illinc Ionio mari alluente.

Digitized by Google

Vicina gracili dividens terra vada,
Longe remotos latus exaudit sonos.
Jam Lerna retro cessit, et Phoronides
Latuere venæ : nec suas profert sacer
Alpheos undas, et Cithæronis juga
Stant parte nulla cana, deposita nive,
Timentque veterem nobiles Argi sitim.

113. *Gracili.... terra.* Tenui collo; unde *isthmos*, a nomine Græco ἰσθμὸς, *collum*. Lucan. I, 100 : «... undas Qui secat, et geminum gracilis mare separat Isthmos. »

114. *Longe remotos*, etc. Isthmos, qui modo gracili terra vicina dividebat vada, jam latior factus inhorrentis pelagi fuga, longius nunc sonitum utriusque maris exaudit. Ovid. Heroid. IV, 105 : « Æquora bina suis oppugnant fluctibus Isthmon, Et tenuis tellus audit utrumque mare. »

115. *Lerna*. Lacus Argolidis, Herculeo labore famosus. — *Phoronides...venæ*. Undæ Inachi fluvii, in Argolica regione. Plin. IV, 5 : «Amnes Inachus, Erasinus, inter quos Argos. » *Phoronides* autem dicuntur undæ Inachi, quia Phoroneus filius Inachi fuit, qui nomen suum fluvio dedit. Vid. Apollod. II, 1, et *Clavier, traduct. d'Apollod.* vol. II, pp. 193, 194 et 195. Add. Hygin. fab. 143. — *Venæ*. Per metaph. *venæ* dicuntur meatus aquarum. Hirt. bell. Gall. VIII, 43 : *Cuniculis venæ fontis intercisæ sunt atque aversæ*. Martial. X, 30 : « ...Nec in Lucrina lota Salmacis vena. »

117. *Alpheos*. Fluvius in Elide. Dicitur sacer, ut in Med. 81, quoniam ejus aqua Jovi gratissima credebatur, et ea aspergebatur Jovis Olympii statua, cineresque sacrificiorum abluebantur. — *Cithæronis*. Vid. Herc. fur. 335.

118. *Stant parte nulla cana*. Locus non ita facilis intellectu, sive talem scripserit poeta, sive postea aliquid vitii irrepserit. Convenit inter omnes hæc cum superioribus et sequentibus ad id conspirare, ut exprimatur quanta, præsente Tantalo, fiat in omni rerum natura ariditas. Sed interpretatur Baden. « Cithæronem subsidere et minorem fieri, solutis præ umbræ horrore nivibus. » Unde patet ab illo referri *cana* ad *nive*, et sic adnecti verba : « Juga Cithæronis, cana deposita nive, imminuuntur et subsidunt. » Verum, ut cætera omittam quibus hæc enodatio impugnari possit, obstat lex metri quominus probetur : necesse est enim corripiatur secunda vocabuli *cana* syllaba, quarto carminis iambici trimetri pede iambum tantummodo vel tribrachym recipiente. Ex quo statim infertur *cana* ad *juga* referendum, et sic intelligendum versum : « Cithæronis juga, positis nivibus, nulla jam sui parte candent. » Non inficias iverim languere hanc locutionem *juga stant cana nulla parte ;* sed existimo, admissa lectione, hæc secus intelligi non posse.

119. *Timentque veterem*, etc. Del-

Digitized by Google

En ipse Titan dubitat, an jubeat sequi 120
Cogatque habenis ire periturum diem.

CHORUS.

Argos de superis si quis Achaicum,
Pisæisque domos curribus inclytas,
Isthmi si quis amat regna Corinthii,
Et portus geminos, et mare dissidens; 125
Si quis Taygeti conspicuas nives,

rio ad hunc locum : « Inepte Ascensius *situm* legit ; ineptius Marmitta *sitim*, ad siccitatem quæ fuit tempore Phaethontis, refert. Recte Ægidius Maserius, in comment. Valerii Flacci, et Coelius Rhodiginus scribunt loqui Senecam de siti quæ ante Danai tempora fuit, quum, nondum inventis puteis, Argos in loco arido situm, aquarum penuria laborabat, quam Danaus, teste Plinio (VII, 56), sustulit, inventis puteis. Unde Hesiodus, teste Eustathio Iliad. δ' : « Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δάναος ποίησεν ἔνυδρον. »

120. *Jubeat sequi.* Dubitat Phœbus an currum agat per auras, et jubeat diem procedere, ob infandam Thyestis cœnam mox periturum.

122. *Argos*, etc. Si quis deus amat Achaicum Argos, etc. — *Achaicum.* Argolis enim Achaiæ contermina.

123. *Pisæis... curribus.* Pisa fuit urbs Elidis, ludorum Olympiorum celebratione nobilis. Virg. Georg. III, 180 : « Aut Alphea rotis prælabi flumina Pisæ. »

126. *Taygeti.* Taygetus vel Taygeta, mons Laconiæ. Virg. Georg. II, 487 : « Virginibus bacchata Lacænis Taygeta. » — Rogat Chorus advertant placidum numen omnes dei, qui non solum Argos et Mycenas, sed Laconiam Elidemque curæ habent : nam Argorum reges quemdam principatum, non solum in Peloponnesum sed in omnem Græciam, obtinebant. Unde *Argivi* generaliter usurpatum pro Græcis (vid. Virg. Æneid. I, 40; V, 672), et ipsum Argos pro Græcia (Lucan. X, 60). Legimus certe in Apollod. II, 1, Peloponnesum Argorum nomine fuisse nuncupatum : Ἄργος δὲ λαβὼν παρὰ Φορωνέως τὴν βασιλείαν, ἀφ' ἑαυτοῦ τὴν Πελοπόννησον ἐκάλεσεν Ἄργος. Unde *Clavier, traduct. d'Apollodore* (not. 15 ad lib. II, cap. 4) : *Parmi les descendants de Persée, il y en avait toujours un qui avait, pour ainsi dire, la* suzeraineté *sur tous les autres rois de l'Argolide, et même sur ceux du reste de la Grèce; et il paraît que ce fut à cette prérogative qu'Agamemnon dut le commandement de l'armée grecque à la guerre de Troie... Homère dit* (Iliad. II, 108) *qu'Agamemnon régnait sur tout Argos,* Ἀργεϊ παντὶ ἀνάσσειν, *quoique Diomède fût roi de la ville qui portait ce nom. Argos était le nom général de tout le Péloponnèse, et Agamemnon était le*

Digitized by Google

Quas, quum Sarmaticus tempore frigido
In summis Boreas composuit jugis,
Æstas veliferis solvit Etesiis;
Quem tangit gelido flumine lucidus 130
Alpheos, stadio notus Olympico;

chef de tous les rois de cette contrée. Itaque errant qui vituperant RACINIUM dicentem; « *J'écrivis en Argos.* »

127. *Sarmaticus... Boreas.* Septentrionalis, flans a septentrione Boreas. Porro Sarmatæ pro septentrionalibus quibus libet populis usurpari solent. Vid. Herc. fur. 539.

128. *Composuit.* Quum Boreas nives summis jugis congessit ac coacervavit. Virgil. Æn. VIII, 317: «Nec jungere tauros, Aut componere opes norant.» Sic quoque Herc. fur. 167: «Componit opes.» Falso putat Farnab. intelligendum *composuit nives*, quasi scripserit poeta *congelavit nives*.

129. *Solvit.* Liquefecit. Herc. OEt. 729: «Nives ut Eurus solvit.» Lucan. IV, 83: «Jamque Pyrenææ, quas nunquam solvere Titan Evaluit, fluxere nives.» — *Etesiis.* Venti æstivi, quotannis flantes; unde nomen eis ab ἐτήσιος, annuus. Incipiunt flare calend. Augusti, inquit Columell. XI, 2, desinunt tert. calend. Septembri. Eos *veliferos* appellat Seneca, ut qui navigantibus sint optati et secundi. Cic. de nat. deor. II, 53: *Quam tempestivos dedit, quam salutares, non modo hominum, sed etiam pecudum generi, iis denique omnibus, quæ oriuntur e terra, ventos Etesias! quorum flatu nimii temperantur calores; ab iisdem etiam maritimi cursus celeres et certi diriguntur.*

130. *Quem.* Deum. Omnino errat Botheus, qui hunc locum sic interpretatur: «Taygetum montem, cujus radices pariter ac fontes Alphei fluvii in Arcadia.» Si enim *quem* ad Taygetum referas, quid de legitima verborum structura fiet? Postquam scripsit poeta *si quis Taygeti nives amat, quas æstas solvit*, num addere potest, salva et elegantia et oratoriæ constructionis lege, *quem tangit Alpheos?* Adeo non latinum id esse existimo, ut si aliud non queat intelligi, lectionem pro falsa et spuria rejicerem. Sed usitata est et trita hæc dicendi forma: *Quem tangit Alpheos, ille placidum numen advertat.* Nec subaudito *si* vel *seu* opus est: *(ille) advertat* non minus vocabulo *quem*, quam vocibus *si quis* aptissime respondet. Potuit dixisse Seneca: « Qui Argos et regna isthmi Corinthii, qui Taygeti nives amat, quem tangit lucidus Alpheos, ille advertat numen.» Placuit poetæ pro *qui* substituere *si quis* in primis periodi membris, elegantissima locutione: sed male hinc inferatur laborare tertium, si eamdem figuram non induat.

131. *Stadio.* Positum pro curriculo, « ita dicto, ait Delrio, quod stadii mensuram expleret». Gellius Noct. Attic. I, 1, refert stadium in omnibus Græciæ partibus pedum ferme sexcentorum fuisse, ut Olympicum, quod Hercules pedibus suis metatus in hanc longitudinem ex-

Digitized by Google

Advertat placidum numen, et arceat,
Alternæ scelerum ne redeant vices;
Neu succedat avo deterior nepos,
Et major placeat culpa minoribus. 135
Tandem lassa feros exuat impetus
Sicci progenies impia Tantali.
Peccatum satis est : fas valuit nihil,
Aut commune nefas : proditus occidit
Deceptor domini Myrtilus, et fide 140

tendi voluerat. Attamen ex Censorin. de die nat. cap. 13, colligitur Pythicum stadium, non sexcentorum, ut Olympicum, sed mille pedum fuisse. Stadia quoque Italica a Græcis discerni debent : nam, teste Plinio, II, 23, illa sexcentorum et viginti quinque pedum fuere. Quanquam nonnulli hæc et illa paria contendunt, quod pes Græcus semuncia Romanum excedat.

132. *Advertat placidum numen.* Benigne Tantaleam domum despiciat. *Numen* enim de voluntate deorum dicitur, a *nutu* quo significari voluntas solet. Horat. Epod. 5, v. 51 : «Nox, et Diana... Nunc, nunc adeste; nunc in hostiles domos Iram atque numen vertite.» — *Arceat... ne redeant.* Ut inf. 749.

134. *Neu succedat*, etc. Cf. Horat. III, od. 6, v. 46 et sqq.

135. *Major... minoribus.* Minoribus, i. e. posteris. Vid. Lucret. V, 1193. Valer. Flacc. III, 455. Oppositio in verbis magis quam in rebus vertitur. Suffragamur igitur Scaligero, qui eam *ridiculam* judicavit, licet Gronovius eum objurgaverit, et temeritatis in culpando poeta accusaverit, sui auctoris intempestive patrocinator.

137. *Sicci.* Sitientis. Cf. Plaut. Pers. act. V, scen. 2, v. 41. Horat. IV, od. 5, v. 38. — *Progenies impia Tantali*, etc. Splendide *Voltaire*, *Pélopides*, act. I, scen. 1, de stirpe Tantali :

Il est donc en naissant des races condamnées,
Par un triste ascendant vers le crime entraînées,
Que formèrent des dieux les décrets éternels
Pour être en épouvante aux malheureux mortels!

139. *Aut commune nefas.* Fas nihil valuit; quin etiam communia scelera prætermissa sunt, ut nova et inaudita admitterentur. De Bothei conject. vid. Anim. nostr.

140. *Myrtilus.* Is fuit auriga Œnomai, Pisæ regis, a Pelope in mare immissus. Scilicet acceperat ab oraculo Œnomaus, imminere sibi letum ab Hippodamiæ, filiæ suæ, conjuge : quum igitur eam nulli vellet in matrimonium collocare, victus numero et pertinacia procorum, hanc eis legem fecit, nempe Hippodamiam pro conjuge habiturum, qui semet cursu superaret (confidebat enim singulari equorum suorum velocitati); morituros autem qui superarentur. Multis ita necatis, Pelops fidem aurigæ Myrtili corrupit, vel prima Hippodamiæ

Digitized by Google

Vectus, qua tulerat, nobile reddidit
Mutato pelagus nomine; notior
Nulla est Ioniis fabula navibus.
Exceptus gladio parvulus impio

nocte, vel, ut nonnulli perhibent, parte regni promissa : sublata igitur fibula quæ axem modiolis affigit, rex curru excussus est et ab equis misere discerptus. Myrtilum autem pretium perfidiæ poscentem Pelops in mare projecit. Cf. Serv. ad Virg. Georg. III, 7. Claudian. in laud. Seren. 167 : «Nam perfidus objice regis Prodidit Œnomai deceptum Myrtilus axem.» — *Fide vectus, qua tulerat.* Nihil de hoc loco adnotatores, qui tamen enodatione indiget. Gallicus interpres recentior : *Nous avons vu Myrtile, traître à son maître, et trahi à son tour, mourir victime de son infidélité;* et sic omnes intellexisse videntur, tanquam scriberetur, *eadem fide habitus, quam domino præstiterat.* Sed ista interpretatione neque *vectus* neque *tulerat* explicantur. Hæ duæ voces videntur ad Myrtili aurigationem respicere : quemadmodum Myrtilus dominum perfide vexerat et tulerat, sic ablatus et perfide *vectus* in mare fuit. Nec diffiteor hanc oppositionem esse quam pravissimi judicii : sed videant obstinati Senecæ laudatores quid aliud ex latinis verbis erui possit.—L. Accius poeta, in reliquiis trag. Atrei : «Fregisti fidem.—Neque dedi, neque do infideli cuiquam.» Ad quod Cic. in Offic. III, 28 : *Quanquam ab impio rege dicitur, luculente tamen dicitur.* Et id. 29 : *Idcirco recte a poeta dicitur, quia quum tractaretur Atreus, personæ serviendum fuit. Sed si hinc sibi sumunt, nullam esse fidem quæ infideli data sit, videant ne quæratur latebra perjurio....*

142. *Mutato pelagus nomine.* Nam ex Myrtilo in fluctus immisso, *Myrtoum pelagus* dicta est pars illa maris, quæ inter Peloponnesum, Atticam et Eubœam jacet. Ovid. Ib. 369 : «Proditor ut sævi periit auriga tyranni, Qui nova Myrtoæ nomina fecit aquæ.» Aliter Plin. IV, 11 : *Ægæi pars Myrtoo datur : appellatur ab insula parva, quæ cernitur Macedoniam a Geresto petentibus, haud procul Eubœæ Carysto.*

143. *Nulla est Ioniis,* etc. Fuit Ionia Asiæ minoris regio, quam circumscribebant a septentrione Æolis, a meridie Caria, ab oriente Lydia, ab occidente Ægæum mare. Si quis igitur ab Ionia profectus ad Peloponnesum appellere vellet, necesse erat trajiceret Myrtoum mare; ideoque Seneca nullam fabulam notiorem ab Ionia navigantibus dicit, quibus, ipsius loci aspectu, nominis ejus causa et origo ad memoriam revocarentur.

144. *Exceptus,* etc. Tantalus Pelopem filium ad patrios amplexus currentem interfecerat, et epulandum diis, qui dignati erant apud illum convivari, apposuerat. Vid. Herc. fur. not. ad vss. 750 et 752. Ovid. Metam. VI, 624, de Procne simile facinus in filium Ityn parante : «Ut tamen accessit natus, matrique salutem Attulit, et parvis adduxit colla lacertis, Mistaque blanditiis puerilibus oscula junxit.»

Digitized by Google

Dum currit patrium natus ad osculum, 145
Immatura focis victima concidit,
Divisusque tua est, Tantale, dextera,
Mensas ut strueres hospitibus deis.
Hos æterna fames prosequitur cibos,
Hos æterna sitis; nec dapibus feris 150
Decerni potuit pœna decentior.
Stat lusus vacuo gutture Tantalus:
Impendet capiti plurima noxio
Phineis avibus præda fugacior:
Hinc illinc gravidis frondibus incubat 155
Et curvata suis fœtibus, ac tremens
Alludit patulis arbor hiatibus:
Hæc, quamvis avidus nec patiens moræ,
Deceptus toties tangere negligit,

149. *Prosequitur cibos.* Ulciscitur infandi convivii scelus.

151. *Decentior.* Sceleri accommodatior.

152. *Stat lusus,* etc. De supplicio Tantali vid. quos citavimus scriptt. in not. Herc. fur. 750 : quibus adde Lucret. III, 994. Nota Tantalum alii supplicio, et disparis formæ, quanquam paris sævitiæ, affixum a Virg. Æn. VI, 603 : «Lucent genialibus altis Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ Regifico luxu : Furiarum maxima juxta Accubat, et manibus prohibet contingere mensas, Exsurgitque facem attollens, atque intonat ore.»

154. *Phineis avibus.* Harpyiis. Phineus, rex Bithyniæ, ex Cleopatra duos filios, Pandionem et Plexippum, susceperat. Mortua autem Cleopatra, uxorem duxit Idæam, filiam Dardani, quæ novercali odio et falsis criminibus conjugem ad id impulit, ut ex priore uxore natos obcæcaret. Tum Jupiter et ipsi Phineo lucem ademit, et immisit Harpyias quæ sontem assidue vexarent, dapesque vix appositas vitiarent raperentque. Vid. Æn. III, 209 et sqq. Serv. ad eumdem locum. Hygin. fab. 14. — *Fugacior.* Virg. III, 243 : « celerique fuga sub sidera lapsæ Semesam prædam et vestigia fœda relinquunt. »

157. *Alludit patulis... hiatibus.* Ori hianti. Juven. VI, 635, «carmen bacchamur hiatu », et Horat. Art. poet. 138, «Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? »

159. *Tangere negligit.* Contenderat Heinsius non quemquam esse, qui hinc saltem tolerabilem sensum eruere queat. Si enim Tantalus negligit tangere appositas dapes, quare igitur *illudit patulis arbor hiatibus?* Respondit Gronovius : « Itane vero Tantalus negligit tangere ap-

Digitized by Google

Obliquatque oculos, oraque comprimit, 160
Inclusisque famem dentibus alligat :
Sed tunc divitias omne nemus suas
Demittit propius, pomaque desuper
Insultant foliis mitia languidis,
Accenduntque famem, quæ jubet irritas 165
Exercere manus : has ubi protulit,
Et falli libuit, totus in arduum

posita poma? Certe toties deceptus negligit aliquantisper et obdurat, ut fingit eleganter auctor. Cur enim subjicit, *sed tunc divitias*, etc? nempe, quia hoc in pœnam Tantali sapiens nemus videt illum obfirmato animo et clauso ore perstare? ideo plura ei admovet oculiferia, ideo se magis demittit, et tum famem auget, tum spem apprehendendi incitat. Cur sequitur, *has ubi protulit, Et falli libuit?* nisi quia continuit eas aliquamdiu, et falli dedignatus est.»

160. *Obliquatque oculos.* Limis ocellis fructus intuetur. Feliciter hic exprimitur duplex Tantali affectus. Necessitatis et consilii prælium est : nam quamvis statuerit nihil ad implendam famem tentare, obvios tamen fructus non omnino aversari potest; sed illos oblique et quasi furtim aspectat, veluti prædam, quam ex improviso invadere meditaretur.

161. *Inclusis dentibus.* Id est *contractis dentibus.*«Dicuntur *inclusi dentes*, ait Badenius, eo modo quo *inclusum os*, in Sen. de ira, III, 19 : *Nemo certe invenietur alius, qui imperaverit his, in quos animadverti jubebat, os inserta spongia includi, ne vocis emittendæ haberent facultatem.*

164. *Insultant.* Cum libratione et jactatione quadam demittuntur. *Insultare* enim ex *salire.* Virg. Georg. III, 116 : « atque equitem docuere sub armis Insultare solo, et gressus glomerare superbos. » Horat. III, od. 3, v. 40 : «Dum Priami Paridisque busto Insultet armentum. » — *Mitia.* Matura, quo magis famem acuant. Cf. Virg. Bucol. I, 81, et Georg. II, 522. — *Languidis.* Lentis, ut quæ jam non avolaturæ sint, nec manum possint effugere. Horat. epod. 2, v. 64, *collo languido*, et Lucan. V, 421, *languida carbasa.*

166. *Exercere manus.* Hanc locutionem a Seneca sæpe et libenter usurpari exemplis Gronovius ostendit. Natur. quæst. VII, 13 : *Solvere ista quid aliud est, quam manum exercere, et in ventum jactare brachia?* De clement. I, 7 : *Humili loco positis exercere manum, litigare, in rixam procurrere, ac morem iræ suæ gerere, liberius est.* De otio sapient. 32 : *Nec tantum, quid faciendum sit, cogitare, sed etiam aliquando manum exercere, et ea, quæ meditata sunt, ad verum perducere.*

167. *Et falli libuit.* Neque enim per ignorantiam fallitur, quum toties fructus expertus fuerit fugaces, idque in æternum fore apprime sciat.

Digitized by Google

Autumnus rapitur, sylvaque mobilis.
Instat deinde sitis non levior fame;
Qua quum percaluit sanguis, et igneis 170
Exarsit facibus, stat miser obvios
Fluctus ore vocans, quos profugus latex
Avertit, sterili deficiens vado,
Conantemque sequi, deserit : hic bibit
Altum de rapido gurgite pulverem. 175

168. *Autumnus.* Pro fructibus, quos fert autumnus.

171. *Facibus.* Sitis ardore et quasi facibus.

174. *Hic bibit*, etc. Hic arenas pro fugientibus aquis corripit.

175. *Altum.... pulverem.* Ut in Herc. fur. 367, *altus cinis.* — Credidit Scaligerus finem huic choro deesse; quam opinionem improbavisse videtur Gronovius, qui in notis : « Ubi exprompserint viri summi rationes, quibus inducti docent nos finem huic choro deesse, quid nobis statuendum sit, considerabimus. Nunc nolumus damnare inauditos : sed neque apparet caussa, cur lectorem moremur asteriscis. » Finem huic deesse choro Scaligerum ex eo induxisse arbitror, quod, post Tantalei supplicii descriptionem, nonnulla addenda sane videantur, quæ orationem, unde deducta est, reducant, et ad tragœdiæ argumentum propius spectent. Inceperunt enim Argivi senes precando superos, ut imminentia sobolis Pelopeæ scelera arcerent; satis fuisse peccatum; satis multa a Pelope et a Tantalo nefarie patrata. Inde ad depingendum Tantali supplicium poeta deflexit, in quo exprimendo diutius forsan immoratus est, et minutiore cura singula recensuit, sed plurima severioris limæ atque eximiæ elegantiæ exhibuit, in quibusdam adumbrandis imaginibus adeo felix, ut ipsis oculis subjectæ videantur. Post hanc descriptionem, qua monentur Pelopis liberi, quantæ maneant sceleratos pœnæ, decuit certe poetam ad Pelopidas et ad propositam materiam regredi, et aliquid desiderari jure pronuntiavisse Scaligerum arbitror : sed utrum in eo ipse peccaverit Seneca (quod fieri potuit; nam hujusce generis vitia in illo abundant), an quæ scripserat injuria temporum aut librariorum negligentia exciderint, dijudicare non ausim.

Digitized by Google

ACTUS SECUNDUS.

ATREUS, SATELLES.

ATR. IGNAVE, iners, enervis, et, quod maximum
Probrum tyranno rebus in summis reor,
Inulte, post tot scelera, post fratris dolos,
Fasque omne ruptum, questibus vanis agis
Iras? At Argos fremere jam totum tuis 180
Debebat armis, omnis et geminum mare
Innare classis : jam tuis flammis agros
Lucere et urbes decuit, ac strictum undique
Micare ferrum. Tota sub nostro sonet
Argolica tellus equite : non sylvæ tegant 185
Hostem, nec altis montium structæ jugis
Arces : relictis bellicum totus canat
Populus Mycenis : quisquis invisum caput

177. *Probrum tyranno.* Nihil tyranno et in fastigio rerum dominanti turpius, quam ulcisci non potuisse videri. Sic *Voltaire, Pélopides*, act. II, scen. 3 :

IDAS.

Ce peuple sous vos lois ne s'est-il pas rangé?
N'êtes-vous pas roi?

ATRÉE.

Non, je ne suis pas vengé.

179. *Questibus vanis agis Iras?* Num iras in vanos questus effundis? *Agere iras* dicitur elegantissime pro *iras expromere, proferre, exercere.*

181. *Geminum mare.* Ionium et Ægæum. Horat. I, od. 7, v. 2, *bimarisve Corinthi.* Ovid. Metam. VII, 405, *bimarem Isthmon.* Id. Fast. IV, 501, *bimaremque Corinthon.*

185. *Equite.* Equitatu.

187. *Bellicum...canat.* Tubæ cantu viros ad bellum stimulet. Cic. pro Mur. 14 : *Simul atque aliquis motus novus bellicum canere cœpit.* Justin. XII, 15 : *Veluti bellicum inter amicos cecinisset.*

188. *Mycenis.* Modo Mycenis (vide, præter hunc ipsum locum,

Digitized by Google

Tegit ac tuetur, clade funesta occidat.
Hæc ipsa pollens incliti Pelopis domus 190
Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.
Age, anime, fac, quod nulla posteritas probet,
Sed nulla taceat : aliquod audendum est nefas
Atrox, cruentum; tale, quod frater meus
Suum esse mallet : scelera non ulcisceris, 195
Nisi vincis. Ecquid esse tam sævum potest,
Quod superet illum? numquid abjectus jacet?
Numquid secundis patitur in rebus modum,
Fessis quietem? novi ego ingenium viri
Indocile : flecti non potest, frangi potest. 200
Proin, antequam se firmet, aut vires paret,
Petatur ultro, ne quiescentem petat :

infra vs. 562, 1011), modo Argis (vide vs. 119, 185, 298, 404, 411), hujus tragœdiæ fabula videtur peragi. Sed reputandum has urbes, et vicinas, et eidem imperio addictas, sæpe a poetis confundi, et poni identidem alteram pro altera. Sic in Herc. fur. 997, *Bellum Mycenis restat*, et 1038, *Argos victimas alias dabit*, licet unum et in una urbe perficiendum designetur, i. e. Eurysthei et filiorum ejus cædes. Gallicus interpres, *Levée*, hanc nominum perturbationem non modo servavit, quod, ut in interprete, reprehensione caret, sed pejus aliquid ultro volensque adstruxit, scribendo in præmissa personarum recensione : *Chœur des vieillards de Mycènes*, et paulo inferius : *La scène est à Argos.*

191. *Ruat vel in me* etc. Sic *Corneille*, in tragœd. cui titulus *Rodogune*, act. V, scen. 1 :

Tombe sur moi le ciel pourvu que je me venge!
. . . . . .
Il est beau de mourir après ses ennemis.

194. *Tale, quod frater meus*, etc. Senecæ, in fingenda Atrei persona, imitator *Crébillon*, *Atrée et Thyeste*, act. III, scen. 8 :

Vengeons tous nos affronts, mais par un tel forfait,
Que Thyeste lui-même eût voulu l'avoir fait.

195. *Nisi vincis.* Eodem loco, *Crébillon :*

Je ne punirais point vos forfaits différents,
Si je ne m'en vengeais par des forfaits plus grands.

197. *Abjectus jacet?* At, inquit Atreus, quo scelere Thyestis nequitia superari queat, mala fortuna non domitus, in prospera ultra modum superbiens, in fessis rebus otii impatiens?

199. *Fessis.* Plin. II, 7 : *Vespasianus Augustus, fessis rebus subveniens.*

202. *Petatur ultro.* Ipsum ultro prius opprimam, quam me quiescentem et nihil molientem adoriatur.

Digitized by Google

Aut perdet, aut peribit : in medio est scelus
Positum occupanti. SAT. Fama te populi nihil
Adversa terret? ATR. Maximum hoc regni bonum est, 205
Quod facta domini cogitur populus sui
Tam ferre, quam laudare. SAT. Quos cogit metus
Laudare, eosdem reddit inimicos metus.
At qui favoris gloriam veri petit,
Animo magis, quam voce, laudari volet. 210
ATR. Laus vera et humili sæpe contingit viro :
Non nisi potenti falsa. Quod nolunt, velint.
SAT. Rex velit honesta; nemo non eadem volet.
ATR. Ubicunque tantum honesta dominanti licent,
Precario regnatur. SAT. Ubi non est pudor, 215
Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est. ATR. Sanctitas, pietas, fides,

203. *Perdet.* Subaudi *me*, quod amovit poeta, ut oppositio strictius necteretur. Sic *Corneille*, in tragœd. cui titulus *Le Cid*, act. I, scen. 8 : *Mears, ou tue. — In medio est scelus*, etc. Scelus in medio ponitur, inter me et Thyestem, et certamus uter istud prior occupet.

204. *Fama populi.* Rumor, opinio populi. Cæs. bell. civ. I, 82 : *Contra opinionem famamque omnium.*

208. *Reddit inimicos metus.* Senec. ep. 47 : *Non potest amor cum timore misceri.* Cf. et Sall. ad Cæs. de Rep. ordin. II, 3, et Nostri Med. 416. In reliquiis tragœdiæ *Atrei* a L. Accio scriptæ, hoc reperitur « oderint, dum metuant, » quod dicebat ipse Atreus : de hoc fragmento, Cic. Offic. I, 28 : *Tum servare illud poetas dicimus, quod deceat, quum quod quaque persona dignum est et fit et dicitur. Ut, si Æacus aut Minos diceret « Oderint, dum metuant », indecorum videtur, quod eos fuisse justos accepimus : at Atreo dicente, plausus excitantur; est enim digna persona oratio.* Cf. et Senec. de ira I, 16.

213. *Rex velit*, etc. Plin. Panegyric. Traj. 45 : *Vita principis censura est, eaque perpetua : ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus est quam exemplo : quippe infidelis recti magister est metus. Melius homines exemplis docentur.* Et id. 46 : *Ex quo manifestum est principum disciplinam capere etiam vulgus, quum rem, si ab uno fiat, severissimam, fecerint omnes.* Claudian. in quart. Consulat. Honorii, v. 299 : « Componitur orbis Regis ad exemplum », etc. Multa quoque huic sententiæ cognata reperies in oratore nostro *Massillon (Petit Carême; sermon sur les exemples des grands).*

215. *Precario.* Vid. Curt. IX, 7.

217. *Sanctitas, pietas*, etc. « *Cu-*

Digitized by Google

Privata bona sunt : qua juvat, reges eant.
SAT. Nefas nocere vel malo fratri puta.
ATR. Fas est in illo, quidquid in fratre est nefas. 220
Quid enim reliquit crimine intactum? aut ubi
Sceleri pepercit? Conjugem stupro abstulit,
Regnumque furto : specimen antiquum imperii
Fraude est adeptus; fraude turbavit domum.
Est Pelopis altis nobile in stabulis pecus, 225
Arcanus aries, ductor opulenti gregis,
Cujus per omne corpus effuso coma
Dependet auro, cujus e tergo novi
Aurata reges sceptra Tantalici gerunt :

rum juris omisit, ait acute Delrio, quia illa potius publicum bonum est, et potissimum ad principem pertinet. »

218. *Privata.* Ad privatos pertinentia.—*Qua juvat.* Ut fert eorum libido. Ovid. ex Pont. II, 4, v. 33: « Constantique fide veterem tutare sodalem, Qua licet, et quantum non onerosus ero. » Virg. Æn. XI, 292 : « Coeant in fœdera dextræ, Qua datur. »

219. *Vel malo.* Etiam noxio et scelerato.

220. *Fas est in illo.* Elegantius quam *in illum*, ut inf. 310 : « In patre facient, quidquid in patruo doces. » Vid. Animadversiones nostras ad Herc. fur. 24. Adde Ovid. Met. VI, 635 : « Scelus est pietas in conjuge Tereo. » Quod expressit ita *Crébillon*, *Atrée et Thyeste*, act. I, scen. 3 :

Contre Thyeste enfin tout paroit légitime.

223. *Specimen .... imperii.* Indicium, argumentum regiæ potestatis, i. e. arietem illum, de quo infra.

225. *Nobile ... pecus.* Vulgo de plurimis dicitur *pecus ;* hic de ariete tantum, insolenti figura, sed quæ tamen non omnino exemplis careat. Ovid. in Ib. 457 : « Inque pecus magnæ subito vertare parentis. »

226. *Arcanus aries.* De hoc ariete, poeta a Cic. citatus de nat. deor. III. 27, et quem L. Accium esse suspicantur nonnulli : « Adde huc, quod mihi portento cælestum pater Prodigium misit regni stabilimen mei, Agnum inter pecudes aurea clarum coma, Quondam Thyesten clepere ausum esse e regia ; Qua in re adjutricem conjugem cepit sibi. » *Opulenti gregis.* Dicitur *opulentus*, propter auream comam.

228. *Tergo.* Pretioso vellere. Ex eo tantum exemplo, si alia deficiant, constat erravisse Grammaticos, qui docent *tergum* solummodo hominum esse, *tergus* autem bestiarum.

229. *Sceptra.* In hunc locum Delrio : « Ait hujus arietis lana aurea solitos Pelopidas sceptrum ornare ; de quo Pausan. in Bœot. scriptum reliquit deorum omnium ma-

Digitized by Google

Possessor hujus regnat; hunc cunctæ domus 230
Fortuna sequitur. Tuta seposita sacer
In parte carpit prata, quæ claudit lapis,
Fatale saxeo pascuum muro tegens.
Hunc, facinus ingens ausus, assumpta in scelus
Consorte nostri perfidus thalami avehit. 235
Hinc omne cladis mutuæ fluxit malum.
Per regna trepidus exsul erravi mea.

xime consuevisse Cherronenses id sceptrum colere, quod Jovi fabricasse Vulcanum Homerus cecinit, a Jove acceptum Mercurium dedisse Pelopi, Pelopem Atreo reliquisse, Atreum Thyesti, a Thyeste per manus traditum tenuisse Agamemnonem; et hoc illos præcipue sceptrum veneratos, et hastam nominasse. Plura deinde de hujus sceptri cultu et sacris subjungit. Unde manifestum fit hoc sceptrum hastæ simile fuisse, nec mentitum Justinum lib. XLIII, quum tradidit, adhuc Romulo regnante, reges hastas pro diademate habuisse, easque Græcos *sceptra* nominasse: quod intelligendum puto de hastis brevioribus, qualia sunt pila Romanorum, vel venabula Thessalorum, ferro tamen minus lato, non de oblongis illis Macedonum sarissis, quibus hodie pedites utuntur.»

231. *Fortuna sequitur.* Quocumque traducitur ille aries, huc totius imperii ditionem prosperosque rerum successus secum transfert. Macrob. Saturn. III, 7 : «Traditur autem in libro Etruscorum, si aries insolito colore fuerit indutus, portendi imperatori omnium rerum felicitatem. Est super hoc liber Tarquitii transcriptus ex ostentario Thusco; ibi reperitur: *Purpureo aureove colore ovis ariesve si aspergatur, principi ordinis et generis summa cum felicitate largitatem auget, genus progeniemque propagat in claritate, lætioremque efficit.*» Phryxus et Helle ab aureo ariete servati finguntur.

233. *Fatale.* Quasi ager, in quo pascitur aries, ipse fati pars et instrumentum haberi debeat.

235. *Consorte.* Rectissime a Fabricio adnotatum est, conjugem Atrei quæ Thyesten in subducendo fatali ariete adjuverat, nec Europen, nec Meropen, nec Æropen, ut multi crediderunt, appellatam, sed, distinctis vocalibus, *Aeropen.* Euripid. Orest. 18 : «Μενέλεώς τε Κρήσσης ματρὸς Αερόπης ἄπο.» Ovid. Trist. II, 391 : «Si non Aeropen frater sceleratus amasset.» Fluxit diversitas lectionum tum a librorum depravatione, tum ab aliorum nominum similitudine : sed cum Fabricio conspirant leges metri (melius enim corripitur tertia syllaba in *Aeropen* quam producitur), et derivationis (Aerops enim ab ἀὴρ et ὤψ, id est, quæ habet aerios oculos.)

236. *Mutuæ.* Ab Atreo Thyesti, et a Thyeste Atreo illatæ.

237. *Per regna,* etc. Nam variæ

Digitized by Google

Pars nulla nostri tuta ab insidiis vacat :
Corrupta conjux, imperii quassa est fides,
Domus ægra, dubius sanguis : est certi nihil, 240
Nisi frater hostis. Quid stupes? Tandem incipe,
Animoque sume Tantalum, et Pelopem aspice :
Ad hæc manus exempla poscuntur meæ.
Profare, dirum qua caput mactem via.
SAT. Ferro peremptus spiritum inimicum exspuat. 245
ATR. De fine pœnæ loqueris, ego pœnam volo.

fuerunt fortunæ et præliorum vices, ita ut modo Atreus victus et dejectus regno erraret, modo Thyestes; quod jam a Tantalo expressum est, sup. v. 32 et sqq. «Superbis fratribus regna excidant Repetantque profugos etc.» Major autem vis ex oppositione nascitur, *exsul... per regna mea.* Semper enim se regem fuisse contendit Atreus, quippe qui semper regnandi jus legitimum habuerit.

238. *Pars nulla nostri.* Omnia quæ mea fuerunt. Sallust. Jugurth. 14 : *An quoquam adire licet, ubi non majorum meorum hostilia monumenta plurima sint? aut quisquam nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit?* Id. in orat. Philippi contra Lepidum : *Nostri proditor, istis infidus.*

239. *Imperii ... fides.* Non, ut pronuntiat Farnabius, fides qua inter Atreum et Thyestem de vicissitudine regnandi per alternos annos convenerat, quod factum nullibi reperio, sed fides qua obligabantur omnes erga regnantem et legitima potestate dominantem.

242. *Sume Tantalum.* Imitandum Tantalum, imitandum Pelopem tibi propone. Nec quisquam locum emendet, quasi *Sumere animo Tantalum* sincerum minus videatur : ea locutio Senecæ ingenium, ut quæ maxime, redolet : jam sup. 54 dixit, « Imple Tantalo totam domum. »

245. *Spiritum... exspuat.* Senec. de ira III, 43 : *Jam ipsum spiritum exspuimus.* — Quis non miretur Satellitem, tanta nuper humanitate Atreo oblocutum, subita conversione animi cum illo de pœna Thyestæ ita deliberare, ut jam Atreo similis odio suo et acerbitate verborum videatur? *Exspuat spiritum*, et *spiritum inimicum* sunt viri crudelis, aut saltem infensi. Redit quidem ad mitiores sensus in versu 248, «Nulla te pietas movet», etc. Mox autem ad sævum et humile obsequium relabitur, vs. 286, «Sed quibus captus dolis, Nostros dabit perductus in laqueos pedem?» Hunc tam mutabilis et incerti animi, hominem non esse dixerim, sed machinam quamdam variam et multiplicem, quæ modo hanc personam, modo illam agat et repræsentet, prout vel adversario, vel sceleris participe opus est, ut Atrei ingenium plenius explicetur, et illi suppeditentur ac præparentur quæ splendide respondeat.

246. *De fine pœnæ*, etc. Suades, respondet Atreus, ut, interficiendo

Digitized by Google

Perimat tyrannus lenis : in regno meo
Mors impetratur. SAT. Nulla te pietas movet?
ATR. Excede, pietas, si modo in nostra domo
Unquam fuisti! dira Furiarum cohors, 250
Discorsque Erinnys veniat, et geminas faces
Megæra quatiens : non satis magno meum
Ardet furore pectus; impleri juvat
Majore monstro. SAT. Quid novi rabidus struis?
ATR. Nil quod doloris capiat assueti modum. 255
Nullum relinquam facinus, et nullum est satis.
SAT. Ferrum? ATR. Parum est. SAT. Quid ignis? ATR. Etiamnum parum est.
SAT. Quonam ergo telo tantus utetur dolor?
ATR. Ipso Thyeste. SAT. Majus hoc ira est malum.
ATR. Fateor : tumultus pectora attonitus quatit, 260
Penitusque volvit : rapior, et quo nescio,

Thyestem, illum liberem omni cruciatu. Non ita : vivat, et torqueatur, et diuturna patiatur mala. Cf. Herc. fur. 511 et seqq. *Crebillon, Atrée et Thyeste*, act. III, scen. 8 :

.....Était-ce me venger
Que de charger son fils du soin de l'égorger?
Qu'il vive : ce n'est plus sa mort que je médite;
La mort n'est que la fin des tourments qu'il mérite.
Que le perfide, en proie aux horreurs de son sort,
Implore, comme un bien, la plus affreuse mort.

247. *Perimat*, etc. Occidat tyrannus lenis; ego miseros vivere jubeo, quo longioribus pœnis exerceantur: in meo regno, mors pro gratia atque beneficio impetratur. Nemo est qui non intelligat quantam vim et gravitatem habeant juncta illa vocabula, *mors* et *impetratur*. — *Perimat tyrannus lenis. Crébillon, Atrée et Thyeste*, act. V, scen. 8 :

Tu souhaites la mort, tu l'implores; et moi,
Je te laisse le jour pour me venger de toi.

250. *Dira Furiarum cohors*. Vid. quæ notav. ad Herc. fur. 101.

254. *Majore monstro*. Id est ira, qualem nemo conceperit. Appellabatur *monstrum*, si quid incredibile et extra naturæ leges exstiterat.

256. *Nullum relinquam facinus*. Omnia quælibet scelera adhibebo, et nullum tamen erit, quod iræ meæ satis sit.

259. *Majus hoc ira*, etc. Hoc malum iram ipsam exsuperat : quid enim ira solet efficere? injurias, cædes? Sed Atreus ipso Thyeste utatur ad excruciandum Thyestem, novum est istud, et cæteros iræ longe vincit effectus.

260. *Tumultus.... attonitus*. Vid. Herc. fur. 1219. Cn. Nævius, in tragœdd. reliquiis : « Magni metus tumultus pectora possidet. »

Digitized by Google

Sed rapior. Imo mugit e fundo solum;
Tonat dies serenus, ac totis domus
Ut fracta tectis crepuit, et moti lares
Vertere vultum : fiat hoc, fiat nefas, 265
Quod, dii, timetis. SAT. Facere quid tandem paras?
ATR. Nescio quid animus majus, et solito amplius,
Supraque fines moris humani tumet,
Instatque pigris manibus : haud, quid sit, scio;
Sed grande quiddam est... Ita sit; hoc, anime, occupa.
Dignum est Thyeste facinus, et dignum Atreo: 271
Uterque faciat. Vidit infandas domus
Odrysia mensas.... Fateor; immane est scelus,

262. *Imo mugit*, etc. Addita ad terrorem. Si quid immane paratur, id monstris portentisque nuntiari poetæ fingunt.

263. *Tonat dies serenus*. Sereno æthere tonatur, quod prodigiosum magis habebatur. Homer. Odyss. XX, 112 : « Ζεῦ πάτερ, ὅστε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν ἀνάσσεις, Ἦ μεγάλ' ἐβρόντησας ἀπ' οὐρανοῦ ἀστεροέντος, Οὐδέ ποθι νέφος ἐστί· τέρας νύ τεῳ τόδε φαίνεις. » Virg. Georg. I, 487 : « Cælo ceciderunt plura *sereno*. » Horat. I, od. 34. vs. 5 : « Namque Diespiter Igni corusco nubila dividens, Plerumque *per purum* tonantes Egit equos, volucremque currum. » Et Lucan. I, 530 : « Fulgura fallaci micuerunt crebra *sereno*. »

264. *Lares*. Vid. Herc. fur. 197.

265. *Vertere vultum*. Tantum nefas aversantur.

267. *Nescio quid*, etc. In L. Accii fragmentis : « Major mihi moles, majus miscendum malum, Qui illius acerbum cor contundam et comprimam. » De quibus vid. Cic. Tuscul. IV, 36.

269. *Instatque*, etc. Tardasque urget manus.

270. *Occupa*. Videlicet ne hoc prior Thyestes admittat : sup. vs. 204, « In medio est scelus Positum occupanti. » Cf. et Agam. 193; Herc. Œt. 435.

272. *Uterque faciat*. Thyestes et Atreus in partem sceleris veniant. Scilicet Thyestæ liberos, hic necabit, ille vorabit.

273. *Odrysia*. Intellige domum Terei, de cujus sceleribus vid. sup. 56, et Herc. fur. 149. Ovid. Metam. VI, 424 et sqq. Tereus rex Thraciæ fuit, in qua gens Odrysarum aut Odrysiorum : unde sæpe *Odrysius* pro *Thracius*. Ovid. Met. VI, 490, *Odrysius rex*, et id. de rem. amor. 459, *Odrysius tyrannus*, scilicet *Tereus*. Add. Cellarium ad Sil. IV, 432, et Barthium ad Stat. t. 2, p. 1271. Interpreti Gallico *Levée* placuit, pro Odrysio populo, virum quemdam, *Odrysium* nomine, effingere : *La maison d'Odrysius a vu aussi des festins impies préparés pour Térée*. — *Fateor*, etc. De sententiarum or-

Digitized by Google

Sed occupatum : majus hoc aliquid dolor
Inveniat. Animum Daulis inspira parens, 275
Sororque : causa est similis ; assiste, et manum
Impelle nostram.... Liberos avidus pater
Gaudensque laceret, et suos artus edat.
Bene est ; abunde est : hic placet pœnæ modus
Tantisper. Ubinam est? tam diu cur innocens 280

dine et nexu pauca dicenda sunt. Post has voces *grande quiddam est*, sese offert Atrei animo atrox illud, quod exsecuturus est, consilium, verum in uno tantum modo liberorum Thyestæ, ut ex sequentibus colligitur, peragendum. Mox autem reputat Atreus jam Terei domum tales vidisse epulas, et ad majus aliquid excogitandum intenditur : «Immane quidem esse fateor, inquit, quod mente concepi scelus ; sed nec novum nec inauditum est. » Tandem statuit tres Thyestæ liberos pro uno occidere et patri epulandos præbere, ut vincatur Procnes scelus qui unum Tereo vorandum apposuerat. Sic expletur quod jusserat fieri Megæra : « Thracium fiat nefas Majore numero. »

274. *Occupatum.* Jam admissum et quasi præreptum ; eodem sensu quo sup. 204, *positum occupanti*, et 270, *hoc occupa.*—*Dolor.* Sæpe adhibetur pro *vindictæ cupiditas.* Corn. Nep. in Lysandro, c. 3 : *Decemviralem suam potestatem sui ab illo constitutam sustulerunt. Quo dolore incensus, iniit consilia reges Lacedæmoniorum tollere.*

275. *Animum... inspira.* Ferum animum tuum mihi infunde. Non autem *animum meum inspira*, ut multi credidisse videntur. Non enim *inspirare animum* idem sonat ac locutio Gallica *inspirer l'esprit de quelqu'un*, sed, pro vocabuli compositione, significat *afflare alicui quosdam affectus, quemdam animum.* Virg. Æn. VI, 11 : «magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates aperitque futura. » Eodem prorsus sensu Liv. III, 17 : *Romule pater, tu mentem tuam, qua quondam arcem ab his iisdem Sabinis auro captam recepisti, da stirpi tuæ! — Daulis...parens, sororque.* Procne et Philomela, sic dictæ a Daulide urbe, in qua impium convivium Tereo paravere. Virg. Cir. 198 : «Vosque adeo humani mutatæ corporis artus, Vos o crudeli fatorum lege puellæ Dauliades... » Ovid. Heroid. XV, 153 : «Sola virum non ulta pie mœstissima mater Concinit Ismarium Daulias ales Itym. »

276. *Causa est similis.* Scilicet hinc et illinc ultio de adulteris sumpta. Gallicus vates, *Racine*, in Phædra, act. III, sc. 3, licet alio sensu, iisdem tamen verbis :

Déesse, venge-toi ; nos causes sont pareilles.

279. *Bene est ; abunde est.* Solennis locutio. Vid. inf. v. 890. Med. 1019. Agam. 870, etc. Add. Plin. IV, epist. 30, et V, ep. 8.

280. *Ubinam est?* Subaudi, *Thyestes.* Vix enim concepto immani scelere, fratrem optat nunc adesse, in quem sæviat.

Digitized by Google

Versatur Atreus? Tota jam ante oculos meos
Imago cædis errat; ingesta orbitas
In ora patris. Anime, quid rursus times?
Et ante rem subsidis? Audendum est, age:
Quod est in isto scelere præcipuum nefas, 285
Hoc ipse faciet. SAT. Sed quibus captus dolis,
Nostros dabit perductus in laqueos pedem?
Inimica credit cuncta. ATR. Non poterat capi,
Nisi capere vellet. Regna nunc sperat mea:
Hac spe minanti fulmen occurret Jovi; 290
Hac spe subibit gurgitis tumidi minas,
Dubiumque Libycæ Syrtis intrabit fretum;
Hac spe, quod esse maximum retur malum,
Fratrem videbit. SAT. Quis fidem pacis dabit?

281. *Tota jam*, etc. Sic Ovid. Metam. VI, 585, de Procne: «Fasque nefasque Confusura ruit, pœnæque in imagine tota est.»

282. *Ingesta orbitas*. Interpretatur Farnabius: «Ipse suos liberos, quibus jam orbatus fuerit, vorabit.» Unde patet illum intellexisse *in ora patris*, tanquam diceretur *in stomachum patris*, et *orbitas ingesta*, tanquam *congestos filios quibus orbatus fuerit*. Nos autem arbitramur poni *in ora patris* pro *ante patris oculos*: jam sibi videtur Atreus Thyestem videre abscissa liberorum contemplantem capita, atque ad conspectum, ut ita dicam, orbitatis suæ horrentem. Hic sensus, cæterequin simplicior, multis quoque exemplis Senecæ confirmatur. Med. 132: «Nefandæ virginis parvus comes Divisus ense, funus ingestum patri.» Sen. epist. 29: *Hos mihi circulatores, qui philosophiam honestius neglexissent, quam vendunt, in faciem ingeret.*

283. *Anime, quid rursus times?* Sic in *Crébillon*, Atreus sui sceleris immanitate aliquantisper ipse terretur. *Atrée et Thyeste*, act. V, scen. 5:

Je frissonne, et je sens mon ame se troubler.

285. *Præcipuum nefas*. Nempe filios comedere.

289. *Nisi capere vellet*. Nisi Thyestes vellet me decipere et regno frustrare, nullam haberem viam eum in laqueos perducendi: sed ambitione et spe obcæcatus, ipse occurret insidiis.

291. *Gurgitis tumidi*. Vult Farn. intelligi Adriaticum mare, tempestatibus maxime obnoxium: potius putem de quolibet tumido gurgite dici.

292. *Libycæ (Libyæ) Syrtis*. Vid. Herc. fur. 319.

293. *Quod... retur malum*. Nempe videre fratrem.

294. *Quis fidem*. Quis persuadere Thyesti potefit te veram et sinceram pacem offerre?

Digitized by Google

Cui tanta credet? ATR. Credula est spes improba. 295
Natis tamen mandata, quæ patruo ferant,
Dabimus, relictis exsul hospitiis vagus
Regno ut miserias mutet, atque Argos regat
Ex parte dominus. Si nimis durus preces
Spernet Thyestes, liberos ejus rudes, 300
Malisque fessos gravibus, et faciles capi,
Preces movebunt. Hinc vetus regni furor,
Illinc egestas tristis, hinc durus labor,
Quamvis rigentem tot malis subigent virum.

295. *Cui tanta credet.* Cui credet tanta et tam nova nuntianti? Sic Terent. Andr. act. III, scen. 4, v. 9 : «Credon' tibi hoc, nunc peperisse hanc e Pamphilo? » Si quem hæc locutio *credere rem alicui*, pro *credere alicui rem nuntianti*, offendat, certe non ita frequenter usurpata, accipiatur *credet* pro *committet:* «Cui Thyestes tanta, i. e. vitam, liberos, committet? »

296. *Natis.* Agamemnoni et Menelao. — Plerique scriptt. Agamemnona et Menelaum ex Atreo ortos dixere, Homerum secuti qui eos Atridas sæpius nuncupat. Attamen nonnulli illos ex Plisthene natos perhibent, Pelopis et Hippodamiæ filio, fratre Atrei et Thyestæ. Fertur Plisthenes moriens filios suos Atreo commendavisse, qui eos alendos et instituendos suscepit, unde Atridæ dicti sunt. Nec desunt etiam qui Plisthenis quidem eos filios, sed Plisthenem Atrei filium, putant. Additur Agamemnona Menelaumque nomen vel patrui vel avi sui occupasse, quia pater eorum Plisthenes nihil insigne et memoria dignum peregerat. Dictys Cret. V, 16 : *Atque exin contumeliis Agamemnonem fratremque agere, eosque non Atridas, sed Plisthenidas, et ob id ignobiles appellare.* Stesich. in fragment. (Plutarch. de dilata maleficiorum pœna, 21) Agamemnonem aut Orestem *Plisthenidem* vocat.

297. *Relictis... hospitiis.* Relictis locis ubi exsul peregrinabatur; et vagantem vitam trahebat.

299. *Ex parte dominus.* Veniat in partem regni.

300. *Rudes.* Inexpertos et rerum ignaros : opponitur *rudes* præcedentibus verbb. *inimica credit cuncta, non poterat capi,* etc.

303. *Hinc durus labor.* Pro *hinc* substituit Both. *et;* impelli enim Thyestem hinc regnandi cupidine, illinc egestate, cui affinis est labor. Non inficias iverim posse conjungi *egestas* et *labor;* sed hæc quoque, integro sensu, voculis *illinc* et *hinc* distinxeris, quæ enumerationis, non oppositionis, identidem signa sunt, et ideo permiste adhibentur. Sic in Herc. fur. 6 et sqq. *hinc Arctos.... hinc, qua tepenti... Illinc timendum... hinc clara gemini.*

304. *Rigentem.* Indurescentem malis et obstinatæ adversus ea constantiæ.

Digitized by Google

SAT. Jam tempus illi fecit ærumnas leves. 305
ATR. Erras : malorum sensus accrescit die.
Leve est miserias ferre, perferre est grave.
SAT. Alios ministros consilii tristis lege :
Pejora juvenes facile præcepta audiunt;
In patre facient, quidquid in patruo doces. 310
Sæpe in magistrum scelera redierunt sua.
ATR. Ut nemo doceat fraudis et sceleris vias,
Regnum docebit. Ne mali fiant, times?
Nascuntur istud. Quod vocas sævum, asperum,

307. *Leve est*, etc. Miserias *fert*, qui primum adversæ fortunæ impetum fortiter sustinet, *perfert* autem qui diuturnis malis non frangitur. Seneca de benef. III, 37 : *Æneas tulit patrem per ignes, et (quid non pietas potest?) pertulit, colendumque inter conditores Romani imperii posuit.* Id plerumque ponderis habet particula *per* verbo addita. Martial. IX, 70 : « Vicini somnum non tota nocte rogamus : Nam vigilare leve est, pervigilare grave. »

308. *Alios ministros*, etc. Non tuos filios, inquit Satelles, ad decipiendum precibus Thyestem adhibe : nam proni sunt juvenes ad mala præcepta audienda, et in te patre forsan facient, quidquid eos in patruo doces. Novissimus intpr. *Levée* locum mire depravavit : *Cherchez d'autres confidents que moi de vos sombres desseins : vous trouverez plus de docilité dans ses enfants. Mais craignez que les vôtres*, etc.

309. *Pejora*, etc. Notissimum est axioma illud Horatii, in Art. poet. 163, de juvene : « Cereus in vitium flecti », etc.

310. *In patre*. Vid. sup. v. 220.

311. *Sæpe*, etc. Herc. fur. 736.

312. *Ut nemo*, etc. Etiamsi nemo fraudis et sceleris vias doceret, etc. Locutio omnibus scriptt. trita; sic Ovid. de Pont. III, ep. 4, v. 79 : « Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas. » Plin. VII, 43 : *Quod ut dissimulaverit, et supremo somnio ejus credamus, ab uno illo invidiam gloria victam, hoc tamen nempe felicitati suæ defuisse confessus est, quod Capitolium non dedicavisset.*

314. *Nascuntur istud.* « Nempe mali, ait Gronovius. Et hoc Senecæ epist. 95 : *Habeamus in commune, quod nati sumus;* nempe cognati, mutuo amantes, sociabiles. Tales nos natura edidit, tales igitur omnibus et in commune nos præstemus. » — *Quod vocas*, etc. Non levius forsan scelus meditatur Thyestes (*fortasse et illic agitur*), quam quod sævum, asperum vocas. Interrogavere quidam quo jungerentur nodo illa, ad Agamemnonem et Menelaum pertinentia, *ne mali fiant*, etc. et hæc ad Thyestem referenda, *fortasse et illic agitur.* At reputandum *nascuntur istud* non de Agamemnone et Menelao, sed in universum et de regibus quibuslibet dici, quod quidem, ut re non

Digitized by Google

Agique dire credis, et nimium impie, 315
Fortasse et illic agitur. SAT. Hanc fraudem scient
Nati parari? Tacita tam rudibus fides
Non est in annis; detegent forsan dolos:
Tacere multis discitur vitæ malis.
Ipsosne, per quos fallere alium cogitas, 320
Falles, ut ipsi crimine et culpa vacent?
ATR. Quid enim est necesse liberos sceleri meo

verum, sic ab Atreo apte pronuntiatum nemo non judicabit: ille enim tantæ in se ipso frementis sævitiæ conscius est, et tantam Thyestæ animo crudelitatem inesse credit, ut hanc feritatem non domui suæ propriam arbitretur et ab affectu peculiari ortam, sed a natura quadam communi, quæ cunctos reges inhumanos faciat, adeo in se penitus penitusque defixam sentiat! Sic igitur hæc connecte: «Times ne mali fiant? sed quicunque imperaturi sunt mali nascuntur. Illa quam in me horres crudelitas, et quæ mihi cum regio sanguine tradita est, possidet et Thyestem, stirpem regiam, atque illum ad ea ipsa quæ nefarie meditor, impellit.»

317. *Nati.* Tui; quos ad fallendum Thyestem missurus es. — *Tacita... fides.* Herc. fur. 301. OEdip. 799. Herc. OEt. 477.

319. *Tacere multis,* etc. Nonnisi multis malis discitur tacere; unde suspecta videtur Agamemnonis et Menelai *tacita fides*, qui malorum adhuc et rerum ignari sunt. De sententiæ veritate exemplis tuenda, vid. Plutarch. de Garrulitate, c. 10 et sqq.

320. *Ipsosne.* Si Botheo credatur, cæteroquin dialogi personas exquisite disponenti (vide Animadv. nostras), «alius dixisset, *Ipsosne igitur,* etc.; sed Noster, suo more, ἀσυνδέτως.» Nos contra arbitramur non solum vocula *igitur* vel expressa vel subaudita non opus esse, sed ea admissa laborare sensum et claudicare sententiam. Satellitis enim quæstio bipartito dividitur: hinc quærit an fraudem natos genitor sit edocturus, quod imprudenter eum et temere facturum his verbis *Tacita tam rudibus,* etc. approbat: inde petit, an ipsos *contra* fallere statuerit, ut illi saltem culpa vacent. «A te quæro, inquit, utrum nati tui scient fraudem parari (quod inconsideratum judicarem), an ipsos per quos alium fallere cogitas, falles, ut a scelere puri maneant.»

322. *Quid enim.* Interdum habet *enim* vim quamdam affirmandi. Plaut. Mostell. act. III, scen. 1, v. 24: «Quid tute tecum? TRAN. Nihil enim.» Id. Cas. act. II, scen. 4, v. 1: «Te uxor aiebat tua me vocare. STAL. Ego enim vocare jussi.» Terent. Adelph. act. II, scen. 1, v. 14: «At enim non sinam.» Pari brevitate, ut adnotavit Gronovius, Tacit. Ann. XIV, 44: *At quidam insontes peribunt? nam et ex fuso exercitu, quum decimus quisque*

Digitized by Google

Inserere? per nos odia se nostra explicent....
Male agis, recedis, anime : si parcis tuis,
Parces et illi; consilii Agamemnon mei 325
Sciens minister fiat, et patri sciens
Menelaus adsit. Prolis incertæ fides
Ex hoc petatur scelere : si bella abnuunt,
Et gerere nolunt odia, si patruum vocant,
Pater est. Eatur.... Multa sed trepidus solet 330
Detegere vultus; magna nolentem quoque

fusto feritur, etiam strenui sortiuntur; in qua sententia pars prior est objectio, altera responsio. Integrum foret : « Peribunt insontes quidam fateor; idque excusabile est; nam et ex fuso, etc. » Conf. et Troad. 1110.

323. *Inserere*, Participes sceleris mei facere. Ovid. Metam. XIII, 33 : « Inserit Æacidis alienæ nomina gentis? »

324. *Male agis, recedis*, etc. Dictum subita mentis commutatione; «Sed quid ego? si liberis meis parcam, parcam et Thyesti : non ita. » *Recedis*. Ira tua residet, decedit virtus.

325. *Parces et illi*. Nam dubitat Atreus liberine, quos *suos* vocat, a se, non a Thyeste procreati fuerint; quod explicant sqq. *prolis incertæ* et *pater est*. — *Agamemnon*. Filius Atrei, ut Menelaus. Vid. sup. quæ notav. ad vers. 296.

327. *Prolis incertæ*, etc. Ex hoc scelere cognoscam an Menelaus et Agamemnon sint ex me orti.

329. *Si patruum vocant*. Nisi Thyestem ita oderint, ut patruum esse nec velint nec recordentur, eos ab illo genitos existimabo.

330. *Multa sed trepidus*, etc. Hic nova animi intercidit conversio, ut in violento affectuum æstu fieri solet. Reputat enim sæpe arcana vultu detegi, et statuit filiis suis non aperire quantæ rei ministri fiant. Recte Delrio ad hunc locum : «Nota hic artificium poetæ. Non decebat illos esse conscios : quare? an ut expertes sceleris? aliena hæc impio Atreo pietas; imo moribus ejus consentaneum, ut nati impietatis paternæ sint participes : nec ideo tantum, verum etiam ut ex insito erga patres liberorum affectu, deprehendat, suine an alieni. Cur non ergo consilii sui facit participes? quia veretur, ne prodant : sibi consulit, suo consilio et crimini consulit. Quid nempe accommodatius tyranno impio? »

330. *Pater est*. Eodem animo, *Voltaire*, *les Pélopides*, act. IV, sc. 5 :

Jurez-y maintenant d'expier ses forfaits,
Et de haïr Thyeste autant que je le hais.
Si vous me refusez, vous êtes sa complice.

331. *Detegere vultus*. Euripid. in Ion. 239 : « Γνοίη δ' ἂν ὡς τὰ πολλά γ' ἀνθρώπου πέρι, Τῷ σχῆμ' ἰδών τις. » Ovid. Metam. II, 447 : «Heu quam difficile est crimen non prodere vultu! » Add. Terent. Adelph. act. IV, scen. 5, v. 9; Cicer. Orat. III,

Digitized by Google

Consilia produnt : nesciant, quantæ rei
Fiant ministri. Nostra tu cœpta occule.
SAT. Haud sum monendus : ista nostro in pectore
Fides timorque, sed magis claudet fides. 335

CHORUS.

TANDEM regia nobilis,
Antiqui genus Inachi,
Fratrum composuit minas.
Quis vos exagitat furor,

59; Curt. III, 14; Tacit. Ann. I, 12, etc.

332. *Consilia produnt.* Nolentem prodere consilia, consilia ipsa produnt, sponte se proferentia.

335. *Claudet.* Obstabit quominus pervulgem. — *Fides.* Hoc certe adulantis est, nec iis respondet, quæ libere, et audacius forsan quam coram Atreo par erat, satelles obloqui non dubitavit. Unde nonnullis venit suspicio *timor* pro *fides* substituendum. Sed non satis attenderunt poetam sibi minime constare, tum multis aliis in locis, tum in effingendo hactenus hujus satellitis ingenio, quem modo acerrimum censorem, modo abjecte obsequiosum fecit (vid. quæ sup. not. ad v. 245). Interpres *Levée*, qui servavit in contextu *magis claudet fides*, locum tamen vernaculo sermone sic reddit : *La fidélité et la terreur surtout me fermeront la bouche.* Quod non fieri potuit, nisi hinc textum Gronovii, inde interpretationem gallicam quam *Coupé* prius vulgaverat, transcripserit, nulla adhibita cura ut alteram cum altero concordem faceret.

336. *Regia nobilis.* Metonymice dicitur *regia* pro illis qui in regia habitant : sic Liv. XXIV, 22 : *Quicunque aut propinquitate aut affinitate aut aliquibus ministeriis regiam contigissent.*

337. *Genus Inachi.* Inachus fuit primus Argivorum rex; unde *genus* ejus dicti sunt qui sequentibus sæculis Argis regnavere, licet alia stirpe orti. Et solent vett. scriptt. Inachi nomen usurpare, si regem antiquissimum et nulli posteriorem memorare velint. Horat. II, od. 3 : «Divesne, prisco natus ab Inacho Nil interest, an pauper, et infima De gente sub dio moreris.» Id. III. od. 19, v. 1 : «Quantum distet ab Inacho Codrus...»

338. *Composuit minas.* Intellige *sedavit minas, minis finem fecit,* non *condidit,* ut Delr. placuit. Virg. Æn. I, 139 : «Sed motos præstat componere fluctus.» Lucan. V, 701 : «...fessumque tumentes Composuit pelagus, ventis patientibus, undas.» Scilicet putat chorus, missis Menelao et Agamemnone qui Thyestem revocent, fratres gratiam inter se reconciliaturos.

Digitized by Google

Alternis dare sanguinem, 340
Et sceptrum scelere aggredi?
Nescitis cupidi arcium,
Regnum quo jaceat loco.
Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color, 345

340. *Alternis dare sanguinem.* Alterna vice gladio impetere et impeti, ita ut modo hic, modo ille, cruorem fratri *dare* cogatur. Hoc de Thyeste et Atreo dictum, qui bello invicem se persecuti sunt. Vid. quæ supra notav. v. 32. De locutione *dare sanguinem*, audi Gronovium : « Scioppius fatetur nescire, quo auctore satis locuplete, vel *dare* vel *haurire* sanguinem dicatur, quumque istud legat in Thyeste Senecæ, facilius se credere eidem alibi conquerenti, ista ætate homines desisse latine loqui. Cur ergo Ovidius, Metam. XIII, 482, «Et quid dederit domus una cruoris »? et id. Metam. XIV, 529, «...multumque ab utraque cruoris Parte datur »? Aut si non satis hic ei locuples auctor, cur Liv. III, 54, *Dandus invidiæ est sanguis?* et id. XXVI, 13 : *Tanta aviditas supplicii expetendi, tanta sanguinis nostri hauriendi est sitis!* Ovid. rursum Metam. XIII, 329 : « Licet exsecrere, meumque Devoveas sine fine caput, cupiasque dolenti Me tibi forte dari, nostrumque haurire cruorem. »

341. *Sceptrum scelere aggredi.* Certare uter sceptrum sibi scelere vindicet.

342. *Cupidi arcium.* Id est, tyrannidis : nam in arcibus habitabant tyranni. Lucret. V, 1107 : «Condere cœperunt urbeis, arcemque locare Præsidium reges ipsi sibi perfugiumque. »

343. *Quo jaceat loco.* Qua re constituatur regnum. Regnum, inquit, in sublimibus castellis et alto quæritis solio; inferius et vobis propius positum est, nempe in bona mente et potente sui animo.

344. *Regem non faciunt,* etc. Cf. Senecæ epist. 37, 113, et passim. Horatii II, od. 18; III, od. 3, et aliis locis; nam hæc sententia mire illi placuit. Virg. Georg. II, 461 et sqq. Herc. fur. 159 et sqq. Boet. de Consolat. philos. III, 5, etc.

345. *Tyriæ.* Purpureæ. Ex mari circa Tyrum laudatissimæ efferebantur purpuræ; unde plerumque in poetis Tyrius color pro purpura. Conf. Ovid. de Art. am. III, 170; Metam. VI, 222; X, 211. Propert. IV, eleg. 5, v. 22. Tibull. I, eleg. 2, v. 77, et eleg. 9, v. 70. Claudian. de laud. Stil. I, 79, etc. Vestis autem purpurea metonymice pro regia potestate usurpatur, quia olim, præter pueros, soli magistratus et Imperatores ea utebantur, quamvis, procedente tempore, ea transiit ad matronas, et ad viros etiam ditiores nobilioresque (vid. Liv. XXXIV, 7; Val. Max. II, 1; Suet. de Ner. 32.). Virg. Georg. II, 495 : «Illum non populi fasces, non purpura regum Flexit. » Eu-

Digitized by Google

Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes.
Rex est, qui posuit metus
Et diri mala pectoris;
Quem non ambitio impotens, 350
Et nunquam stabilis favor
Vulgi præcipitis movet;
Non quidquid fodit Occidens,
Aut unda Tagus aurea

trop. IX, 8 : «Juvenis in Gallia et in Illyrico multa strenue fecit, occiso apud Mursiam Ingenuo, qui purpuram sumpserat.» Horat. quoque, I, od. 35, v. 12, *purpurei tyranni.*

346. *Frontis nota regiæ.* Diadema.

347. *Nitidæ... trabes.* Virg. Æn. II, 448 : «Auratasque trabes, veterum decora alta parentum.» Horat. II, od. 18, v. 1 : «Non ebur, neque aureum Mea renidet in domo lacunar : Non trabes Hymettiæ Premunt columnas ultima recisas Africa.»

348. *Rex est*, etc. Senecæ epist. 113 : *Imperare sibi, maximum imperium est.* Cic. de fin. bon. et mal. III, 22 : *Sapiens rectius appellabitur rex, quam Tarquinius, qui nec se, nec suos regere potuit; rectius magister populi (is enim est dictator), quam Sulla, qui trium pestiferorum vitiorum, luxuriæ, avaritiæ, crudelitatis magister fuit.* Auson. Edyll. XII, 34 : «Qui recte faciet, non qui dominatur, erit rex.» Inter nostros poetas, multi hanc sententiam expressere, in quibus *Racan*, haud spernendus privatæ et agrestis vitæ laudator :

Roi de ses passions, il a ce qu'il désire :
Son fertile domaine est son petit empire ;
Sa cabane est son Louvre et son Fontainebleau.

349. *Diri mala pectoris.* Cupiditates, quæ torquent animum. Ponitur *diri mala pectoris* pro *dira pectoris mala.*

350. *Impotens.* Effrenata, sui impotens, ut in Cic. Tuscul. V, 7; Liv. XXIX, 9, etc.

351. *Nunquam stabilis*, etc. Cf. Horat. I, od. 1. et Nostr. Hercul. fur. 169 et sqq.

352. *Præcipitis.* Inconsulta festinatione et cæco impetu agentis.

353. *Non quidquid*, etc. Quem non movet quidquid auri et argenti ex Occidente, scilic. ex Hispania, effoditur. Plin. III, 3 : *Metallis plumbi, ferri, æris, argenti, auri, tota ferme Hispania scatet.* — *Fodere* pro *extrahere* in Liv. XXVIII, 3 : *Argentum etiam incolæ fodiunt.* Vid. et Plin. XXXVI, 24.

354. *Tagus.* Hispaniæ flumen auriferis arenis celeberrimum. Vid. Plin. IV, 21. Ovid. Amor. I, eleg. 15, v. 34, et Metam. II, 251. Lucan. VII, 755. Mart. I, 50, et X, 96. Stat. Silv. I, 2, vs. 127. Sil. I, 155, II, 404. Claudian. in Consul. Prob. et Olybr. 51, et alibi.

Digitized by Google

Claro devehit alveo; 355
Non quidquid Libycis terit
Fervens area messibus:
Quem non concutiet cadens
Obliqui via fulminis,
Non Eurus rapiens mare, 360
Aut sævo rabidus freto
Ventosi tumor Adriæ:
Quem non lancea militis,
Non strictus domuit chalybs:
Qui tuto positus loco, 365
Infra se videt omnia,

Hæc fluminis fama inde orta videtur, quod flavas arenas volvit, undis suis permistas.

356. *Non quidquid Libycis*, etc. Aperte imitatur Horatium, I, od. 1, v. 9. Martialis quoque, epigr. VI, 86, Libycas messes simul et Tagi divitias memoravit: « Possideat Libycas messes Hermumque Tagumque. »

357. *Fervens*. Dicitur *fervens* area, quoniam in ea terebantur frumenta. Varro, de ling. Lat. lib. IV: *Ubi frumenta secta teruntur et arescunt, area.*

358. *Quem non concutiet*, etc. Ex Horat. III, od. 3, v. 6.

359. *Obliqui*. « Omnes ignes cælestes, ait Delrio, maxima ex parte in obliquum feruntur, maxime fulmina, ut docet Aristot. in Meteor. » Unde, ut Noster, Lucan. I, 151: « Qualiter expressum ventis per nubila fulmen Ætheris impulsi sonitu, mundique fragore Emicuit, rupitque diem, populosque paventes Terruit, *obliqua* præstringens lumina flamma. » Et Lucret. II, 213: « Transversosque volare per imbres fulmina cernis? » Add. Lucan. I, 528.

362. *Ventosi.... Adriæ*. Maris Adriatici. Horat. I, od. 33: « Pretis acrior Adriæ Curvantis Calabros sinus. » Id. III, od. 3: « Dux inquieti turbidus Adriæ. » Add. III, 9 et 27. Lucan. V, 614. — *Tumor*. De æstuante mari apte dicitur. Claudian. in Rufin. I, 70: « oeu murmurat alti Impacata quies pelagi, quum flamine fracto Durat adhuc sævitque tumor, dubiumque per æstum Lassa recedentis fluitant vestigia venti. »

364. *Chalybs*. Per synecdochen pro *ensis*, ut in Lucan. VII, 518, pro ferreis sagittarum spiculis, et in Val. Flacc. VI, 341, pro hastæ acumine. Dicta est *chalybs* a gente Chalybum, circa Pontum posita, apud quam magna ferri copia eruitur, mox in cæteras terras circumferenda. Avien. in descript. orbis terræ, v. 947: « ...Chalybes super, arva ubi ferri Ditia vulnifici crepitant incudibus altis. »

Digitized by Google

Occurritque suo libens
Fato, nec queritur mori.
Reges conveniant licet,
Qui sparsos agitant Dahas; 370
Qui Rubri vada litoris,
Et gemmis mare lucidis
Late sanguineum tenent,
Aut qui Caspia fortibus
Recludunt juga Sarmatis: 375

367. *Occurritque suo*, etc. Sententia Senecæ trita. Vid. quæst. natur. VI, 32 : *Illa licet inferorum regna retegantur, stabit super illam voraginem intrepidus, et fortasse, quo debet cadere, desiliet*, etc. Et passim in epist. variisque ejusdem operibus.

369. *Conveniant*. Conveniant atque conspirent potentissimi reges et populi, suam ei potestatem adempturi, nihilominus regnum suum retinebit, in bona mente positum.

370. *Agitant Dahas*. Populi Asiæ, supra Caspium mare, Massagetis finitimi. Virg. Æneid. VIII, 728 : «Indomitique Dahæ.» *Agitant*, id est, regunt ducuntque; nam Dahæ, ut Scythæ, quorum communi nomine continentur, nullo consistebant loco, sed erraticam degebant vitam, sedem aliam ex alia petentes : unde quoque *sparsos*. Vid. quæ notav. Herc. fur. 533 et 534. Falso igitur interpp. Gallici intellexerunt *les rois qui tourmentent les Dahes*. Virg. Georg. III, 287 : «Lanigeros agitare greges, hirtasque capellas.»

371. *Rubri... litoris*. Vid Herc. fur. 903.

373. *Sanguineum*. Rubrum. Ovid. Amor. II, eleg. 1, v. 23 : «Carmina sanguineæ deducunt cornua lunæ.» Dicitur Erythræum mare gemmis esse *sanguineum*, quia margaritis abundat (vid. Claudian. de laud. Ser. 3, et de quarto Honor. consul. 606), quæ solis repercussu rubicundæ videntur; nec desunt qui ex ea re tantummodo nomen inditum Rubro mari arbitrentur. Vid. quæ ex Plinio citavimus Herc. fur. 903. Adde hoc Plinii XXXVII, 10, sic in lexic. Forcell. citatum, quamvis aliud aliæ ferant editiones : *Heliotropium gemma, dejecta in vas aquæ, fulgorem solis accendit sanguineo repercussu.*

374. *Caspia...juga*. Mons Caspius pars est montis Tauri, teste Plinio, V, 27 : jam in Herc. fur. 1206, *rupes Caspiæ* pro Caucasi jugis positum vidimus; quæ minime adversa et contraria putes : nam Plinius Caucasum quoque Tauri montis partem esse pronuntiat, loco citato : *Taurus evadit usque ad cognata Riphæorum montium juga, numerosis nominibus et novis, quacunque incedit, insignis; Imaus prima parte dictus, mox Emodus, Paropamisus, Circius, Chambades,.... atque ubi se quoque exsuperat, Caucasus.*

375. *Recludunt juga*. Intellige reges Albaniæ et Iberiæ, qui pos-

Digitized by Google

Certet, Danubii vadum
Audet qui pedes ingredi,
Et quocunque loco jacent
Seres vellere nobiles;

sunt Sarmatis iter per Caspios montes vel occludere vel recludere : nam Sarmatæ (de quibus vid. Herc. fur. 539) ab Iberia et Albania Caucaso et Caspiis montibus separantur, nec transitus est Sarmatis in regiones meridionales, nisi per angustias quasdam, ab Iberis et Albanis occupatas, quas *Caspias portas*, vel *Caspias pylas* nominabant. Nonnulli, in quibus Plin. VI, 11, Caspias portas distinguunt a Caucasiis, ad Cyrum amnem sitis. Si Plinium sequamur, liquet dicere Senecam de Caucasiis angustiis. — Tacitus bis has angustias memoravit, Hist. I, 6 : « ... præmissosque ad claustra Caspiarum et bellum quod in Albanos parabat ... ». Ad alterum locum (Ann. VI, 33) Seneca videtur allusisse. Scilicet quum Mithridates et Pharasmanes bellum contra Parthos gererent, Sarmatæ, utrinque donis acceptis, utrique parti auxilia se missuros promiserant. Sed Mithridates et Pharasmanes quos adjuvabant Albani et Iberi, facile Sarmatas, per Caspias pylas, « in Armenios effundunt; at Sarmatæ qui Parthis adventabant, facile arcebantur, quum alios incessus hostis clausisset, unum reliquum, mare inter et extremos Albanorum montes, æstas impediret, quia flatibus Etesiarum implentur vada. » Valer. Flacc. V, 604 : « Jam pervigil illum Medus et oppositis exspectat Iberia claustris. »

376. *Danubii vadum*. Qui Danubium gelu concretum audent pedibus tentare, ut omnes explicant, aut potius, ut nobis videtur, qui præcipites Danubii undas non timent superare. Quid enim est audacia flumen concretum glacie ingredi? Scio in Herc. Fur. 533, jam dixisse poetam *teri semitam Sarmatis, qua nuper naves carbasa tenderant;* sed quid voluit innuere, nisi frigus esse acerrimum in his regionibus quas intravit Hercules? Hic autem, nec de frigore quæstio est, et, si quis contenderit destinatum poetæ fuisse, ut septentrionalem populum designaret, non magis ex eo intelligam, cur virtutem appellaverit rigidum flumen pedibus calcare.

379. *Seres*. Populi Scythiæ Asiaticæ. Videtur poeta non temere gentes inter se maxime distantes, Seres et populos Danubii accolas, mentione conjunxisse; nempe ut intelligatur quantam vim habeat regnum in mente bona positum, quum stet immotum contra tam varias gentes et ex tot partibus exercitus contractos. — *Vellere nobiles*. Seres enim celebres erant tenuissimis lanis, quas ex arboribus suæ regionis collectas conficiendis pretiosis vestibus in omnes terræ partes mittere solebant. Plin. VI, 17 : *Seres lanicio silvarum nobiles*, etc. Virg. Georg. II, 121 : « Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres. » Adde Senec. epist. 90. Lucan. X, 142. Sil. XVII, 596 ; Claudian. in Consul. Prob. et Olybr. 179. Au-

Digitized by Google

Mens regnum bona possidet. 380
Nil ullis opus est equis,
Nil armis, et inertibus
Telis, quæ procul ingerit
Parthus, quum simulat fugas;
Admotis nihil est opus 385
Urbes sternere machinis,
Longe saxa rotantibus.
Rex est, qui metuit nihil;
Rex est, qui cupiet nihil.
Hoc regnum sibi quisque dat. 390
Stet, quicumque volet, potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies.
Obscuro positus loco,
Leni perfruar otio. 395
Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat.

son. Edyll. XII, 92. Nostr. Herc. Œt. 666, etc., etc.

380. *Mens*, etc. Licet hi omnes contra unum conspirent, si mente bona fruatur, numquam regno suo, i. e. sui ipsius dominatu, dejicietur.

381. *Nil ullis*, etc. Horatium imitatur, I, od. 22: «Integer vitæ scelerisque purus Non eget Mauri jaculis. nec arcu,» etc.

382. *Inertibus*. Quippeque a fugientibus ingerantur, quod *inertiæ* quamdam speciem habet.

384. *Quum simulat fugas*. De Parthis fugam simulantibus, vid. Horat. I, od. 19, v. 11; Ovid. in art. am. I, 209, et de rem. amor. v. 155.

388. *Rex est*, etc. Euripid. in Ion. 621: «Τυραννίδος δὲ τῆς μάτην αἰνουμένης, Τὸ μὲν πρόσωπον ἡδὺ, τὰν δόμοισι δὲ Λυπηρά· τίς γὰρ μακάριος, τίς εὐτυχὴς, Ὅστις δεδοικὼς καὶ παραβλέπων βίαν, Αἰῶνα τείνει; δημότης δ' ἂν εὐτυχὴς Ζῆν ἂν θέλοιμι μᾶλλον, ἢ τύραννος ὢν, etc.»

390. *Sibi quisque dat*. Ea superioribus conjunge: Illud regnum sane non equis, non armis indiget, quippe quod ex se ipso quisque petere potest.

393. *Me dulcis*, etc. Herc. fur. v. 197.

396. *Quiritibus*. Non meminit Seneca a Mycenæis chorum fieri, sexcentis annis ante quam Quirites exstiterint: sed peccare solet poeta in ordine temporum ingenioque populorum observando.

397. *Ætas per tacitum*, etc. Eu-

Digitized by Google

Sic quum transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebeius moriar senex. 400
Illi mors gravis incubat
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi.

ripides Iphig. in Aulid. 17 : « Ζηλῶ δ' ἀνδρῶν ὃς ἀκίνδυνον Βίον ἐξεπέρασ' ἀγνὼς, ἀκλεής· Τοὺς δ' ἐν τιμαῖς ἧσσον ζηλῶ. » Quod Gallicis carminibus reddidit noster *Racine*, *Iphigénieen Aulide*, act. I, sc. 1 :

Heureux qui, satisfait de son humble fortune,
Libre du joug superbe où je suis attaché,
Vit dans l'état obscur où les dieux l'ont caché!

Et *Boileau*, *Épître* VI.

Qu'heureux est le mortel qui, du monde ignoré,
Vit content de soi-même en un coin retiré!

Digitized by Google

ACTUS TERTIUS.

THYESTES, PLISTHENES,

TANTALUS JUNIOR et FRATER TERTIUS, } mutæ personæ.

THY. OPTATA patriæ tecta, et Argolicas opes,
Miserisque summum ac maximum exsulibus bonum, 405
Tactum soli natalis, et patrios deos
(Si sunt tamen dii) cerno; Cyclopum sacras
Turres, labore majus humano decus,
Celebrata juveni stadia, per quæ nobilis
Palmam paterno non semel curru tuli. 410
Occurret Argos, populus occurret frequens;

407. *Si sunt tamen dii.* Quod egregie expressit, *Crébillon*, *Électre*, act. V, sc. 9, v. 1:

Dieux vengeurs, s'il en est, puisque je vis encore.

Sed in Electra, hæc ab Oreste post occisam Clytæmnestram dicuntur, quum ille, jam furore amens, deos recte possit incusare, a quibus vel in tantum scelus impulsus fuerit, vel saltem non mittatur fulmen, interfectam a filio matrem ulturum. At in Nostro quis ferat Thyestem, laudandi, si reliqua spectetur tragœdia, nec improbi ingenii, deis primum maledicentem, præsertim quum redeat in patriam et læta omnia debeat ominari? unde aptissime Lessingius (Theatralische Bibliothek, t. 2, p. 105) declarat se, quum hæc prima Thyestæ verba legerit, credidisse personam Thyestæ a Seneca ita effictam, ut Atreo non multo pravitate inferior in summa tragœdiæ futurus sit. — *Cyclopum sacras turres*, etc. Ferebantur enim Mycenarum mœnia a Cyclopibus fabricata. Videnda. Herc. fur. v. 997.

409. *Stadia.* Vid. sup. 131. Dicuntur *stadia* pro loco ubi juvenes cursu certare solebant.

411. *Occurret.* Mihi redeunti.

Digitized by Google

Sed nempe et Atreus.... Repete silvestres fugas,
Saltusque densos potius, et mixtam feris
Similemque vitam. Clarus hic regni nitor
Fulgore non est quod oculos falso auferat. 415
Quum quod datur spectabis, et dantem aspice.
Modo inter illa, quæ putant cuncti aspera,
Fortis fui, lætusque: nunc contra in metus
Revolvor; animus hæret, ac retro cupit
Corpus referre; moveo nolentem gradum. 420
PLIST. Pigro (quid hoc est?) genitor incessu stupet,
Vultumque versat, seque in incerto tenet.
THY. Quid, anime, pendes? quidve consilium diu
Tam facile torques? rebus incertissimis,
Fratri atque regno credis? ac metuis mala 425
Jam victa, jam mansueta? et ærumnas fugis
Bene collocatas? Esse jam miserum juvat.

412. *Sed nempe et Atreus*, etc. Sed occurret quoque Atreus, quem mihi funestius est conspicere, quam patriam civesque meos revisere lætius. Repete igitur tuos saltus, o Thyeste, etc.

414. *Clarus hic*, etc. Non debet hic clarus regni nitor tibi oculos auferre, i. e. tuos oculos ita perstringere falso suo fulgore, ut prospectans quod datur, quis det non aspicias. De regni falso fulgore, ad imitationem Nostri, *Corneille*, *Héraclius*, act. I, sc. 1:

Crispe, il n'est que trop vrai, la plus belle couronne
N'a que de faux brillants dont l'éclat l'environne, etc.

416. *Quum quod*, etc. Dictum generaliter, ut ex futuro *spectabis* patet. Qui quod datur spectat, spectat quoque quis det; nam sæpe veniunt ab hoste dona. Virg. Æn. II, 49: « Timeo Danaos et dona ferentes. »

422. *Vultumque versat*. Interpp. Gallici: *ses traits sont altérés*: quam interpretationem falsam judicamus, quum *versare vultum* proprie accipi debeat pro *vultum modo in hanc, modo in illam partem vertere*, quod dubitantis est utrum pergat an gradum retroferat. Liv. I, 58: *Tum Tarquinius fateri amorem, orare, miscere precibus minas, versare in omnes partes muliebrem animum*. Add. Cic. in Verr. I, 51.

424. *Torques*. Agitas. Cur in consilio tam facili perpendendo hæres?

426. *Jam mansueta*. Quæ consuetudine jam minora facta sunt. Liv. III, 16: *Mansuetum id malum... tum esse peregrino terrore sopitum videbatur*.

427. *Bene collocatas*. Metaph. quæ nobis desumpta videtur ex *collocatis*

Digitized by Google

Reflecte gressum, dum licet, teque eripe.
PLIST. Quæ causa cogit, genitor, a patria gradum
Referre visa? cur bonis tantis sinum 430
Subducis? ira frater abjecta redit,
Partemque regni reddit, et laceræ domus
Componit artus, teque restituit tibi.
THY. Causam timoris, ipse quam ignoro, exigis.
Nihil timendum video; sed timeo tamen. 435
Placet ire: pigris membra sed genubus labant,
Alioque, quam quo nitor, abductus feror.
Sic concitatam remige et velo ratem
Æstus, resistens remigi et velo, refert.

pecuniis: nam quemadmodum ex his aliquid fenoris redit, sic ex miseriis Thyestæ nonnulla oriebantur illi bona, scilicet securitas quædam, et, ut sup. dixit, lætitia. Mart. I, 114: « Male collocare si bonas voles horas, Et invidebis otio tuo, lector. »

430. *Sinum*. Subducere *sinum* bonis, id est, bona recusare, figura Senecæ gratissima. Sic, ut adnotavit Gronovius, *sinum implere*, de benef. II, 31, de vit. beat. 9; *in sinum fundere*, de benef. VII, 19; *in sinu condere*, de benef. II, 16; *invenire in sinu*, de benef. VII, 28; *onerato sinu fugere*, de constant. sapient. 6; *sinum expandere*, epist. 74; *in sinu positæ divitiæ*, epist. 20.

432. *Reddit*. Ne putes hoc illis favere, qui scripserunt in tragœdiæ argumento inter Atreum et Thyestem convenisse, ut alternis annis regnarent (vid. quæ sup. notav. ad v. 33); nam Thyestæ filios decet *redditam* appellare regni partem, quam pro suo jure Atreus retinere potuisset.

433. *Te restituit tibi*. Te in pristinum tuum statum honoris restituit.

435. *Timeo tamen*. Vim illam præsentiendi agentium animis attribuere tragicis consuetum. Sic, inter alia multa, *Racine*, *Britannicus*, act. V, scen. 1,

BRITANNICUS.

Et pourquoi voulez-vous que mon cœur s'en défie?

JUNIE.

Et que sais-je? il y va, seigneur, de votre vie.
Tout m'est suspect. . . . . .
. . . . . .
D'un noir pressentiment malgré moi prévenue,
Je vous laisse à regret éloigner de ma vue.
Hélas! si cette paix, dont vous vous repaissez,
Couvrait contre vos jours quelques piéges dressés!

437. *Alioque*, etc. Ab illo loco, quem petere volo et conor, invitum me pedes removent.

438. *Concitatam*. Impulsam.

439. *Æstus*. Reciproci fluctuum motus. Comparatio ex Ovidio desumpta, Heroid. XXI, 41: « Ipsa, velut navis, jactor, quam certus in altum Propellit Boreas, æstus et

Digitized by Google

PLIST. Evince quidquid obstat et mentem impedit, 440
Reducemque quanta præmia exspectent, vide :
Pater, potes regnare. THY. Quum possim mori.

unda refert. » Et Stat. Theb. IX, 141 : « Siculi velut anxia puppis Seditione maris, nequidquam obstante magistro, Errat, et averso redit in vestigia velo. »

442. *Quum possim mori.* Diversæ sunt loci interpretationes. Alii (nempe Commelinus, Delrio, Heinsius, Both. et interpr. gallic. *Coupé*), arbitrati sunt respondere Thyestem, *Certe regnare possum, quippe qui possim mori;* regem enim esse stoicorum, qui mori potest; sic sup. 367, de vero rege : » occurritque suo libens fato »; sic in Agam. 606 : « qui vultus Acherontis atri, Qui Styga tristem non tristis videt, Audetque vitæ ponere finem, Par ille regi, par Superis erit. » Alii, in quibus Lipsius (etsi emendet *Quin possum*), et Gruterus, sententiam sic accipiunt, tanquam dicenti filio *vocaris ad regnum*, responderet pater, *Forsan ad mortem.* Denique Gronovius putat Thyestem detestari regnum, et mortem eo potiorem ducere; itaque intelligendum cum interrogationis signo, *Quum possim mori?* « Ego sustineam regnare, quum possim rem tam gravem ac molestam morte effugere? Quisquamne tam stultus sit, ut quum ei sit integrum mori, velit regnare? Ille regnet, qui non audet mori, et mavult in miseriis et curis et splendida servitute vivere. » Ex his diversissimis interpretationibus, si secundam, Lipsii scilicet et Gruteri, expendas, ea tibi videbitur nec in locutionem latinam apte cadere, nec sequentibus sententiis confirmari. Nam 1° quid sibi vult, hoc admisso sensu, vocula *Quum?* Nisi, contra librorum fidem, cum Lipsio velis substituere *Quin possum.* 2° Si Thyestes mortem sibi imminere dixerit, non fieri potest, ut Plisthenes reponat tantum *Summa est potestas*, genitoris periculum prætermittens et floccifaciens. Opinio Gronovii paulo probabilior mihi videtur : sed sententia, sic accepta, vehementior est et ultra justos fines extensa : aliud enim est « regem esse vere, qui mortis metum expulit animo et suo fato occurrit libens », aliud, « mortem regno anteponendam ». Quis credat Thyestem, qui et venit ad accipiendas fraterni fœderis conditiones et demum accipiet, se potius moriturum quam partem regni susceptum tam firmiter asseverare? Dubitet, hæreat, fluctuet animo, quid in summa potestate sit fastidii referat, illum vere regem appellet qui sui potens nihil vel cupit vel metuit; hæc sunt humanæ naturæ : cætera modum excedunt, et finguntur potiusquam ad speciem hominis exscribuntur. Itaque eis suffragor, qui putant Thyestæ responsionem ad hoc imperium alludere quod sapiens in seipsum habet : « Possum equidem regnare, qui possim mori ». Hæc eum quam maxime decent, et mire cum antecedentibus (vv. 368, 388, 417, 426), et cum sequent. (443, 446, etc.) congruunt.

Digitized by Google

PLIST. Summa est potestas. THY. Nulla, si cupias nihil.
PLIST. Natis relinques. THY. Non capit regnum duos.
PLIST. Miser esse mavult, esse qui felix potest? 445
THY. Mihi crede, falsis magna nominibus placent;

443. *Summa est potestas.* Attamen, reponit juvenis, in regno summa est potestas et quodlibet faciendi licentia. Non vidit Badenius hanc regni definitionem juveni optime attributam, qui nihil melius esse intelligit quam *omnia posse;* falso igitur sententiam irridet, quasi ad istud redeat, *regnum esse regnum*, et culpam librariorum esse credit, qui sermonem in duas personas diviserunt, in una Thyestæ persona continuandum hoc modo : «Quum possim mori. Summa est potestas nulla, si cupias nihil. *Plist.* Natis, etc. » — *Nulla.* I. e. quid opus est summa potestate, si cupias nihil? Nam habet hoc præcipuum summa potestas, ut votis frui queas. Hunc obvium sensum arripe, nec Gronovium sequere, qui contendit intelligendum «regem, si absit libido et improba cupiditas, ut abesse debet, nihil plus posse privato; neque enim sibi permittit posse, et magis continetur reverentia famæ, nullum ei secretum indulgenti ». Ea longius petita arbitror. Repetit tantum Thyestes et iterat quæ jam Chorus cecinit v. 380 et 388 : ad quem locum vide quæ citavimus : adde sqq. Sen. de Benef. III, 37 : *Hoc est regnum, nolle regnare, quum possis.* Claudian. de quarto consul. Honorii, VIII, 262 : « *Tunc omnia jure tenebis, Quum poteris rex esse tui.* » Et *Boileau*, Épît. V, 58 :

Qui vit content de rien, possède toute chose.

444. *Non capit regnum duos.* Intelligit Farnabius : « Neque nos fratres capit, neque vos capiet. » Et interpr. gall. *Coupé* locum sic in notis explicat : *Il avait deux fils déja grands, avec un faible enfant.* Manifestum est Thyestem de se ipso tantum et Atreo loqui, quod optime vidit Delr. « Cur regnum tanto cum damno cupiam? PLIST. Si non tua, nostra saltem causa; nos enim, nisi regnum Mycenarum accipis, egestate perpetua consenescemus. Si nihil cupis, nil ad filios hæreditario jure transmittes. THYEST. Erras : non ille mihi regni partem concedet; regnare duo simul nequeunt; regna socium non ferunt. » Lucan. I, 92. « Nulla fides regni sociis, omnisque potestas Impatiens consortis erit. » Justin. XI, 12 : *Cæteram, neque mundum posse duobus solibus regi, neque orbem summa duo regna salvo statu terrarum habere. Racine, Thébaïde :*

On ne partage point la grandeur souveraine.

446. *Falsis*, etc. Opponuntur *magna* et *dura :* hæc falso timentur, illa falso cupiuntur et placent : quod explicant sequentia. — Imitatur Noster Euripidem, Iphig. in Aulid. 20, ubi senex honores et summam potestatem, ut Plisthenes, laudat : « Καὶ μὴν τὸ καλόν γ' ἐνταῦθα βίου. » Agamemnon vero, ut Thyestes, reponit : « Τοῦτο δὲ γ' ἐστὶ τὸ καλὸν, σφαλερόν· Καὶ τὸ φιλότιμον Γλυκὺ μὲν, λυπεῖ δὲ προσιστάμενον. » Videtur hæc ultima expressisse *Corneille*, in tragœd. quæ in-

Digitized by Google

Frustra timentur durą. Dum excelsus steti,
Nunquam pavere destiti, atque ipsum mei
Ferrum timere lateris. O, quantum bonum est
Obstare nulli, capere securas dapes 450
Humi jacentem! Scelera non intrant casas,
Tutusque mensa capitur angusta cibus:
Venenum in auro bibitur. Expertus loquor;
Malam bonæ præferre fortunam licet.
Non vertice alti montis impositam domum, 455

scribitur *Cinna*, act. II, scen. I:

....Tout ce qu'adore en ma haute fortune
D'un courtisan flatteur la présence importune,
N'est que de ces beautés dont l'éclat éblouit,
Et qu'on cesse d'aimer sitôt qu'on en jouit.

447. *Dum excelsus steti*, etc. Similiter in nostri Cornelii *Cinna*, loco supra citato, Augustus:

J'ai souhaité l'empire, et j'y suis parvenu;
Mais, en le souhaitant, je ne l'ai pas connu:
Dans sa possession j'ai trouvé pour tous charmes
D'effroyables soucis, d'éternelles alarmes,
Mille ennemis secrets, la mort à tout propos,
Point de plaisir sans trouble, et jamais de repos.

449. *Ferrum... lateris*. Crediderunt male Farnabius et Badenius hoc dici de ferro satellitum, qui latus Thyestæ stipabant. Quanto efficacius erit ad ostendendum nihil non regnantibus timeri, si intelligas ipsum, quo Thyestes accingebatur, gladium! Metuere potest tyrannus, ne suus in se vertatur ensis.

450. *Obstare nulli*. Nulli esse gravis et molestus, nulli esse impedimento, quin ascendat quo velit. His forsan alluditur ad Thyestæ et Atrei æmulationem, utrique tam noxiam.

451. *Scelera*, etc. Lucan. VIII, 493: «Exeat aula Qui vult esse pius: virtus et summa potestas Non coeunt.» Add. Virgil. Georg. II, 472. Boet. de Consolat. philos. I, 5, etc.

453. *Venenum*, etc. Juvenal. X, 25: «Nulla aconita bibuntur Fictilibus: tunc illa time, quum pocula sumes Gemmata, et lato setinum ardebit in auro.» Lucan. IV, 380: «Non auro, murrhaque bibunt: sed gurgite puro Vita redit.»

454. *Malam bonæ præferre*. Ludit in falsis rerum vocabulis: «Experto mihi utramque fortunam, licet quæ ab hominibus dicuntur mala, iis, quæ bona vocantur, præferre.»

455. *Non vertice*, etc. Hic incipit poeta romanos mores oblique perstringere, et luxum, qui sub primis Imperatoribus, et præsertim sub Nerone, in tantum excreverat; sapienti quidem censura, sed quæ Thyestem minus deceat, non propter temporum ordinem (nam generaliter potuit dicere Thyestes, quæ Romani ad se raperent, suæ pravitatis sibi conscii), sed propter affectus qui redeunti in patriam attribui debent, et quibuscum parum convenit istiusmodi quantumvis diserta insectatio. Cæterum mul-

Digitized by Google

Et eminentem civitas humilis tremit;
Nec fulget altis splendidum tectis ebur,
Somnosque non defendit excubitor meos:
Non classibus piscamur, et retro mare
Jacta fugamus mole : non ventrem improbum 460
Alimus tributo gentium : nullus mihi

ta huic loco non dissimilia invenies, et aptius adhibita, in Senecæ epist. 90 et in aliis. Virg. Georg. II, 461 et sqq. Lucret. II, 24 et sqq. Horat. I, od. 31; II, 10, 16, 18; III, 1, 16 et passim. Claudian. in Rufin. I, 196 et sqq. Lucan. IV, 373 et sqq. Manil. V, 368 et sqq. Juven. IV, 5, etc.

456. *Eminentem civitas*, etc. Putat Delrio hoc dictum propter Valerium Publicolam, qui, quum in summa Velia ædificaret, in suspicionem venit affectati regni (Liv. II, 7). Sed potuit Seneca in his, ut in sequentibus, rem suæ tantum ætatis designare. Sic epist. 89, ad luxuriosos : *Omnibus licet locis tecta vestra splendeant, alicubi imposita montibus*, etc.

457. *Ebur*. Præcipua fuere apud Romanos domorum ornamenta, ebur et aurum. Horat. II, od. 18 : «Non ebur, neque aureum Mea renidet in domo lacunar.» Add. Cic. Parad. I, 3. Suet. in Ner. 31.

458. *Somnosque*, etc. Nec mihi opus est vigilibus, qui dormientem armis tueantur.

459. *Non classibus piscamur*. Notum quam longinquis e tractibus, quantisque curis et impensis Romani pisciculos arcesserent, gulæ irritamenta. Neque rem poetica licentia auxisse Noster videbitur, si conferantur sequentia ex Macrob. Saturn. II, 12 : *Nec contenta illa ingluvies fuit maris sui copiis. Nam Octavius, præfectus classis, sciens scarum adeo Italicis litoribus ignotum, ut nec nomen latinum ejus piscis habeamus, incredibilem scarorum multitudinem, vivariis navibus huc advectam, inter Ostiam et Campaniæ litus in mare sparsit, miroque ac novo exemplo pisces in mari, tanquam in terra fruges aliquas, seminavit. — Et retro mare*, etc. Horat. in civium luxuriam similiter invectus III, od. 1, v. 33 : « Contracta pisces æquora sentiunt, Jactis in altum molibus.» Sen. epist. 89 : *Ubicumque in aliquem sinum litus curvabitur, vos protinus fundamenta jacietis, nec contenti solo, nisi quod manu feceritis, maria agetis introrsus*. Cf. Herc. fur. 1047.

460. *Improbum*. Avidum, insatiabilem, Virg. Georg. III, 430 : « Stagna colit, ripisque habitans, hic piscibus atram Improbus ingluviem ranisque loquacibus explet. Id. Æn. II, 356 : « Lupi... quos improba ventris Exegit cæcos rabies.»

461. *Tributo gentium*. Aut proprie, i. e. publicis gentium vectigalibus, quæ Imperatores et magnates in parandis conviviis absumebant; unde Seneca, Consol. ad Helv. 9 : *C. Cæsar... centies sestertio cœnavit uno die, et in hoc omnium adjutus ingenio, vix tamen invenit, quomodo trium provinciarum tributum*

Digitized by Google

Ultra Getas metatur et Parthos ager :
Non ture colimur, nec meæ, excluso Jove,
Ornantur aræ : nulla culminibus meis
Imposita nutat silva, nec fumant manu 465

una cœna fieret. Aut translate, i. e. iis omnibus quæ conferunt gentes vel remotissimæ ad explendam nostram libidinem. Sen. Epist. 50 : « *Quandiu unius mensæ frumentum multa navigia, et non quidem ex uno mari, subvehent?... homo et terra pascitur et mari. Quid ergo? tam insatiabilem nobis alvum natura dedit,* etc. Manil. V, 368 : « Atque hæc in luxum : jam ventri longius itur Quam modo militiæ : Numidarum pascimur oris, Phasidos et damnis, etc. » Juven. V, 97 : « Instruit ergo focum provincia, etc. » Lucan. IV, 373 : « O prodiga rerum Luxuries! nunquam parvo contenta paratu, Et quæsitorum terra pelagoque ciborum Ambitiosa fames, et lautæ gloria mensæ, Discite quam parvo liceat producere vitam, Et quantum natura petat. »

462. *Metatur... ager.* Licet plerumque *deponentis verbi* vim habeat *metor,* tamen et nonnunquam passive usurpatur : sic Hirt. de bell. Gall. VIII, 15, *castris eo loco metatis.* Dicitur autem ager *metari,* qui apte disponitur, distribuitur, colitur. Virg. Georg. II, 274 : « Si pingnis agros metabere campi, Densa sere. »

463. *Non ture colimur.* Notavit Scaliger : « Ad Neronem an Domitianum referenda hæc sint, viderit eruditus lector. Certe Romanum Imperatorem hæc spectant, non alium. » Qui putant tragœdiam philosopho Senecæ attribuendam, non possunt de Domitiano hæc accipere, qui nonnisi exstincto philosopho imperavit et divinos honores affectavit (Suet. in Domit. 13) : nec de Nerone, cui nonnisi post Senecæ necem, Cerialis Anicius templum publica pecunia ponendum censuit (Tacit. Annal. XV, 74). Sed ad C. Cæs. Caligulam ea referri possunt, de quo Sueton. § 22 : *Admonitus et principum et regum se excessisse fastigium, divinam ex eo majestatem asserere sibi cœpit.... Templum etiam numini suo proprium et sacerdotes et excogitatissimas hostias instituit,* etc. — *Excluso Jove.* Suet. narrat eodem loco, Olympii Jovis simulacro e Græcia translato caput demptum et vultum Caii impositum; quosdam ipsum imperatorem Latialem Jovem consalutare solitos, etc.

464. *Nulla culminibus,* etc. Falso interpr. gall. *Coupé : Je n'ai point de superbes forêts autour de ma maison.* Intellige silvulas in ipsis domorum fastigiis consitas. Seneca, Epist. 123 : *Non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt, quorum silvæ in tectis domorum ac fastigiis nutant?* etc. Tibull. III, eleg. 3, 15 : « Et nemora in domibus sacros imitantia lucos. »

465. *Nec fumant,* etc. De vastissimis Romanorum Imperatorum thermis hæc accipienda, de quibus Seneca, loco nuper citato : *Non vivunt contra naturam, qui fundamenta thermarum in mare jaciunt, nec delicate natare ipsi sibi videntur, nisi*

Digitized by Google

Succensa multa stagna; nec somno dies,
Bacchoque nox jungenda pervigili datur:
Sed non timetur; tuta sine telo est domus,
Rebusque parvis alta præstatur quies.
Immane regnum est, posse sine regno pati. 470

calentia stagna fluctu ac tempestate feriuntur? Sueton. quoque in Ner. 31 : *Domus tanta laxitas fuit, ut stagnum haberet maris instar, circumseptum ædificiis ad urbium speciem.... Balineæ marinis et albulis fluentes aquis... Præterea inchoabat piscinam a Miseno ad Avernum lacum contectam, porticibusque conclusam, quo quidquid totis Baiis calidarum aquarum esset, converteretur.*

466. *Nec somno dies.* Neque dies mihi datur jungenda somno, i. e. nocti; neque nox addenda pervigili Baccho, i. e. diurnis epulis : neque nox diurno somno continuatur, neque dies nocturnis comessationibus. Tacit. de mor. Germ. 22 : *Diem noctemque continuare potando, nulli probrum.* Vid. et Sen. Epist. 123.

468. *Sine telo.* Ad tuendam eam non armis opus est.

470. *Immane regnum.* Is *maximum* regnum obtinet, qui nullum cupit. Omnes in id conveniunt, ut duplicem sensum vocabuli *immanis* esse pronuntient. Nonius Marcell. de propriet. serm. dicit *immane* significare ingens, et rursum, minime bonum et nocens. Sext. Pomp. Festus, lib. IX, « *immanis*, ferus sive magnus. » Perottus in quartum Martial. epigramma, Forcellinus in lexic. idem statuunt. Sed variant in expedienda utriusque sensus origine. Nonius credit *immanis* a *manus* oriri, *bonus* ac *prosper*, unde *mane* et *manes* venisse contendit. Forcell. a quibusdam duci memorat ab ἐμμανὴς, furens. Macrob. Saturn. I, 3 : « Lanuvii *mane* pro *bono* dicunt, sicut apud nos quoque contrarium est *immane*, ut *immanis bellua*, vel *immane facinus*, et hoc genus cætera, pro *non bono*. » Verum hactenus nihil de duplicis sensus causa. *Noel* in Dict. Lat. Gall. derivari arbitratur *immanis* ab ἐμμανὴς, quum pro *inhumanus* et *ferox* ponitur, et ab *in* privat. atque *manus* (dextra), quum pro *enormis* usurpatur, ut quod manus amplecti et continere nequeat. Hæc derivatio, quam unde assumpserit Gallicus auctor nescio, contortius expressa nec satis probabilis mihi videtur, et ex eo tantum orta, quod in Facciolati lexico, ad cujus imitationem suum composuit, invenerat *immanis* duci ab *in* privat. et a *manus;* nec attenderat de inusitato adjectivo *manus* vel *manis*, non autem de nomine substantivo *manus*, ab italico scriptore memorari. Forsan satius sit credere primam vocabuli significationem esse *crudelis* (ex *in* et *manis* vel *manus*); et mox ex eo sensu ad alterum factam inflexionem, quum soleamus in omni sermone et lingua, *sæva*, *furentia*, *dira* appellare, quæ prodigiosa molis amplitudine nobis minitari videntur, et ea, quæ modum excedunt, tantum nobis inji-

Digitized by Google

PLIST. Nec abnuendum est, si dat imperium deus.
THY. Nec appetendum. PLIST. Frater, ut regnes, rogat.
THY. Rogat? timendum est; errat hic aliquis dolus.
PLIST. Redire pietas, unde submota est, solet,

ciant pavorem, ut istis vel mutis et inanimis feroces et nobis infensos affectus imputemus. Hoc ipsum innuit Perott. in quart. Mart. epigr. «*Mane*, quum dies clarus est, ab omine boni nominis. *Manum* enim veteres bonum dicebant: unde dii *manes* appellati, hoc est *boni*, quos etiam metu mortis supplices venerabantur; quemadmodum e contrario immanes dicimus crudeles ac minime bonos, et *immania* saxa, aspera, horrenda.» Utraque significatio jungitur in hoc exemplo; saxa enim sunt horrenda, quia magna et vasta. Vid. quoque Ovid. Metam. VIII, 583 et inf. 646. — *Pati*. Locus videbatur obscurus Grutero et Delrioni. Heinsius autem ex Grotio interpretationem extulit, quæ *pati sine regno* idem sonare ac *non difficulter carere* ostendit. Laudat igitur Gronovius Grotium et Heinsium quod tantam difficultatem amoverint, necnon Salmasium qui versum quoque feliciter enucleavit. Nihil de trium virorum meritis detrahere velim; sed neque tam acutis interpretibus indigebat locus, et jam pridem Bernard. et Ascens. sententiam explicuerant; *posse pati*, id est, inquiebat Bernardinus, *posse vivere*; et ante illum, jam ex summis auctoribus multa exempla colligi potuissent, quæ Nostri loco lucem facerent. Sic Virg. Bucol. X, 52: « Certum est in silvis inter spelæa ferarum Malle pati.» Lucan. V, 313, ad Cæsarem: «Lassare, et disce sine armis Posse pati.» Sen. Quæst. Natur. III, præfat. de Annibale: *Adeo sine patria pati poterat, sine hoste non poterat*.

471. *Nec abnuendum*. Intellige *nec*, quasi scribatur *non tamen*. Vid. sup. 93.

473. *Rogat? timendum est*. Ex eo quod Atreus ab Implacato in fratrem odio, tam incredibili mentis conversione, usque ad preces mitigatus videatur, oritur occultæ cujusdam fraudis suspicio. *Crébillon*, *Atrée*, act. V, scen. 2, respondente Plisthene Thessandro, qui se nihil mali suspicari dixit in convivii apparatu ab Atreo instructi:

Et moi, je ne vois rien dont mon cœur ne frémisse.
De quelque crime affreux cette fête est complice:
C'est assez qu'un tyran la consacre en ces lieux;
Et nous sommes perdus, s'il invoque les dieux.

—*Errat hic aliquis dolus*. Vid. Herc. fur. 1193. *Crébillon*, act. V, scen. 1, de Atreo:

Tout ce qui vient de lui cache quelque mystère.

474. *Redire*, etc. Illa, quæ ex consanguinitate oritur, caritas, si aliquantisper submota fuerit, in animos tamen unde discesserat redire solet. Sic Chorus, v. 549: « Nulla vis major pietate vera est. Jurgia externis inimica durant; Quos amor verus tenuit, tenebit.» Liv. XL, 8: *Sed interdum spes animum subibat, deflagrare iras vestras, purgari suspiciones posse ..... subiturum vobis aliquando germanitatis memoriam*, etc.

Digitized by Google

Reparatque vires justus amissas amor. 475
THY. Amat Thyesten frater? æthereas prius
Perfundet Arctos pontus, et Siculi rapax
Consistet æstus unda, et Ionio seges
Matura pelago surget, et lucem dabit
Nox atra terris; ante cum flammis aquæ, 480
Cum morte vita, cum mari ventus fidem
Fœdusque jungent. PLIST. Quam tamen fraudem times?
THY. Omnem : timori quem meo statuam modum?
Tantum potest, quantum odit. PLIST. In te quid potest?
THY. Pro me nihil jam metuo : vos facitis mihi 485
Atrea timendum. PLIST. Decipi captus times!
Serum est cavendi tempus in mediis malis.
THY. Eatur : unum genitor hoc testor tamen,

475. *Justus.* Amor debitus fratri.

476. *Æthereas prius*, etc. Arcti enim nunquam mari tinguntur. Vid. Herc. fur. 6. De hac negandi forma, poetis romanis consuetissima, cf. Herc. fur. 372 et sqq.

477. *Siculi rapax*, etc. Nempe in illo angusto freto, quod Siciliam ab Italia disterminat, magna erat et assidua fluctuum agitatio. Plin. III, 8 : *In eo freto est scopulus Scylla, item Charybdis, mare vorticosum.* Cic. de Natur. deor. III, 10 : *Quid Chalcidico Euripo in motu identidem reciprocando putas fieri constantius? quid freto Siciliensi? quid Oceani fervore illis in locis*, «Europam Libyamque ferox ubi dividit unda»? Add. Virgil. Æn. III, 421. Ovid. Metam. VII, 64, et XIV, 6. Sil. XIV, 18. Nostr. Herc. Œt. 235, denique Thyest. 581.

478. *Ionio.* Quod Peloponnesum alluit, sed hic fretum quodlibet memorari poterat.

484. *Tantum potest.* Nam venimus in manus ejus; ita ut quidquid suadet odium, jam possit exsequi. — *Quid potest?* Non cadit enim in juvenilem simplicemque Plisthenis animum posse insidias fratri a fratre parari.

485. *Pro me*, etc. Stoice dictum : mors nihil habet quod jam metuam. *Crébillon* ad Plisthenem hæc transtulit, act. V, scen. 2 :

Ah! je ne fuirais pas, quel que fût mon effroi,
Si mon cœur aujourd'hui ne tremblait que pour moi.

486. *Decipi captus times!* Præcipuus est sensus in verbo *captus*. Decipi times, quum captivus sis et circumventus nec jam tui juris! Tunc tibi consultandum fuit, quum nondum periculum subieras : nunc autem non superest prudentiæ locus. Sententia sequente versu explicatur.

488. *Eatur*, etc. Verbum consentientis aut potius obtemperan-

Digitized by Google

Ego vos sequor, non duco. PLIST. Respiciet deus
Bene cogitata : perge non dubio gradu. 490

ATREUS, THYESTES, PLISTHENES,

TANTALUS FILIUS et TERTIUS, FRATER } mutæ personæ.

ATR. Plagis tenetur clusa dispositis fera :
Et ipsum, et una generis invisi indolem

tis : « Eamus, inquit; sed testor me contra voluntatem meam et vobis tantum instantibus ad Atreum rediisse, hoc testor genitor, ita ut, si quid mali vobis acciderit, non argustur pater suos in periculum temere induxisse. »

489. *Respiciet*, etc. Confidit enim Plisthenes non abfore deum, qui Thyestæ præmium pietatis in liberos rependat. Plaut. in Bacchid. act. IV, scen. 3, v. 23 : « MNESIL. Egone ut opem mihi Ferre putem posse inopem te? PISTOCL. Tace modo : deus respiciet nos aliquis. »

491. *Plagis tenetur*, etc. Teneo irretitum fratrem : *Crébillon, Atrée et Thyeste*, act. III, scen. 1 :

Enfin, graces aux dieux, je tiens en ma puissance
Le perfide ennemi que poursuit ma vengeance.

492. *Generis invisi indolem*. Novissimus interpres *Levée : Oui, je remarque en lui, et dans ceux qui l'accompagnent, ce naturel que je déteste;* quam translationem falsam omnino arbitramur, ut latinis verbis minime accommodatam. Melius *Coupé : Le voilà, lui et son odieuse race;* sed laxiori interpretatione. Nec interpretes nec annotatores (in quibus Farnabius, qui explicat « filios patrem malum vultu et indole referentes »), intellexisse videntur quid hic significet *indolem*, dictum, ut mihi videtur pro *sobolem* aut *prolem*. *Indoles* enim, ut *soboles* et *proles*, oritur ab *olesco*, cresco : unde Fest. lib. IX, « *indoles*, incrementum. » Id. lib. XVII : « Soboles ab olescendo, i. e. crescendo, ut adolescentes, et adultæ, et *indoles*, dicitur. » Non. Marcell. de Improp. « *Indolem* adolescentiam tantum consuetudo dicit, quasi nova soboles : indoles autem est incrementum. » Ex his constat *indoles* sicut *soboles* et *proles* de succrescentis stirpis propagine primo dictum, et quamvis vox illa in alium sensum deflexerit, eam tamen ad priscum usum revocare potuit poeta. Nec exemplis caremus quæ vocem *indoles* sic a Nostro usurpatam approbent. Quomodo accipias hunc Hippolyti locum, 868, « Per tui sceptrum imperii, Magnamine Theseu, perque natorum *indolem*, Tuosque reditus, etc. », si *indolem* non ponatur pro *sobolem*, sed usitatam significationem retineat? Nota præsertim sequentia Hercul. Œt. 903, de Hercule : « Hic ipse Megaren nempe confixam suis Stravit sagit-

Digitized by Google

Junctam parenti cerno. Jam tuto in loco
Versantur odia : venit in nostras manus
Tandem Thyestes ; venit, et totus quidem. 495
Vix tempero animo, vix dolor frenos capit.
Sic, quum feras vestigat, et longo sagax
Loro tenetur Umber, ac presso vias
Scrutatur ore ; dum procul lento suem
Odore sentit, paret, et tacito locum 500
Rostro pererrat ; præda quum propior fuit,
Cervice tota pugnat, et gemitu vocat

tis atque natorum *indolem*, Lernæa figens tela furibunda manu. » Quid manifestius esse queat, quam *indolem* pro *sobolem* hic adhiberi, quum præcedat *stravit sagittis*, quod cum *sobolem* aliter accepto conciliare frustra labores? Simpliciter igitur et Thyestis locum interpretare : « Cerno et Thyestem ipsum et generis invisi prolem junctam patri. »

493. *Jam tuto in loco.* Quia non possunt Thyestes et filii ejus ultionem meam effugere.

494. *Et totus quidem.* Liberi enim quasi pars genitoris habentur.

497. *Sic, quum feras*, etc. Cui non ista sordeat tam intempestiva, tamque prolixa collatio? quis ferat Atreum, vix fassum se animo ac dolori non temperare, minutissima sigillatim recensere, atque hanc venatici canis similitudinem mira describendi cura et composita quadam verborum copia prosequi? Cæterum comparatio forsan ex Ennio desumpta est. Fragm. Annal. lib. X : « animusque in pectore latrat, Sicut si quando vinclo venatica aheno Apta », etc.

498. *Loro tenetur.* Lucan. IV, 440 : « Venator tenet ora levis clamosa Molossi, Spartanos Cretasque ligat, nec creditur ulli Silva cani, nisi qui presso vestigia rostro Colligit, et præda nescit latrare reperta, Contentus tremulo monstrasse cubilia loro. » — *Umber.* Canum genus, quos tulit Umbria, miræ sagacitatis in venando fuisse dicitur. Virg. Æn. XII, 753. Sil. III, 295. Valer. Flacc. VI, 420. Convenientius sane fuerit Spartanos aut Molossos memorare : sed Romana et Italica pro Græcis Noster solet appingere. — *Presso... ore.* Prono ad terram. Sic sup. in Lucan. *presso rostro*, et inf. not. ad v. 501 in Sil. *premens vestigia.*

499. *Lento.* Opponitur *lento* currentis apri velocitati : nam, illo fugiente, retro manet odor, quo feræ produntur vestigia. — *Suem.* Sidon. VII, 191 : « Suem latratibus improbus Umber Terruit. »

501. *Rostro.* Ore. Sil. X, 77 : « Ut canis occultos agitat quum bellicus apros, Erroresque feræ solers per devia mersa Nare legit, tacitoque premens vestigia rostro Lustrat », etc.

502. *Cervice tota pugnat.* Cervice nititur.

Digitized by Google

Dominum morantem, seque retinenti eripit.
Quum spirat ira sanguinem, nescit tegi.
Tamen tegatur. Aspice, ut multo gravis 505
Squallore vultus obruat mœstos coma,
Quam fœda jaceat barba! — Præstetur fides.
Fratrem juvat videre; complexus mihi
Redde expetitos : quidquid irarum fuit,
Transierit; ex hoc sanguis ac pietas die 510
Colantur; animis odia damnata excidant.
THY. Diluere possem cuncta, nisi talis fores.
Sed fateor, Atreu, fateor, admisi omnia
Quæ credidisti. Pessimam causam meam
Hodierna pietas fecit : est prorsus nocens, 515
Quicumque visus tam bono fratri est nocens.

504. *Spirat*, etc. Cupit, ardet. Lucret. V, 393 : « Tantum spirantes æquo certamine bellum. » Petron. in satyr. cap. 122 : « Civiles acies jam tum spirare putares. » Hæc locutio in gallicum sermonem fluxit. *Il ne respirait que le service du Roi* (Bossuet). *Ne respirant que le sang et le carnage* (Massillon). *Chacun plein de mon nom ne respirait que moi* (Boileau). *Et ne respire enfin que sang et que ruines* (Racine). Quis credat Gronovium tam simplici et acri dicendi formæ diffisum, maluisse *Quum sperat ira sanguinem*, quo nihil languidius? Vid. Animadvers. nostras. — *Nescit tegi*. Conf. Senec. de ira, I, 1; II, 35, et III, 3 et 4. Wakefieldus recte animadvertit *tegi* pro *se tegere* positum esse, cum mediæ vocis potestate, quod sæpe fit in latinis scriptt.

505. *Aspice*, etc. Hæc Atreus ad se ipsum, cum voluptate quadam miserabili fratris habitu pascens oculos. Citat in Tuscul. III, 12, Cic. hos versus incerti auctoris, sed quos multi putant ex Ennii *Medo* excerptos : « Refugere oculi, corpus macie extabuit : Lacrimæ peredere humore exsangues genas; Situ nidoris barba pedore horrida, Atque intonsa infuscat pectus illuvie scabrum ».

507. *Præstetur fides*. Atreus Thyestem alloquitur : « Fides servetur, inquit, quam liberi mei polliciti sunt. »

510. *Transierit*. Oblivione obruatur. — *Sanguis*. Jura consanguinitatis.

512. *Diluere possem*. Haberem, quibus me defenderem, verba, nisi te benigniorem experirer, quam ut quæ secus admisi vel celare vel excusare velim.

515. *Est prorsus*, etc. Sic *Voltaire*, *Adélaide Duguesclin*, act. V, scen. 5 :

Mon crime en est plus grand, puisque ton cœur l'oublie.

Digitized by Google

Lacrimis agendum est : supplicem primus vides ;
Hæ te precantur pedibus intactæ manus.
Ponatur omnis ira, et ex animo tumor
Erasus abeat : obsides fidei accipe 520
Hos innocentes. ATR. Frater, a genubus manus
Aufer, meosque potius amplexus pete.
Vos quoque, senum præsidia, tot juvenes, meo
Pendete collo. Squallidam vestem exue,
Oculisque nostris parce, et ornatus cape 525
Pares meis, lætusque fraterni imperii

517. *Lacrimis agendum,* etc. Jam non oratio, sed lacrimæ adhibendæ. Cf. Hipp. 635. — *Primus vides.* Quo potentius Atreum moveat pœnitentiæ et doloris specie, testatur Thyestes se nulli unquam antea supplicavisse.

518. *Pedibus intactæ.* Troad. 692, «Ad genua accido Supplex, Ulysse : quamque nullius pedes Novere dextram pedibus admoveo tuis. » Eadem est victæ et ultro se demittentis superbiæ imago in Racinii Andromacha, act. III, scen. 4 :

N'est-ce pas à vos yeux un spectacle assez doux
Que la veuve d'Hector pleurant à vos genoux?

Et in Voltarii Merope, act. IV, scen. 2 :

Que vous faut-il de plus? Mérope est à vos pieds.

Apte autem dicitur *pedibus intactæ.* Juven. XIV, 194, *caput intactum buxo.* Plin. XVI, 2 : *Hercyniæ silvæ roborum vastitas intacta ævis ;* et XXV, 1 : *Herbarum folia quadrupedum pabulo intacta.*

519. *Tumor.* Virg. Æn. VIII, 39 : «Tumor omnis et iræ Concessere deum. » Seneca de ira III, 2 : *Ira violavit legationes rupto jure gentium, rabiesque infanda civitatem tulit ; nec datum tempus, quo resideret tumor publicus.* Adde Phœniss. 585 ; Hipp. 137 ; Octav. 876.

521. *Hos innocentes.* Nempe filios admissorum a patre scelerum nec participes nec conscios.

523. *Tot juvenes.* Ut infra., v. 915, *tot hostiarum,* quamvis tres tantum numero sint.

524. *Pendete collo.* Collo meo brachia circumdate. Ovid. Fast. II, 760 : «Deque viri collo dulce pependit onus. » — *Squallidam vestem exue.* Ad fratrem Atreus rursus convertitur.

525. *Oculisque nostris parce.* Propert. IV, eleg. 10, v. 53, *Parce oculis,* et Tibull. I, eleg. 2, v. 35, *parcite luminibus.* Sed uterque alio sensu quam Seneca ; namque apud eos *parcere oculis* pro *avertere oculos.* Atreus autem fratrem precatur ut squallidam vestem exuat, ut suis oculis tristem, et quasi nequeat nisi summo cum mœrore Thyestem miseriæ suæ talia indicia præferentem conspicere. Sic Cic. de Orat. III, 43 : *Parcendum auribus et consuetudini ;* ut significet nulla usurpanda verba quæ aures et usum offendant.

Digitized by Google

Capesse partem. Major hæc laus est mea,
Fratri paternum reddere incolumi decus.
Habere regnum, casus est; virtus, dare.
THY. Dii paria, frater, pretia pro tantis tibi 530
Meritis rependant. Regiam capitis notam
Squallor recusat noster, et sceptrum manus
Infausta refugit: liceat in media mihi
Latere turba. ATR. Recipit hoc regnum duos.
THY. Meum esse credo, quidquid est, frater, tuum. 535
ATR. Quis influentis dona fortunæ abnuit?
THY. Expertus est quicumque, quam facile effluant.
ATR. Fratrem potiri gloria ingenti vetas?
THY. Tua jam peracta gloria est; restat mea.

527. *Major*, etc. « Plus mihi laudis est in reddendo fratri paterno decore, quam in possidendo sceptro »; quod explicant sequentia *habere regnum*, etc.

528. *Paternum... decus.* Majestatem regiam et regni partem. — *Reddere.* Non quod pars regni legitimo jure Thyestis fuerit : sed fatetur ex industria Atreus partem regni fratri deberi, quo facilius eum insidiis occupet. (Vid. quæ notavimus sup. vv. 33 et 432.)

529. *Habere*, etc. Hanc sententiam assumpsit *Corneille*, *Cinna*, act. II, scen. I :

Le bonheur peut conduire à la grandeur suprême;
Mais, pour y renoncer, il faut la vertu même.

530. *Dii paria*, etc. Virg. Æn. I, 607 : « Di tibi (si qua pios respectant numina, si quid Usquam justitiæ est), et mens sibi conscia recti Præmia digna ferant. »

531. *Regiam... notam.* Diadema.

536. *Influentis dona fortunæ.* Faventis dona fortunæ. Affert Badenius, ut hunc sensum vocabuli *influentis* legitimum approbet, locum Senecæ Ep. 50 : *Illud desperandum est, posse nobis casu tantum bonum influere.* Sed aliud est *bonum nobis influere*, aliud *influens fortuna.* In altero, *influere* sensu vulgari accipitur, *bonum in nos influit*, quo nihil usitatius. Sed male *influens fortuna* pro *favens fortuna* diceretur, nisi sequeretur *effluant* : tota est in oppositione virtus et salubritas locutionis : dona fortunæ *influunt* et *effluunt*, i. e. accidunt et effugiunt, veniunt in manus et e manibus avolant.

539. *Tua jam*, etc. Nihil in hunc versum adnotatores, licet locus interpretatione indigeat. Interp. *Coupé : Vous l'avez acquise* (la gloire) : *la mienne n'est pas commencée : je ne veux point régner.* Et *Levée : il ne manque rien à votre gloire ; la mienne n'est pas commencée ; j'ai pris la ferme résolution de ne point régner.* Uterque mihi videtur si minus versum omnem, saltem *restat mea* non intel-

Digitized by Google

Respuere certum est regna consilium mihi. 540
ATR. Meam relinquam, nisi tuam partem accipis.
THY. Accipio : regni nomen impositi feram;
Sed jura et arma servient mecum tibi.
ATR. Imposita capiti vincla venerando gere.
Ego destinatas victimas superis dabo. 545

CHORUS.

CREDAT hoc quisquam? ferus ille et acer,
Nec potens mentis, truculentus Atreus,
Fratris aspectu stupefactus hæsit.
Nulla vis major pietate vera est.
Jurgia externis inimica durant; 550
Quos amor verus tenuit, tenebit.
Ira quum magnis agitata causis
Gratiam rupit, cecinitque bellum;
Quum leves frenis sonuere turmæ,

lexisse. Questus est Atreus se a fratre ingenti gloria orbari, i. e. gloria largiendi ultro Thyestæ, quæ ille armis extorquere non potuit. Respondet Thyestes, gloriam, quam sibi ademptam dicit Atreus, jam totam esse illius; satis est enim partem regni oblatam esse, ut plena beneficii gloria Atreus potiatur. At quemadmodum Atrei laus est regnum offerre, sic Thyestæ, recusare oblatum : ita ut, postquam Atreus laudem suam muneris oblatione complevit, restet ut Thyestes suæ consulat, munus non accipiendo.

542. *Nomen.* Titulum tantummodo; nam potestatem tibi relinquam. — *Impositi.* Quod invitus atque a te coactus subeo.

543. *Jura et arma.* Civilium bellicarumque rerum arbitrium et moderatio.

545. *Ego destinatas*, etc. Alludit ad Thyestæ liberorum necem, quos ante aras immolaturus est.

546. *Credat hoc quisquam?* Senec. Epist. 91 : *Quis hoc credat, ubique armis quiescentibus...?* Et Epist. 97 : *Credat hoc quisquam? qui damnabatur*, etc.

548. *Stupefactus hæsit.* Odium suum, hucusque insuperatum, viso fratre immutatus compescuit.

549. *Pietate.* Necessitudine sanguinis.

550. *Externis... durant.* Diuturna sunt et perpetua inter homines non eodem sanguine ortos.

554. *Frenis sonuere.* Virg. Georg.

Digitized by Google

Fulsit hinc illinc agitatus ensis, 555
Quem movet crebro furibundus ictu
Sanguinem Mavors cupiens recentem;
Opprimit ferrum, manibusque junctis
Ducit ad pacem pietas negantes.
Otium tanto subitum e tumultu 560
Quis deus fecit? Modo per Mycenas
Arma civilis crepuere belli:
Pallidæ natos tenuere matres;
Uxor armato timuit marito,
Quum manum invitus sequeretur ensis, 565
Sordidus pacis vitio quietæ,
Ille labentes renovare muros;

III, 184 : « et stabulo frenos audire sonantes. » — *Turmæ*. Seneca veteribus Græcis Romanos usus, ut solet, attribuit : *turma* enim Romanorum propria fuit.

555. *Fulsit*. Pro *et fulsit*, aut *quum fulsit*.

557. *Recentem*. Sanguinem semper novum.

558. *Opprimit ferrum*, etc. Postquam ira conferbuit, postquam enses hinc illinc agitati fulsere, pietas ferri sævitiam coercet, invitosque et reluctantes fratres ad pacem reducit, dextræque dextram jungere adigit.

563. *Pallidæ natos*, etc. Filios suos mater aut astringit infantes, quodam terrore perculsa, aut complectitur adultos, ne ad prælia ruant. Utrumque sensum probavit Gruterus : priorem tantum Delrio et Gronovius significari crediderunt, quasi imitatus sit Noster Virg. Æn. VII, 518 : « Et trepidæ matres pressere ad pectora natos », quod expressit et *Ariosto* in *Orlando furioso*, XXVII, 101, *Si strinsero le madri i figli al seno*. At desiderari aliquid mihi videtur ut hic sensus plane declaretur, nec satis esse *tenuere* ad exprimendos matrum pignora sua pectori apprimentium complexus. Satius igitur arbitror accipere *tenuere* pro *retinuere, cohibuere;* quæ est usitatissima vocabuli *tenere* significatio. Cic. epist. ad Attic. XI, 3 : *Eum, qui literas attulit, diutius tenui, quia quotidie aliquid novi exspectabamus*. Virg. Æn. IV, 308 : « Nec moritura tenet crudeli funere Dido? »

565. *Invitus sequeretur*. Propter civilis et domestici belli immanitatem.

566. *Sordidus*. Cui pax rubiginem obduxit. — *Pacis vitio*. Forsan parum conveniat *vitio* sententiæ poetæ et senum Mycenæorum proposito; damnant enim bellum pacemque laudant, et *vitio pacis*, quoquo modo interpreteris, potius ad culpationem diuturnæ pacis quam ad laudationem pertinet.

Digitized by Google

Hic situ quassas stabilire turres;
Ferreis portas cohibere claustris
Ille certabat, pavidusque pinnis 570
Anxiæ noctis vigil incubabat.
Pejor est bello timor ipse belli.
Jam minæ sævi cecidere ferri;
Jam silet murmur grave classicorum;
Jam tacet stridor litui strepentis: 575
Alta pax urbi revocata lætæ est.
Sic ubi ex alto tumuere fluctus,
Brutium Coro feriente pontum,
Scylla pulsatis resonat cavernis,
Ac mare in portu timuere nautæ 580

568. *Situ quassas.* Mart. VIII, 3: «Et quum rupta situ Messalæ saxa jacebunt.»

570. *Pinnis.* Vocabantur *pinnæ* acuta vallorum cacumina, et saxa illa in modum dentium excisa, quæ summa mœnia summasque turres circumcingunt. Virgil. Æn. VII, 158 «....primasque in litore sedes Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.»

571. *Anxiæ noctis vigil.* Vigil per noctem, anxiis et ipso et civibus, ne hostes ingruerent.

572. *Pejor,* etc. Senec. epist. 24: *Nihil in terris terribile est, præter ipsum timorem.*—Hunc versum interpret. gall. a superioribus dividunt, et jungunt sequentibus, tanquam hic incipiente novo sententiarum ordine. Nos tamen contra arbitramur non posse necti *Pejor est,* etc. cum *Jam minæ,* etc. sed his resumi et concludi præcedentia: Modo Mycenarum incolæ defensionem parabant et ad muniendam urbem anxie accingebantur: anxie, pejor enim est bello belli timor.

577. *Ex alto tumuere fluctus.* Id est, imis gurgitibus, non vero summo æquore, commoti et jactati. Sen. de ira, I, 16: *Intelligit, non ex alto venire nequitiam, sed summo, quod aiunt, animo inhærere.* Ovid. Amor. II, eleg. 4, v. 15: «Aspera si visa est, rigidasque imitata Sabinas, Velle, sed ex alto dissimulare, puto.»

578. *Brutium... pontum.* Pontum qui Brutios alluit, extremos Italiæ, qua Siciliam spectat, populos. Idem est ac fretum Siculum, de quo sup. v. 477. — *Coro.* Sen. Quæst. Natur. V, 16: *A solstitiali occidente Corus venit... Cori violenta vis est, et in unam partem rapax.* — *Feriente.* Cf. Lucan. X, 245.

579. *Scylla.* Vid. Herc. fur. 376, et Med. 350.

580. *In portu.* Ut intelligatur quanta sit tempestatis violentia, quum in ipso portu, qui solet se-

Digitized by Google

Quod rapax haustum revomit Charybdis;
Et ferus Cyclops metuit parentem
Rupe ferventis residens in Ætnæ,
Ne superfusis violetur undis
Ignis æternis resonans caminis; 585
Et putat mergi sua posse pauper
Regna Laertes, Ithaca tremente.

curitatem nautis afferre, timeatur.

581. *Haustum revomit.* Quod, alterna vice, haurit et revomit Charybdis. Homer. Odyss. XII, 104: « Αἶα Χάρυϐδις ἀναῤροιϐδεῖ μέλαν ὕδωρ. Τρὶς μὲν γὰρ τ' ἀνίησιν ἐπ' ἤματι, τρὶς δ' ἀναροιϐδεῖ Δεινόν. » Quod sic expressit Virg. Æn. III, 420: « lævum implacata Charybdis Obsidet; atque imo barathri ter gurgite vastos Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras Erigit alternos, et sidera verberat unda. » Ovid. Heroid. XII, 125, de eadem Charybdi: « Quæque vomit fluctus totidem, totidemque resorbet. » Id. de Pont. IV, 10, v. 27: « Nec petes infestis conferre Charybdin Achæis; Ter licet epotum, ter vomat illa fretum. »

582. *Ferus Cyclops.* Interpretes et annotatores crediderunt Polyphemum designari, Neptuni filium. Sed melius sit et simplicius, si intelligantur omnes Cyclopes, qui Ætnam incolebant. Universi enim Neptuno geniti ferebantur. Eos *fratres* appellat Euripides passim in Cyclope, et Virg. Æn. III, 678: « Cernimus adstantes nequicquam lumine torvo Ætneos fratres. » Euripides autem clarius et apertius in Cyclope, v. 21: « Μόνωπες πονθίου παῖδες θεοῦ, Κύκλωπες οἰκοῦσ' ἄντρ' ἔρημ' ἀνδροκτόνοι. » Quum ex his constet, ut Polyphemum, sic cæteros Cyclopas in antiqua mythologia pro filiis Neptuni habitos (quo cæterum nati perhibebantur, quicunque sævitia et immanitate innotuerant), speramus nemini non magis arrisurum *ferus Cyclops* acceptum generaliter, quam soli Polyphemo attributum. — *Metuit parentem.* I. e. Neptunum, vim aquarum. Tanta est maris æstuantis violentia, ut ipsi Cyclopes genitoris sui furorem reformident.

583. *Ferventis.... Ætnæ.* Vid. Virg. Æn. III, 373; Sil. XIV, 58. Ovid. Fast. IV, 491; Val. Flacc. II, 25; Corn. Severus, in Ætna, etc. — *Residens.* Credebantur enim in Ætna monte sedem habere Cyclopes, ubi fulmina Jovis cum Vulcano fabricabantur.

585. *Ignis æternis,* etc. Metuunt Cyclopes ne mare furibundo impetu Vulcanios caminos et destinatos fulminibus ignes invadat.

587. *Regna Laertes.* Putat Laertes, rex Ithacæ, qui *pauper* dicitur propter regni sui exiguitatem, totam insulam mergi posse; tantus est fluctuum tumor! Contendit Farnab. nondum regnasse Laertes, et eum nonnisi per *prolepsim* nominari; quod mihi non ita manife-

Digitized by Google

Si suæ ventis cecidere vires,
Mitius stagno pelagus recumbit:
Alta, quæ navis timuit secare 590
Hinc et hinc fusis spatiosa velis,
Strata ludenti patuere cymbæ;
Et vacat mersos numerare pisces,
Hic ubi ingenti modo sub procella

stum est, ut hoc ad solitum Senecæ vitium de male servata temporum serie referre velim. Nam Laertes Ulyssis pater fuit, Atreus Agamemnonis; atque ut Agamemnona et Ulyssem coævos fuisse nemo negaverit, ita Laertes et Atreus eodem regnavisse tempore putari possunt et debent. Et frustra dixerit Farnabius Atreum non patrem, sed avum Agamemnonis fuisse; nam in re tam dubia liberum et solutum poetæ fuit opinionem illam et quidem vulgatissimam amplecti, qua Agamemnon filius Atrei ferebatur (vid. quæ notav. ad v. 296). Hæc eo magis in Farnabium valent, quod illis credidisse non visus sit, qui Plisthenem Atrei filium, et Plisthene natum Agamemnona contenderunt, sed solita brevitate doceat Agamemnona Atrei filium esse.

589. *Mitius stagno pelagus*, etc. Noster imitatus est Virg. Æn. VIII, 88: « tacita refluens ita substitit unda, Mitis ut in morem stagni placidæque paludis Sterneret æquor aquis. »

590. *Alta*. Maria, ut in Virg. Æn. II, 203. — *Secare*. Ovid. Met. XI, 478: « Aut minus, aut certe medium non amplius æquor Puppe secabatur. »

591. *Fusis*. Val. Flacc. IV, 679: « Sed neque permissis jam fundere rector habenis Vela », etc. — *Spatiosa*. Hoc possit eleganter ad *alta* referri: æquor enim *spatiosum hinc et hinc fusis velis* dicitur, quod latissime patet et quam plurimis navibus operitur; sed multo melius ad sensum fuerit, si *spatiosa* ad *navis* referatur: Ubi silent venti, inquit, et placidum jacet pelagus, tum mare, quod navis, licet valida et multis velis instructa, timebat secare, nunc ludentes pervolant cymbæ, etc. Quem locum non intellexit novissimus interpres *Levée*, qui hunc versum *Hinc et hinc fusis*, etc. a superioribus distraxit, ut sequentibus adnecteret: *Alors le navire qui redoutait les flots irrités, étend ses voiles spacieuses, les barques légères semblent se jouer*, etc.

592. *Strata*. Plana, pacata, tranquilla. Usitatum poetis: vid. Virg. Bucol. IX, 57; Æn. V, 763. Manil. I, 155. Val. Flacc. III, 605, et Nost. Troad. 178. — *Ludenti*. Sen. epist. 4: *Noli huic tranquillitati confidere: momento mare evertitur; eodem die, ubi luserunt navigia, sorbentur*. Ovid. Trist. II, 329: « Non ideo debet pelago se credere, si qua Audet in exiguo ludere cymba lacu. »

593. *Et vacat*, etc. Unda adeo pellucida est, ut submersi pisces numerari queant.

Digitized by Google

Cyclades pontum timuere motæ. 595
Nulla sors longa est : dolor ac voluptas
Invicem cedunt; brevior voluptas.
Ima permutat levis hora summis.
Ille, qui donat diadema fronti,
Quem genu nixæ tremuere gentes, 600
Cujus ad nutum posuere bella

595. *Cyclades.* Ægæi maris insulæ. De numero, vide Hygin. fab. 276; de nominis origine, videatur Plin. IV, 12, et Serv. ad Virg. Æn. III, 126.

596. *Nulla sors*, etc. Postquam Poeta bellum pace mutatum descripsit, ad generalem sententiam, huc deducente ultro materia, transit, nempe res humanas perpetuis vicissitudinibus volvi et circumagi; quod ut argumento tragœdiæ accommodet, reges monet ne tumidos sævosque gerant animos, quum nihil sit summa potestate instabilius, et regnantem sæpe eadem dies, eadem jacentem videat. — De hac sententia, quæ tragicis et omnibus poetis multum placuit, cf. Sophocl. Œdip. tyr. 1528. Euripid. Hecub. 283; Androm. 100; Troad. 510; Heracl. 610. Horat. I, od. 35. Ovid. Metam. III, 135; de Pont. IV, 3, etc. Add. Nost. Hipp. 1141; Agamemn. 71; Octav. 452, alibi. Plin. Panegyr. § 5. Senecæ epist. 91, et passim, etc. — *Dolor ac voluptas*, etc. Phædr. IV, 16, 9 : « Parce gaudere oportet, et sensim queri, Totam quia vitam miscet dolor et gaudium. »

598. *Ima permutat*, etc. Horat. I, od. 34, v. 13 : « Valet ima summis Mutare, et insignem attenuat deus Obscura premens. » — *Levis hora.* « Id est, inquit Gronovius, inconstans fortuna in horas varians. Ut enim *tempus*, *dies*, sic et *hora* pro fortuna. » Hipp. 1141 : « Volat ambiguis Mobilis alis hora; nec ulli Præstat velox fortuna fidem. »

599. *Ille, qui donat*, etc. Hoc spectare videtur ad Romanos imperatores, qui regna dono dabant: sic Augustus Armeniam Tigrani (Tacit. Ann. II, 3), Zenoni Tiberius (Ann. II, 56), alii rursus Tigrani Nero (Ann. XIV, 26), Parthiam Meherdati Claudius (Ann. XII, 11), etc. largiti sunt.

601. *Cujus ad nutum*, etc. Romani quidem, aut vi armorum aut nominis terrore, non semel regiones istas Caspio mari vicinas pacavere, ubi Medi, Parthi, Daæ; quas gentes pro jure suo confundunt poetæ. Nusquam autem vidimus ad Romanorum Cæsarum nutum Indos bella posuisse; qui quidem ad Augustum legatos ita misisse feruntur (Strab. lib. IX. Flor. IV, 12), ut nonnisi quadriennio iter impleverint, et paucissimi, plerisque inter eundum exstinctis, Romam pervenerint. Romanorum igitur nomen ad Indos usque pervasisse constat; sed hi a Romana ditione liberi omnino fuisse videntur, et haberi debet Senecæ locus pro poetica magis amplificatione, quam pro certa

Digitized by Google

Medus, et Phœbi propioris Indus,
Et Daæ Parthis equitem minati,
Anxius sceptrum tenet, et moventes
Cuncta divinat metuitque casus 605
Mobiles rerum, dubiumque tempus.
Vos, quibus rector maris atque terræ
Jus dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidosque vultus :
Quidquid a vobis minor extimescit, 610
Major hoc vobis dominus minatur :

et historicæ fidei affirmatione. — *Posuere bella.* Sil. IV, 397 : « Inque vicem erepta posuerunt prælia vita. »

602. *Phœbi propioris Indus.* Ellipsis, pro « Indus proximo soli subjectus ». Flor. IV, 12 : *Habitantes sub ipso sole Indi.*

603. *Parthis equitem minati.* Interrogabat Scaliger quid sit *equitem minari.* Sed usitatissima est locutio *minari aliquid* pro « minari ne hoc ipsum instrumentum nocendi fiat ». Daæ minabantur equites suos Parthis, i. e. minabantur ne equites suos, qui eis præcipuum bellandi robur erant, in Parthos immitterent. Cic. Tuscul. I, 43 : *Quum Cyrenæo Theodoro Lysimachus rex crucem minaretur,* « Istis quæso, *inquit*, ista horribilia minitare purpuratis tuis, etc. » Sic quoque infra v. 611, *hoc vobis dominus minatur. Equitem* vero pro *equitatu*, ut sup. 185. Quod addit Scaliger, scilicet alterum populum ab altero ita disjungi, ut alter alteri minari nequeat, ferri poterat, quum *Dacæ* legeretur; sed ex eo ipso inferre debuit vir doctissimus legendum *Daæ*, ut nunc convenit inter omnes; quum Daæ Parthis sint vicini et finitimi.

605. *Divinat.* Anxius est in solio, quia præsagit quibus movenda sint omnia casibus et præmetuit fortunæ vices. « Divinat casus moventes cuncta, ait Scaliger, et ipsos vicissim mobiles. Græcus dixisset ὄσσεται τὴν τῶν ἀνθρωπείων παλιμβολίαν. Notum quid Homero, κακὰ ὄσσεται; id est, quod hic dicitur, divinare. » Homer. Odyss. X, 374 : Ἀλλ' ἤμην ἀλλοφρονέων, κακὰ δ' ὄσσετο θυμός. Senec. ep. 94 : *Ostendat ex constitutione vulgi beatos, in isto invidioso fastigio suo trementes et attonitos..... Itaque exanimantur et trepidant, quoties despexerunt in illud magnitudinis suæ præceps. Cogitant enim varios casus, et in sublimi maxime lubricos: tunc appetita formidant, et quæ et illos graves aliis reddit, gravior ipsis felicitas incumbit.*

606. *Dubiumque tempus.* Hoc est pericula, res adversas. Horat. IV, od. 9, v. 35 : « Animus secundis temporibus dubiisque rectus. »

607. *Vos.* Reges. — *Rector,* qui omnia imperio suo regit; nempe Jupiter, ut in sequenti Horatii exemplo.

Digitized by Google

Omne sub regno graviore regnum est.
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.
Nemo confidat nimium secundis; 615
Nemo desperet meliora lapsis.
Miscet hæc illis, prohibetque Clotho
Stare fortunam : rotat omne fatum.
Nemo tam divos habuit faventes,
Crastinum ut posset sibi polliceri. 620

612. *Omne sub regno*, etc. Horat. III, od. 1, v. 5 : «Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipsos imperium est Jovis.»

615. *Nemo confidat*, etc. Senecæ Quæst. Natur. III, præf. *Itaque in secundis nemo confidat, in adversis nemo deficiat... In melius adversa, in deterius optata flectuntur.*

616. *Nemo desperet*, etc. Nemo, lapsis rebus, desperet meliora posse affulgere.

617. *Miscet hæc illis.* Nempe adversa secundis. Sen. Quæst. Natur. III, præf. *Gaudet lætis tristia sustinere, et utraque miscere. — Clotho.* Una Parcarum, quæ vitæ humanæ fila nendo (unde illi nomen, a κλώθω, neo) ita prospera et adversa connectit, ut nunquam stare et in eodem vestigio fortunam hærere patiatur.

618. *Rotat omne fatum.* Hoc accipit Baden. pro *fatum rotat omnia*, et Lessingium objurgat, qui in Theatral. Biblioth. vol. II, p. 81, interpretatur *a Clotho omne rotari fatum.* Attamen vix ferendum arbitror *omne* pro *omnia*; non quod prorsus insolens sit apud Romanos scriptores *omne* generaliter et sine nomine substantivo usurpari, sed quod adjaceat *fatum*, cui *omne* referendum voluisse poeta videtur. Affert Badenius exempla Menandri in Hypobolimæo, Virgilii (Bucol. IX, 5), Valerii Maximi (V, 1, 10), in quibus fatum dicitur versare omnia : sed haud necessario inde colligitur, Senecam eadem iisdem verbis expressisse, præsertim quum locus sic accipi nonnisi invita constructione possit, et cum altero contra sensu verba aptissime conveniant. Nam ut torquere et rotare fatales fusos Clotho dicitur, sic fata hominum rotare et torquere, poetico et usitatissimo schemate, dici potest. Tibull. III, 35 : « tristesque sorores Stamina quæ ducunt, quæque futura neunt. » Prudentius, Hymn. X, de Romani martyris supplicio, 239 : « Fusos rotantem cernimus Tyrinthium? » Ovid. Heroid. XII, 3 : « Tunc, quæ dispensant mortalia fila, sorores Debuerant fusos evoluisse meos. »

620. *Crastinum*, etc. Euripid. Alcest. 783 : Οὐκ ἔστι θνητῶν, ὅστις ἐξεπίσταται, Τὴν αὔριον μέλλουσαν εἰ βιώσεται. Horat. IV, od. 7, v. 17 : «Quis scit, an adjiciant hodiernæ crastina summæ Tempora di superi? » Add. Propert. II, eleg. 15,

Digitized by Google

Res deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

v. 54. Senec. ep. 91 : *Nemo altero fragilior est; nemo in crastinum sui certior.* Inter multa quæ ad hujus sententiæ imitationem gallico sermone expressa sunt, *Lafontaine*, XI, 8 :

.....la main des Parques blêmes
De vos jours et des miens se joue également ;
Nos termes sont pareils par leur courte durée.
Qui de nous des clartés de la voûte azurée
Doit jouir le dernier? Est-il aucun moment
Qui vous puisse assurer d'un second seulement?

Digitized by Google

ACTUS QUARTUS.

NUNTIUS, CHORUS.

NUNT. Quis me per auras turbo præcipitem vehet,
Atraque nube involvet, ut tantum nefas
Eripiat oculis? O domus, Pelopi quoque 625
Et Tantalo pudenda! CHOR. Quid portas novi?
NUNT. Quænam ista regio est, Argos et Sparte pios
Sortita fratres? et maris gemini premens
Fauces Corinthos? an feris Ister fugam
Præbens Alanis? an sub æterna nive 630
Hyrcana tellus? an vagi passim Scythæ?

623. *Quis me per auras*, etc. Cf. Sophocl. Philoct. 1092, et Nost. Phœniss. 420.

625. *Pelopi quoque*, etc. Pelopi etiam et Tantalo, scelestissimis hominibus, pudenda.

627. *Quænam*, etc. Interroganti Choro Nuntius non respondet, sceleris quod enarraturus est novitate perculsus et defixus. — *Pios..... fratres*. Castorem Pollucemque, Spartæ natos, et singulari amicitia celebres. Quæ est ista regio, Argosne et Sparte quæ Castorem Pollucemque, tam pios fratres, genuit, an barbara Alanorum et Scytharum patria? Stat. de bello inter Eteoclem et Polynicem, Theb. X, 132: «Ledæi videant neu talia fratres.» Noster, Phœniss. 128: «Spartenque fratre nobilem gemino.»

628. *Maris gemini*, etc. Vid. sup. v. 181.

629. *An feris*. Lucan. X, 53: «intraque penates Obruitur telis, quem non violasset Alanus, Non Scytha, etc.» — *Fugam præbens*. Pro *viam* præbens: nempe exspatiabantur Alani per Istrum frigore concretum. Ovid. Trist. III, eleg. 10, v. 53: «Protinus, æquato siccis Aquilonibus Istro, Invehitur celeri barbarus hostis equo.» Add. ibid. eleg. 12, v. 29; de Ponto, IV, eleg. 9, v. 9, et notata ad Herc. fur. 535.

631. *Vagi... Scythæ*. Cf. nott. ad Herc. fur. 533, 534 et 539.

Digitized by Google

Quis hic nefandi est conscius monstri locus?
CHOR. Effare, et istud pande, quodcumque est, malum.
NUNT. Si steterit animus, si metu corpus rigens
Remittet artus. Hæret in vultu trucis 635
Imago facti. Ferte me insanæ procul
Illo procellæ; ferte, quo fertur dies
Hinc raptus. CHOR. Animos gravius incertos tenes.
Quid sit, quod horres, ede, et auctorem indica.
Non quæro, quis sit, sed uter. Effare ocius. 640
NUNT. In arce summa Pelopiæ pars est domus
Conversa ad Austros, cujus extremum latus
Æquale monti crescit, atque urbem premit,

632. *Conscius.* Testis : quod verbum poetæ ab hominibus ad exanima quoque transtulere. Vid. Virg. Æn. IV, 167; Ovid. Heroid. XV, 138; Martial. IV, 25, etc. — *Monstri.* Portentosi facinoris.

634. *Si steterit*, etc. Subaudi *dicam equidem*, modo stupor et corpore et animo cedat. *Si steterit*, i. e. si animus tanti sceleris terrore labefactus in firmiorem statum redierit.

635. *Remittet artus.* Relaxabit membra, quæ pavore diriguerunt. Cf. Plin. XI, 26. Virg. Georg. IV, 36. Martial. I, 50, v. 11, etc. — *In vultu.* Ante meos oculos.

637. *Illo.* Hanc voculam adverbialiter poni putat Farnabius, et locum interpretatur, quasi sic nectantur verba : « Ferte me illo, procellæ, quo fertur dies. » Alii rectius, ut nobis videtur, et ad vim orationis accommodatius, *illo* ad *facti* retulerunt : Ferte me, insanæ procellæ, procul tanto scelere : ferte, quo etc. Sæpe enim post *procul* omittitur præpositio. Tacit. Hist. IV, 22, *haud procul castris.* Plin. XXXI, 2 : *Non procul Euripidis poetæ sepulcro.* Add. Liv. XXXVIII, 16, et Ovid, de Ponto, I, epist. 5, v. 73, etc., etc.

638. *Hinc raptus.* Dies enim, refugiente sole ad aspectum tanti sceleris, sublatus est. Vid. 785 et seqq. Optat nuntius, horrore amens, ut ipse furentibus procellis rapiatur quo dies aufugit.

640. *Non... quis sit*, sed *uter.* Atreusne, an Thyestes?

641. *In arce summa*, etc. Videtur Noster Virgilium imitari, Æn. VII, 170 : « Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis, Urbe fuit media, » etc.

642. *Conversa ad Austros.* I. e. ad meridiem. Plin. II, 9 : *Luna nunc in Aquilonem elata, nunc in Austros dejecta.*

643. *Æquale monti.* Interpp. gallici sic reddiderunt ... *dont l'extrémité, aussi haute que la montagne, domine toute la ville*, etc. Sed de quo monte agatur non video : imo etiam, non potuisse fieri putem, ut regiam

Digitized by Google

Et contumacem regibus populum suis
Habet sub ictu : fulget hic turbæ capax 645
Immane tectum, cujus auratas trabes
Variis columnæ nobiles maculis ferunt.
Post ista vulgo nota, quæ populi colunt,
In multa dives spatia discedit domus.
Arcana in imo regia secessu patet, 650
Alta vetustum valle compescens nemus,
Penetrale regni, nulla qua lætos solet

suam, arcem tuendæ tyrannidis, monti subjecerint prisci regnatores. *Monti* igitur generaliter intelligo : surgunt ædes in tantam altitudinem, ut montem dixeris. — *Crescit.* Sil. XIV, 309 : « Perque altam molem et toties crescentia tecta Scandit. » Add. Curt. VIII, 11. — *Urbem premit.* Urbi imminet et quasi incumbit. Sen. epist. 90 : *Has machinationes tectorum supra tecta surgentium, et urbes prementium.*

644. *Contumacem.* Obsequii impatientem. Seneca, epist. 83 : *Hæc* (ebrietas) *contumacissimos et jugum recusantes in alienum egit arbitrium.*

645. *Habet sub ictu.* Seneca, de Benef. II, 29 : *Cogita... quam nihil sit mortale non sub ictu nostro positum.* Et id. de Consol. ad Marc. 9 : *Ille damnatus est; et tua innocentia sub ictu est.*

648. *Quæ populi colunt.* Post istam ædium partem vulgo notam et quam turba sua populi celebrant.

649. *Discedit.* In vastam secretamque amplitudinem extenditur. Sic Catull. de nupt. Thet. et Pel. v. 43 : « Quacumque opulenta recessit Regia. »

650. *Arcana ... regia.* Arcana regum sedes, secreta pars domus quo reges se recipere solebant. — *Patet.* Propter amplitudinem dictum : unde vana est Lipsii quæstio : « Si *arcana*, quomodo *patet?* »

651. *Compescens nemus.* Complectens alta sua valle vetustum nemus. Hanc enim significationem habet *compescere.* S. Pomp. Festus lib. 3 : « *Compescere* est velut ab eodem pascuo continere. » Id. lib. 4 : « *Compescere* est una pascere, et in uno loco continere. » Perott. ad Mart. epigr. tertium. « *Compesco*, coerceo, quasi intra pascua contineo, nec vagari permitto. » Dicitur regia nemus vetustum in alta sua valle continere : nam, quum Pelopea domus in edito loco statuatur, valle quadam cingitur, cui vetustum et ferale nemus induit Poeta.

652. *Penetrale regni.* Secretum sacrarium, quo solis regibus fas est penetrare. Virg. Æn. II, 484 : « Apparent Priami et veterum penetralia regum. » Et VII, 59 : « Laurus erat tecti medio, in penetralibus, altis. » Dii domestici seu Penates, Lares, familiares, in interiore domus parte colebantur, et ideo dicebantur penetrales. Vid. Cic. de Nat. Deor. II, 27, et Nost. Phœn. 340, Œdip. 265. Inde Atreus in his

Digitized by Google

Præbere ramos arbor, aut ferro coli;
Sed taxus, et cupressus, et nigra ilice
Obscura nutat silva; quam supra eminens 655
Despectat alte quercus, et vincit nemus.
Hinc auspicari regna Tantalidæ solent,

ipsis sedibus, arcano quodam terrore circumseptis, liberos fraternos ante aras trucidat. — *Qua.* Valle : nisi malis *qua* adverbialiter accipere, ut sæpe fit in scriptt. latt. Cæs. bell. Gall. I, 38 : *Reliquum spatium... qua flumen intermittit, mons continet.*

653. *Ferro coli.* Quia intonsæ arbores umbram efficiunt gravem et horrificam.

654. *Taxus.* Vid. not. ad Herc. fur. 689. — *Cupressus.* Qua de arbore Plin. XVI, 33 : *Natu morosa, fructu supervacua, baccis torva, folio amara; odore violenta, ac ne umbra quidem gratiosa .... Diti sacra, et ideo funebri signo ad domos posita.* Add. Virg. Æn. III, 64, et VI, 216. Horat. II, od. 14, v. 23, et epod. 5, v. 18. — *Nigra ilice.* Vid. Virg. Bucol. VI, 54; Georg. III, 334; Æn. IX, 381, et XI, 851. Ovid. Amor. II, eleg. 6, v. 49, et Fast. II, 165. etc.

655. *Nutat.* Virg. Æn. IX, 682 : « Consurgunt geminæ quercus, intonsaque cælo Attollunt capita, et sublimi vertice nutant. » — *Quam supra eminens* etc. Conf. Herc. fur. 690, et ibi notam.

656. *Quercus,* etc. Una quercus, proceritate insignis, nemus omne exsuperat et late dominatur. Crediderunt interpp. gall. accipiendum *quercus*, quasi ponatur pro quercubus, ut versu antecedenti *taxus, cupressus, ilice: La noire yeuse rembrunit encore cette forêt, et le chêne y élève sa tête altière.* At, præter quam sensus verborum *despectat alte et vincit nemus* hac interpretatione imminueretur, nonne poetis usitatum est arborem quamdam cæteris majorem in his feralibus silvis statuere, sub qua vel Manes evocentur vel infernis deis perpetrentur sacra? Sic Noster, ut cæteros omittam, in Œdip. 530 : « Est procul ab urbe lucus ilicibus niger.... Medio stat ingens arbor, atque umbra gravi Silvas minores urget, etc. » Si sequentia contuleris, multa rursus paria invenies. Œdip. 545 : « Tristis sub illa lucis et Phœbi insciusRestagnat humor, frigore æterno rigens : Limosa pigrum circuit fontem palus. » Similiter in Thyeste, inf. v. 665 : « Fons stat sub umbra tristis, et nigra piger Hæret palude. » Unde inferri queat, etiam si alia desint argumenta, sacrificari in Thyeste ad quercum illam immanem, propter nigri fontis aquam, sicut in Œdipo sub ingenti arbore, propter tristem et pigram paludem. Hic aræ et tropæa et Pelopis tiaras; hic immolantur ab Atreo Thyestæ filii.

657. *Auspicari regna.* Dicuntur *auspicari*, qui de re inchoanda auspicia capiunt : inde Sueton. in Aug. 38, *auspicari militiam;* in Ner. 7, *auspicari jurisdictionem*, et

Digitized by Google

Hinc petere lapsis rebus et dubiis opem.
Affixa inhærent dona, vocales tubæ,
Fractique currus, spolia Myrtoi maris, 660

ibid. 37, *in auspicando opere Isthmi.* Intellige igitur Tantalidarum unumquemque, ubi ad rerum administrationem vocabatur, in his locis, i. e. in hoc nemore, auspicia sumere solitum. Virg. Æn. VII, 173: « Hic sceptra accipere, et primos attollere fasces Regibus omen erat. »

658. *Lapsis rebus.* Vid. Herc. fur. 646.

659. *Affixa inhærent dona.* Affiguntur arbori munera, loci numinibus consecrata. Virg. Æn. VII, 183: « Multaque præterea sacris in postibus arma, Captivi pendent currus, curvæque secures, Et cristæ capitum, et portarum ingentia claustra, Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis. » Ovid. Metam. VIII, 743: « Stabat in his ingens annoso robore quercus, Una nemus. Vittæ mediam, memoresque tabellæ, Sertaque cingebant, voti argumenta potentis. » Gallici interpretes, qui *quercus* generaliter usurpari pro *quercubus* putaverunt, locum reddiderunt quasi penderent *affixa* dona, non nemoris vastæ arbori, sed parietibus regiæ de qua sup. v. 650. At si res intus ageretur, si in ipsa regia et affigerentur tropæa et starent aræ, cur postquam a nemoris descriptione ad penetralem regiam depingendam revocavit orationem poeta, subito ad nemus rediret, *fons stat sub umbra tristis?* cui non manifestum est ea *fons stat sub umbra* non posse intelligi, nisi præcedentia de nemore, non de regia, accipiantur? Denique, quæ est ista tam diutina, tam diffusa, tam multiplex nemoris mentio, nec mentio tantum, sed industrie elaborata adumbratio, si scelus Atrei non hic peragendum est et infanda sacrorum celebratio et inauditi convivii apparatus?

660. *Fractique currus*, etc. Interpretatur Farnab. currus Œnomai et Pelopis. De curru Pelopis fracto scivit Farnab. quod certe cæteros lateat, nam nihil tale in fabulis reperitur; sed ne ad Œnomai quidem currus verba Senecæ spectare arbitror, propter sequentia *spolia Myrtoi maris.* Versus *Victæque falsis*, etc. manifeste, fateor, ad Œnomai cladem respicit (de qua supr. v. 139), sed *fracti currus* ad eam rem spectare non potest, nisi interjecta verba, *spolia Myrtoi maris*, eodem referantur: quæ postquam omni modo frustra sollicitaveris et torseris, ut ex eis cognatum aliquid Œnomao et morti ejus eruas, intellige nobiscum currus qui inter præliandum dissiluere, et numinibus quasi victoriarum monumenta, cum vocalibus tubis et spoliis Myrtoi maris, i. e. navalium pugnarum tropæis, fuere consecrati. Postquam Pelops in Pisarum regnum Œnomai loco successisset, fertur finitimas omnes gentes armis subegisse: inde spolia illa quæ Noster memorat, et quæ in Pelopea domo, Pelopeæ virtutis insignia, servantur; quod explicant seqq. *Hic præda hostium*, etc. — *Spolia Myrtoi*

Digitized by Google

Victæque falsis axibus pendent rotæ,
Et omne gentis facinus : hoc Phrygius loco
Fixus tiaras Pelopis ; hic præda hostium,
Et de triumpho picta barbarico chlamys.
Fons stat sub umbra tristis, et nigra piger 665
Hæret palude : talis est diræ Stygis
Deformis unda, quæ facit cælo fidem.
Hic nocte cæca gemere ferales deos
Fama est : catenis lucus excussis sonat,

maris. Virgilius, quem haud dubie Seneca hoc loco sequitur, similiter terrestria et navalia tropæa postibus affixa enumerat, *captivi currus, rostra carinis erepta*. Vid. sup. not. ad v. 659. De Myrtoo mari, vid. sup. 141.

661. *Victæque falsis*, etc. Cf. de *victæ rotæ* et *falsis axibus*, quæ notavimus sup. v. 139 in Œnomaum et deceptorem ejus Myrtilum.

662. *Et omne gentis facinus*. Monumenta rerum omnium hic habet locus, quas præclare gesserunt Tantalidæ. — *Phrygius....tiaras*. Pelops enim in Græciam e Phrygia transmigraverat ; cujus regionis reges tiara utebantur. Virg. Æneid. VII, 246 : « Hoc Priami gestamen erat, quum jura vocatis More daret populis, sceptrumque sacerque tiaras » ; ubi vid. Servius. Juven. VI, 516 : « Et Phrygia vestitur bucca tiara. » Ovid. de Mida, rege Phrygio, Metam. XI, 181 : « Tempora purpureis tentat velare tiaris. » Gestamen illud capitis Persis quoque gentile fuit.

664. *Et de triumpho*. Interpretandum est cum Farnabio spolium Phrygibus ademptum. Neque enim illud de victoriis quas in Græcia retulit Pelops, intelligi patitur *barbarico*. Accipe igitur chlamydem istam, acu pictam, ut mos Asiaticis fuit, a Pelope in illo bello captam, quod ei Tantaloque patri indixerat Tros rex Dardaniæ, quæ postea ipsius nomine Troas nuncupata est : licet enim ejus belli exitu Pelops Phrygia decedere coactus fuerit, potest tamen in superioribus præliis hostes quosdam barbaros spoliasse, prædamque secum discedens asportasse.

665. *Stat*. Cf. Horat. III, od. 27, v. 9. — *Sub umbra*. Opaci nemoris. — *Nigra*. Cf. Virg. Georg. IV, 126. Horat. III, od. 27, v. 23. — *Piger*. Cf. Ovid. de Pont. IV, eleg. 10, v. 61. Sil. XV, 501, etc.

666. *Stygis*. Vid. Herc. fur. not. ad v. 712.

667. *Deformis unda*. Aspectu horrida. Ovid. Trist. V, eleg. 2, v. 63 : « Jussus ad Euxini deformia litora veni Æquoris. » — *Quæ facit cælo fidem*. « Quæ facit, ait Delrio, ut diis credatur ». Nam ubi per Styga superi juraverant, fidem fallere non audebant. Cf. Herc. fur. 712, et notam ad hunc locum.

668. *Hic nocte*, etc. Cf. Virg. Georg. I, 476 ; Æn. VII, 15. Stat. Theb. IV, 420 et seqq.

669. *Catenis lucus*, etc. Quia

Digitized by Google

Ululantque Manes. Quidquid audire est metus, 670
Illic videtur : errat antiquis vetus
Emissa bustis turba, et insultant loco
Majora notis monstra. Quin tota solet
Micare flamma silva, et excelsæ trabes
Ardent sine igne. Sæpe latratu nemus 675
Trino remugit : sæpe simulacris domus
Attonita magnis. Nec dies sedat metum :
Nox propria luco est, et superstitio inferum
In luce media regnat. Hinc orantibus
Responsa dantur certa, quum ingenti sono 680

inferorum incolæ cum suis vinculis lucum pererrare finguntur; apud quos, auctore Virgilio Æneid. VI, 558, *stridor ferri, tractæque catenæ.*

670. *Quidquid audire*, etc. Conspiciuntur hoc loco, quæ vel narrata terrorem solent incutere.

672. *Emissa bustis*, etc. Sil. VIII, 641 : « Ludificante etiam terroris imagine somnos, Gallorum visi bustis erumpere manes. »

673. *Majora notis.* Monstra cæteris majora, vel simulacra humanam speciem excedentia, ut in Virg. Æn. II, 772 :« Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusæ Visa mihi ante oculos, et nota major imago. » Ovid. Fast. II, 503 : « Pulcher, et humano major, trabeaque decorus, Romulus in media visus adesse via. » Add. Œdip. 175.

674. *Excelsæ trabes.* Magnæ arbores. Vid. Virg. Æn. VI, 181, et IX, 87. Ovid. Metam. XIV, 360, etc., etc.

675. *Sine igne.* I. e. ultro, sponte sua : quod portentum habetur in Silio, VIII, 625, ubi memorat poeta quibus monstris superi Cannensem cladem prænuntiaverint :« Per subitum attonitis pila exarsere maniplis. » Aut potius locum Senecæ accipe, quasi ardere videatur silva, sed non absumatur, ut in Virg. Æn. VII, 73 :« Visa, nefas, longis comprendere crinibus ignem, Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari. » Et in Lucan. III, 420 : « Et non ardentis fulgere incendia silvæ. » Nec quemquam moveat, quod Lucanus silvam non ardere, Seneca autem ardere dixerit; nam hoc verbum potuit alter pro *consumi*, alter pro *lucere* tantum usurpare.

676. *Trino remugit.* Aut Cerberus triceps latrare dicitur, aut Hecate ipsa, quæ nocturnis monstris magorumque artibus præsidere ferebatur. Œdip. 569 : « Latravit Hecates turba : ter valles cavæ Sonuere mœstum. » Med. 840 : « ter latratus Audax Hecate dedit. »

678. *Superstitio inferum.* Terror quem superis Manes incutiunt.

679. *Hinc orantibus Responsa*, etc. Hinc respondet oraculum interrogantibus.

680. *Ingenti sono.* Virg. VI, 98 :

Digitized by Google

Laxantur adyto fata, et immugit specus
Vocem deo solvente. Quo postquam furens
Intravit Atreus, liberos fratris trahens,
Ornantur aræ. Quis queat digne eloqui?
Post terga juvenum nobiles revocat manus, 685
Et mæsta vitta capita purpurea ligat.
Non tura desunt, non sacer Bacchi liquor,
Tangensve salsa victimam culter mola.

« Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla Horrendas canit », etc.

681. *Laxantur... fata.* Exsolvuntur, aperiuntur. Statius, Achill. I, 508 : « Eia irrumpe moras, et fata latentia laxa. » — *Adyto.* Ab *a* privat. et δύω, ingredior. *Adytum* nuncupabatur arcanus sedis sacræ recessus, unde oracula petentibus pronuntiabantur. — *Immugit specus.* Cf. Virg. Æn. III, 674.

682. *Vocem deo solvente.* Virg. Æn. III, 456 : « Quin adeas vatem, precibusque oracula poscas; Ipsa canat, vocemque volens atque ora resolvat. »

684. *Ornantur.* Aræ enim ad sacra facienda sertis, floribus, aut laneis fasciis decorabantur. Vid. Virg. Bucol. VIII, 64; Georg. IV, 276. Horat. IV, od. 11, v. 6. Ovid. Trist. III, eleg. 13, v. 15. Propert. IV, eleg. 6, v. 6. Stat. Theb. VIII, 297. Juvenal. XII, 85, etc.

686. *Purpurea.* Hostiarum quidem capita vittis et infulis cingebantur (Virg. Æn. II, 133 et 156): hoc autem loco, vittas ideo purpureas adhiberi volunt interpretes, quia victimæ regales erant; purpura enim imperantium propria.

687. *Sacer Bacchi liquor.* Libandum vinum. Valer. Flacc. V, 193 : « Ipse gravi patera sacri libamina Bacchi Rite ferens. » Tura autem et vinum sæpius una memorantur. Ovid. de Pont. III, eleg. 1, v. 161 : « Sed prius imposito sanctis altaribus igne, Tura fer ad magnos vinaque pura deos. » Id. Fast. I, 171 : « Cur, quamvis aliorum numina placem, Jane, tibi primum tura merumque fero? » et Her. XXI, 91 : « Protinus egressæ superis, quibus insula sacra est, Flava salutatis tura merumque damus. »

688. *Tangensve,* etc. Culter enim admovebatur victimæ fronti, et salsa inspergebatur mola. Festus l. IX : « *Immolare* est mola, i. e. farre molito et sale, hostiam perspersam sacrare. » Perott. in Cornucop. ad epigr. Martial. secundum : « *Mola* far tostum dicitur sale conspersum, quo utebantur Veteres in sacrificiis... Unde fit *immolo* verbum, quod est *sacrifico,* et quasi *molam spargo.* » Juvenal. XII, 84 : « Sertaque delubris et farra imponite cultris. » Lucan. I, 609 : « Jam fundere Bacchum Cœperat obliquoque molas inducere cultro. » Add. Plin. XVIII, 2. Cic. de Divinat. II, 16. Plaut. Amph. act. II, scen. 2, v. 108. Virgil. Bucol. VIII, 82; Æn. II, 132. Ovid. Fast. I, 284 et 337. Tibull. I, eleg. 5, v. 13. Mart. VII, 53. Senec. Œdip. 335.

Digitized by Google

Servatur omnis ordo, ne tantum nefas
Non rite fiat. CHOR. Quis manum ferro admovet? 690
NUNT. Ipse est sacerdos: ipse funesta prece
Letale carmen ore violento canit;
Stat ipse ad aras; ipse devotos neci
Contrectat, et componit, et ferro admovet;
Attendit ipse; nulla pars sacri perit. 695
Lucus tremiscit: tota succusso solo
Nutavit aula, dubia quo pondus daret,

689. *Servatur omnis ordo.* Atreus nihil horum prætermittit quæ in sacris adhiberi solent. De hoc sacrorum ordine, Dionys. Halicarn. lib. VII : Ἐξουθύτουν εὐθὺς οἵτε ὕπατοι, etc. id est, *Consules sacerdotesque quibus fas erat, lotis manibus, et lustratis aqua pura victimis, molaque conspersis earum capitibus, votisque nuncupatis, ministros eas mactare jubebant: quorum alii stantem tum etiam hostiam vecte feriebant in tempora; alii cadentem cultris excipiebant; mox, direpto tergore, concidebant membratim, delibatasque ex singulis extis aliisque membris primitias, farre obvolutas, in canistris offerebant sacrificantibus, qui aris impositas succendebant, et vinum insuper adfundebant. Quæ singula in sacrificiis Græcorum factitari solita apud Homerum licet videre, eaque etiam ætate mea Romanos in sacris observare comperi.* (Vid. Œdip. 303 et sqq.)

690. *Quis manum ferro,* etc. Hæc interfantis Chori verba, ut et inferius vs. 716, 719, 730, minime senes Argivos decent, et neutiquam affectibus respondent, quos eorum animis injicere debuit tanti sceleris enarratio: creberrimum in Seneca vitium, et jam antea notatum. (Vid. supra notam ad v. 245, et Herc. fur. 697.)

691. *Ipse est sacerdos: ipse,* etc. Juvat immanem Atreum hæc omnia implere munera, quæ vulgo inter plures ministros dividuntur, pontifices scilicet, haruspices seu exstispices, popas, victimarios et cultrarios.

692. *Letale carmen.* Vota et preces, quæ sacrificium præcedebant. — *Ore violento.* Ovid. Trist. III, eleg. 5, v. 47 : « Violentaque lingua locuta est. »

695. *Perit.* Omittitur, prætermittitur. Tacit. Hist. III, 1 : *Ita salubri mora novas vires affore, et præsentibus nihil periturum.*

696. *Lucus tremiscit.* Quasi futurum scelus exhorrescat. Ovid. Metam. VIII, 758 : « Contremuit, gemitumque dedit Deoia quercus, Et pariter frondes, pariter pallescere glandes Cœpere, ac longi sudore madescere rami. » — *Succusso solo.* Similiter Virg. Georg. I, 475 : « Insolitis tremuerunt motibus Alpes. » Add. Æn. III, 90 et sqq. et Sil. VIII, 642.

697. *Dubia, quo pondus daret.* Nescia, quam in partem caderet. Ovid. Metam. X, 372 : « Utque

Digitized by Google

Ac fluctuanti similis : e lævo æthere

securi Saucia trabs ingens, ubi plaga novissima restat, Quo cadat in dubio est, omnique a parte timetur.» Add. Stat. Theb. IX, 535. — *Daret.* Affligeret. Suet. in Aug. 96 : *Aquila duos corvos hinc et inde infestantes afflixit, et ad terram dedit.*

698. *E lævo æthere.* Omen infaustum apud Græcos, quod in augurando septemtrionem spectarent, et ideo ad sinistram manum occidentem haberent (Homer. Iliad. XII, 239) : ut vero oriens, ex quo surgere videbantur sidera, fons lucis et vitæ colebatur, sic occidens, in quem astrorum condebatur fulgor, ominosus putabatur; unde in Sophoclis Ajace, v. 183, ἀριστερὰ pro μωρά. Contra Romani sæpe pro felicibus auguriis interpretabantur, si quæ ad lævum volaverant aves, aut strepuerant fulmina. Vid. Cic. de Legg. III, 3; de Divinat. II, 18 et 35. Plaut. Epid. act. II, scen. 2, v. 2; Pseudol. act. II, scen. 4, v. 72. Virg. Æn. II, 693, et IX, 630. Ovid. Trist. I, eleg. 8, v. 49. Stat. Theb. III, 493. Quod non temere institutum judicabis, quum legeris in Varrone, lib. VI de lingua latina, *templi partes quatuor dici, sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad septemtrionem.* Idem Festus lib. XVII : ex quibus liquet solitos in auspicando Romanos meridiem spectare, ita ut orientem ad sinistram manum haberent; quumque orientem non minus quam Græci colerent, debuisse læva auguria, sicut illis dextra, pro faustis æstimari. Attamen notandum est, pro infelicibus auguriis apud Romanos nonnunquam habita, quæ læva parte audiebantur aut conspiciebantur (vid. Virg. Bucol. I, 18, et IX, 15; Æn. X, 275. Ovid. in Ib. 125. Cic. de Divinat. II, 39), et quotiescumque *dexter*, et *lævus* aut *sinister*, translate usurpantur, hoc in malam partem, illud in bonam accipi (vid. Plin. I, epist. 9, et VII, epist. 28. Tacit. Hist. V, 5. Virg. Bucol. I, 16 et 18; IX, 15; Georg. IV, 6; Æn. V, 578; VIII, 302. Horat. I, epist. 7, v. 51, et Art. poet. v. 299). Perott. in Cornucop. ad Martial. epigr. XII hanc discrepantiam sic interpretatur; nempe apud Romanos, ut et apud Græcos, *læva* esse infelicia, *dextra* autem fausta, quod ex rerum natura ortum arbitratur; nam dextra manus est validior, aptior, præstantior sinistra : sed quum de cælestibus agitur, sinistra numinum intuentibus nobis dextra esse, et ideo læva parte audita vel visa in cælo pro felicibus accepta : putat igitur «semper *lævus* infaustum esse, quum de humanis loquimur, semper faustum, quum de cælestibus.» Id quidem acute distinctum arbitrarer, nisi quædam adversarentur exempla : quærit enim Cicero de Divinat. I, 39, *quid augur habeat, cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum?* quod quidem, sive in cælo, sive in terra agi existimes, Perotti interpretatione non enodatur. Ex his omnibus concluditur, 1° semper apud Græcos prospera quæ ad dexteram omina apparuerant, infausta quæ ad sinistram; 2° hoc quoque apud Romanos fuisse, nisi quod propter versam ad meridiem auspicantium faciem, quan-

Digitized by Google

Atrum cucurrit limitem sidus trahens :
Libata in ignes vina mutato fluunt 700
Cruenta Baccho : regium capiti decus
Bis terque lapsum est : flevit in templis ebur.
Movere cunctos monstra ; sed solus sibi
Immotus Atreus constat, atque ultro deos
Terret minantes. Jamque dimissa mora 705
Assiluit aris, torvum et obliquum intuens.
Jejuna silvis qualis in Gangeticis
Inter juvencos tigris erravit duos,

doque et prospera existimarentur quæ ad lævum omina visa fuerant.

699. *Cucurrit.* Virg. Æn. II, 693 : « de cælo lapsa per umbras Stella facem ducens multa cum luce cucurrit etc. » Add. Georg. I, 365, et Æn. V, 527. Ovid. Metam. XV, 849. *Limitem .... trahens.* Plin. II, 26. *Bolis vero perpetua ardens, longiorem trahit limitem.*

700. *Mutato*, etc. Desumptum ex Virg. Æn. IV, 453 : « Vidit, thuricremis quum dona imponeret aris, Horrendum dictu, latices nigrescere sacros, Fusaque in obscœnum se vertere vina cruorem. » Add. Nostr. Œdip. 324.

701. *Regium capiti*, etc. Diadema Atreo sponte excidit. Similiter Sil. XVI, 302, de Syphace sacrificante : « Vittaque, majorum decoramen, fronte sine ullo Delapsa attractu, nudavit tempora regis. »

702. *Flevit in templis ebur.* Flevere signa eburnea. Virg. Georg. I, 480 : « Et mœstum illacrimat templis ebur. » Ovid, Metam. XV, 792 : « Mille locis lacrimavit ebur. » Add. Tibull. II, eleg. 5, vs. 77. Lucan. VII, 163. Sil. VIII, 644.

703. *Movere*, etc. Portenta illa spectantem quemque terruerunt : solus Atreus immotus manet et *sibi constat*, i. e. nihil de feritate sua remittit, sed naturæ indolisque suæ totam servat immanitatem. Quis autem non tam miretur nonnullos istius modi sacrificio adfuisse (quod ex his constat *regium capiti decus bis terque lapsum est*, et *movere cunctos monstra*), quam ausum talia Atreum ?

705. *Terret minantes.* Quum tot et tantis ostentis Atreus perterreri debuerit, ipse Superos sceleris pervicacia conterret. — *Dimissa mora.* Pro *sine mora.* Valer. Flacc. VIII, 105 : « Æsonide, dimitte moras. »

706. *Obliquum.* Sævis et infensis oculis. Eodem sensu Florus, IV, 2 : *Cato adversus potentes semper obliquus, detrectare Pompeium, actisque ejus obstrepere.*

707. *Gangeticis.* Indicis : Indos enim Ganges alluit. In simili descriptione, Gangeticæ quoque tigridis comparatione utitur Ovid. Met. VI, 636 : « Nec mora, traxit Ityn, veluti Gangetica cervæ Lactentem fœtum per silvas tigris opacas. »

708. *Inter juvencos*, etc. Sumptum ex Ovid. Metam. V, 164 : « Tigris

Digitized by Google

Utriusque prædæ cupida, quo primos ferat
Incerta morsus, flectit huc rictus suos, 710
Illo reflectit, et famem dubiam tenet;
Sic dirus Atreus capita devota impiæ
Speculatur iræ : quem prius mactet sibi,
Dubitat; secunda deinde quem cæde immolet :
Nec interest; sed dubitat, et tantum scelus 715
Juvat ordinare. CHOR. Quem tamen ferro occupat?
NUNT. Primus locus (ne deesse pietatem putes)
Avo dicatur : Tantalus prima hostia est.
CHOR. Quo juvenis animo, quo tulit vultu necem?
NUNT. Stetit sui securus, et non est preces 720
Perire frustra passus : ast illi ferus

ut auditis diversa valle duorum Exstimulata fame mugitibus armentorum, Nescit utro potius ruat, et ruere ardet utroque. »

713. *Sibi.* Quamvis enim eos ad aras mactaturus sit, non tamen numinibus, sed suæ iræ, suo odio immolat; quod abunde confirmant superiora, *capita impiæ iræ devota.*

715. *Nec interest.* Non interest quo pereant ordine, siquidem nullus, qualiscumque ordo futurus sit, mortem effugiet. Sed nihilominus hæret Atreus, dubius consilii, uter prius immolari debeat : adeo sedulus est et diligens in disponendo scelere! Totum hunc locum mire depravavit recentior interpres : *Il contemple les deux victimes dévouées à sa fureur impie; il balance entre l'une et l'autre; la première et la seconde lui sont également odieuses. Peu lui importe laquelle tombera la première; mais*, etc. Ad rem ipsam, non ad Atreum, *non interest* referendum.— *Tantum scelus*, etc. Scelus tam magnum, et ideo cæco impetu, ut videtur, perpetrandum, Atreus considerate, ex ordine exsequitur. Vim loci optime sensit Gronovius; sed non opus fuit, ad eam confirmandam, *sævum* pro *tantum* substitui.

718. *Avo dicatur.* Quasi in honorem proavi Tantali primus mactetur juvenis, qui eodem, ac ille, nomine nuncupatur.

720. *Stetit.* Quod verbum de victimis solemne annotat Delr. Verum animosi juvenis fortitudinem et firmum corporis habitum hic tantum designari crediderim. Vid. Herc. fur. 285, et ibi notam. — *Sui securus.* Intrepidus nec sibi timens. Lucan. II, 239 : « Invenit insomni volventem publica cura Fata virum, casusque urbis, cunctisque timentem, Securumque sui. »

721. *Perire frustra.* Preces non adhibuit, quibus, licet irritas fore apprime sciret, non sine laude abstinuit; nam in hoc extremo vitæ articulo solent infirmi animi homines, desperatione amentes, questus et preces fundere.

Digitized by Google

In vulnere ensem abscondit, et penitus premens
Jugulo manum commisit : educto stetit
Ferro cadaver; quumque dubitasset diu
Hac parte, an illa caderet, in patruum cadit. 725
Tunc ille ad aras Plisthenem sævus trahit,
Adicitque fratri : colla percussa amputat;
Cervice cæsa truncus in pronum ruit;
Querulum cucurrit murmure incerto caput.
CHOR. Quid deinde gemina cæde perfunctus facit? 730
Puerone parcit? an scelus sceleri ingerit?
NUNT. Silva jubatus qualis Armenia leo

722. *Ensem abscondit.* Virg. Æn. II, 553 : « lateri capulo tenus abdidit ensem. » — *Penitus premens.* In penitissimum corpus adigens. Stat. Theb. XI, 542 : « Alte ensem germani in corpore pressit. » Virg. Georg. II, 290 : « Altius ac penitus terræ defigitur arbos. »

723. *Jugulo manum commisit.* « Non prius, ait Delrio, premere et fodere desiit, quam penitus demerso ferro, manum jugulo apprimeret. » *Committere*, i. e. admovere, jungere. Sic Curt. IV, 9 : *Sed ante jacienda moles erat, quæ urbem continenti committeret.* Et translate Virgil. Æneid. XII, 60 : « desiste manum committere Teucris. »

725. *Hac*, etc. Hoc enim adnotabatur in sacrificiis : omen inde ducebatur. — *In patruum.* In Atreum, quasi eum infausto augurio designet, quem ira cæli opprimat.

729. *Querulum*, etc. Quod de Orpheo tradidit Ovid. XI, 52, necnon Virg. Georg. IV, 523. Miremur Delrionem, qui Aristotelis auctoritate innixus, fieri non posse affirmat, ut detruncatum caput loquatur; quasi poetica illa portenta in fabulæ ornatum et rei terrorem non adhiberi queant! Debuerat quoque vir doctissimus recedentis solis fabulam impugnare, et auctorum suffragiis approbare tale fieri non potuisse prodigium.

731. *Puerone parcit?* Tertio et minimo. Hunc tertium Thyestæ filium Seneca non nominat. Hyginus quidem duos tantummodo filios Thyestæ necatos ab Atreo memorat (fabb. 244, 246), Tantalum et Plisthenem, et etiam unius, fab. 258, meminit, ut Serv. ad Æn. I, 572 et Scholiast. Horat. in Art. Poet. Sed Euripidis Scholiast. ad Orest. 813, tres Thyestæ filios ab Atreo occisos memorat, quos Aglaum, Orchomenum et Caleum vocat : Τοὺς τρεῖς υἱοὺς τοῦ Θυέστου, Ἀγλαὸν, Ὀρχομενὸν, καὶ Κάλεον ἀποκτείνας παρέθηκεν εἰς τράπεζαν τῷ πατρὶ, etc.

732. *Silva jubatus*, etc. Comparatio usitatissima poetis. Cf. Homer. Iliad. III, 23, XI, 113, XVII, 61, XVIII, 161. Hesiod. de Scut. Herc. 386 et 402. Virg. Æn. X, 723. Lucan. I, 205. Sil. V, 309,

Digitized by Google

In cæde multa victor armento incubat;
Cruore rictus madidus, et pulsa fame
Non ponit iras; hinc et hinc tauros premens 735
Vitulis minatur, dente jam lasso piger;
Non aliter Atreus sævit, atque ira tumet,
Ferrumque gemina cæde perfusum tenens,
Oblitus in quem rueret, infesta manu
Exegit ultra corpus. At pueri statim 740
Pectore receptus ensis in tergo exstitit.
Cadit ille, et aras sanguine exstinguens suo,
Per utrumque vulnus moritur. CHOR. O sævum scelus!
NUNT. Exhorruistis? hactenus sistat nefas,

X, 251, XI, 232. Stat. Theb. VI, 597. Claudian. in Rufin. II, 252; de rapt. Proserp. II, 209, etc. — *Armenia*. Regio inter Taurum et Caucasum posita, in qua magna fuit belluarum copia.

734. *Rictus madidus*. Græca locutione, ut in Virg. Æn. II, 221, *perfusus sanie vittas*. — *Pulsa fame*. Expleta fame. Ovid. Metam. XIV, 216: «Glande famem pellens.» Add. Tibull. II, eleg. 1, vs. 38.

736. *Vitulis minatur*. Sic Atreus, postquam natu majores validioresque interfecit, puellulo letum parat et minatur. — *Lasso*. Si attenderis ad sequentia, extremum illum comparationis gradum minime Atreo convenire senties, quem nec *pigrum* nec *lassum* exhibet Poeta, sed magis magisque furentem.

739. *Oblitus*, etc. Totis viribus et immodico fertur impetu in teneri pueri necem, oblitus præ furore, quam pusillam hostiam mactaturus sit, et quam facile exstincturus. Unde Ovid. Metam. VI, 642: «Satis illi ad fata vel unum Vulnus erat.»

740. *Exegit ultra corpus*. Transfodit corpus, ita ut ferrum a tergo exstiterit.

741. *Exstitit*. Ovid. Metam. IX, 127: «Missa fugientia terga sagitta Trajicit: exstabat ferrum de vulnere aduncum. Quod simul evulsum est, sanguis per utrumque foramen Emicuit.»

742. *Aras*. H. e. ararum focos.

743. *Utrumque vulnus*. Hinc a pectore, inde a tergo, ut in loco Ovidii supra cit. *utrumque foramen*.

744. *Exhorruistis? hactenus*, etc. Vobis jam nunc horror animos perculit? quid igitur fiet, quum audieritis, quæ mihi insuper narranda sunt? Pius enim videri potest Atreus, si quæcumque hactenus ab illo acta retuli, cum iis quæ memoraturus sum, comparentur. — *Sistat*. Dubitari queat, utrum *sistat* activo sensu positum et de Atreo dictum, an neutrorum more debeat explicari; utraque enim significatio neutiquam improbabilis: «Si hunc suo sceleri modum ponat Atreus, nec ultra progrediatur, pius est»; vel

Digitized by Google

Pius est. CHOR. An ultra majus, aut atrocius 745
Natura recipit? NUNT. Sceleris hunc finem putas?
Gradus est. CHOR. Quid ultra potuit? objecit feris
Lanianda forsan corpora, atque igne arcuit.
NUNT. Utinam arcuisset! ne tegat functos humus,
Ne solvat ignis! avibus epulandos licet 750

«Si nefas his finibus sese contineat, Atreus pius est». Posteriorem sensum cum Forcell. amplector. De hac dicendi forma, *sistat nefas, pius est*, vid. Animadverss. nostras.

746. *Sceleris hunc finem*, etc. Senecæ Consol. ad Helv. § 11 : *Non finis erit cupiditatis, sed gradus*. Cf. Herc. fur. 208.

747. *Quid ultra*, etc. Cic. Verr. V, 45 : *Verumtamen mors sit extrema. Non erit. Estne aliquid ultra, quo progredi crudelitas possit? Reperietur. Nam, illorum liberi quum erunt securi percussi ac necati, corpora feris objicientur*. Quintil. declam. XII, 14 : *Mors certe finis est, nec sævitia ultra fata procedit. Aut etiam si quis adeo hominem exuit, ut ibi pœnam quærat, ubi sensus doloris non inveniat, nempe cadavera feris objiciet*. Scilicet crudelissimum apud veteres habebatur, mortuis sepulturam denegare, corporaque avibus et belluis permittere, quia insepultorum umbræ in citeriore Stygis ripa errare, nec anté sæculum exactum transvehi credebantur. Virgil. Æn. VI, 325 et seqq.

748. *Igne*. Funebri rogo.

749. *Utinam arcuisset*, etc. Melius enim fuisset eos omni igne arceri, quam patri tostos apponi; omnino non humari, quam in patriis visceribus sepeliri; epulandos feris avibusque tradi, quam præberi genitori vorandos. Male igitur expressum ab interprete Gallico recentiore putamus : *Plût aux dieux qu'il se fût contenté de les priver d'un peu de terre, de leur refuser les devoirs du bûcher, de les faire servir de pâture aux cruels vautours*, etc. Ille sic locum accepit, tanquam scriberetur « utinam tantummodo igne arcuisset, tantummodo sepultura exclusisset, tantummodo epulandos avibus abjecisset! » sed ex seqq. *votum est*, etc. intelligendum patet « utinam sepultura et rogis caruissent, utinam avibus pabulum relicti fuissent.! » Quod esse pro supplicio solet, nempe carere sepultura et feris dilaniandum deseri, hoc in ea re debet expeti et voto flagitari; nam, ut modo dixi, si Thyestæ liberi avibus ferisque pabulum facti fuissent, iis non pastus esset genitor, si ignibus prohibiti fuissent, non eos Atreus genitori apposuisset, etc. — *Ne tegat*, etc. Non sepeliantur, non igne torreantur, hoc peroptamus. Virg. Æn. X, 903 : «Unum hoc, per, si qua est victis venia hostibus, oro, Corpus humo patiare tegi.»

750. *Solvat ignis*. Ignis enim proprium est *solvere* aut *dissolvere*. Lucan. III, 506 : «Nec solum silvas, sed saxa ingentia solvit.» — *Avibus epulandos*, etc. Conf. Hom. Iliad. XVI, 836; XXII, 335. Virgil. Æn. X, 559, etc.

Digitized by Google

Ferisque triste pabulum sævis trahat!
Votum est sub hoc, quod esse supplicium solet:
Pater insepultos spectet. O nullo scelus
Credibile in ævo, quodque posteritas neget!
Erepta vivis exta pectoribus tremunt, 755
Spirantque venæ, corque adhuc pavidum salit.
At ille fibras tractat, ac fata inspicit,
Et adhuc calentes viscerum venas notat.
Postquam hostiæ placuere, securus vacat
Jam fratris epulis. Ipse divisum secat 760
In membra corpus: amputat trunco tenus
Humeros patentes, et lacertorum moras;
Denudat artus durus, atque ossa amputat:

752. *Votum est sub hoc.* Illud fieri cupimus, quod cæteri pro supplicio habent. Vid. quæ sup. notavimus, v. 749. — Hæc ad sequentia *Pater insepultos spectet*, refert Botheus: « Sic passim, inquit, οὗτος et *hic* ad sequentia referuntur, quod fugisse videtur hujus loci interpretes, utpote plene distinguentes post *solet*, præter Delrionem. » Nos contra arbitramur *sub hoc* non minus ad superiora *utinam arcuisset*, et *ne tegat functos humus*, quam ad sequentia spectare. Hæc omnia uno et eodem nexu junguntur.

753. *Erepta vivis.* Nam et hoc in sacris fiebat. Virg. Æn. XII, 214: « jugulant pecudes et viscera vivis Eripiunt. »

756. *Spirantque venæ.* Exta enim hostiarum viva adhuc calidaque et trementia inspiciebant. Virg. Æn. IV, 64: « Pectoribus inhians, spirantia consulit exta. » Sæpe *venæ* pro *arteriis* dicuntur. Cic. de fat. 8: *Si cui venæ sic moventur, is habet febrem.* Add. Cels. III, 5 et 6. Ovid. de Pont. III, ep. 1, v. 69. — *Pavidum salit.* Pavidum ex terrore et sensu mortis. Pers. sat. III, 110: « Cor tibi rite salit. » Add. Nostr. Herc. OEt. 708.

758. *Notat.* Observat.

759. *Placuere.* Fausta portendere visæ sunt.

761. *In membra.* H. e. singulas corporis partes recidit.

762. *Patentes.* Quantum patent. — *Lacertorum moras.* Non pulpas, ut vult Farnabius, sed nexus quibus lacerti trunco adhærent. *Humeri* et *lacertorum moræ* idem significare nobis videntur: nempe humeri lacertos retinent et quasi morantur: « Metonymice, inquit Forcellinus, *mora* est res ipsa quæ aliquid retinet, sustinet; vinculum. » Vid. Cels. lib. VIII, cap. 10, § 5.

763. *Denudat artus*, etc. Cf. Lucan. VIII, 667 et seqq. — *Ossa amputat.* Aut frangit, aut potius circumcidit: Festus enim, lib. I: *Amputata, id est, circum putata.* Et

Digitized by Google

Tantum ora servat, et datas fidei manus.
Hæc verubus hærent viscera, et lentis data 765
Stillant caminis; illa flammatus latex,
Querente aheno, jactat. Impositas dapes
Transiluit ignis, inque trepidantes focos
Bis ter regestus, et pati jussus moram,
Invitus ardet. Stridet in verubus jecur; 770

Perott. ad Martial. epigr. primum: « *Amputo*, est circumcido, quasi circumputo »; nempe a *puto*, reseco, et *am* (ἀμφὶ), circum. Ita ut probe possit intelligi « artus et ossa nudari, carnemque detrahi, cui subjiciantur ignes ».

764. *Ora*. Capita. Vid. vv. 903 et 1038. — *Datas fidei manus*. Dextras, quæ datæ nuper fœderis fidem sanxerant, quum fratris filios Atreus obsides acciperet. Vid. sup. 250. Liv. XXIII, 9 : *Paucæ horæ sunt, intra quas jurantes per quidquid deorum est, dextræ dextras jungentes, fidem obstrinximus, ut sacratas fide manus, digressi ab colloquio, extemplo in eum armaremus?* Add. Virg. Æn. IV, 307. Plin. II, 45, et Nost. Herc. fur. 370.

765. *Hæc verubus*, etc. Ab Accio et Ovidio sumptum : ille enim in Atrei fragmentis : « Concoquit partem vapor Flammæ, lacerta tribuit verubus in foco. » Ovid. autem in Metam. I, 228, « Atque ita semineces partim ferventibus artus Mollit aquis, partim subjecto torruit igni », et VI, 644 : « Vivaque adhuc animæque aliquid retinentia membra Dilaniant : pars inde cavis exsultat ahenis, Pars verubus stridet. » Valer. Flacc. pariter in nuptiis Medeæ, VIII, 254. « Pars verubus, pars undanti despumat aheno. » — *Lentis*. Qui lente et gradatim objecta coquant. Infr. 1061.

766. *Flammatus latex*. Aqua fervens aheno.

767. *Querente aheno*. Sonum, inter coquendum, emittente, ita ut incertum sit, utrum gemat propter fervorem et æstum aqua, an queratur, et novitatem sceleris indignetur. Vid. Animadverss. nostras. Nisi malis cum Badenio *ahenum* accipere pro carnibus, quæ in aheno sunt. Sic Homer. Iliad. XXI, 362 : Ὡς δὲ λέβης ζεῖ ἔνδον, ἐπειγόμενος πυρὶ πολλῷ, Κνίσσῃ μελδόμενος ἀπαλοτρεφέος σιάλοιο, Πάντοθεν ἀμβολάδην, ὑπὸ δὲ ξύλα κάγχανα κεῖται. Queri carnes dici possunt, ut infra *corpora gemere*. — *Jactat*. Moventur enim et jactantur carnes, æstuante unda.

768. *Transiluit ignis*. Jussum munus ignis repudiat, et flammæ impositas dapes fugiunt, et exstinguuntur. — *Inque trepidantes*, etc. Sed bis terque resuscitata flamma et revocata in focos, invita ardet. — *Trepidantes focos*. Sensum omnibus rebus addit Poeta, ut vel ab inanimis indignatio aut trepidatio de tanto scelere fiat.

769. *Pati jussus moram*. Coactus consistere.

770. *Stridet*, etc. Homer. Odyss. XII, 395 : Εἶρπον μὲν ῥινοὶ, χρία

Digitized by Google

Nec facile dicam, corpora an flammæ magis
Gemuere. Piceus ignis in fumos abit;
Et ipse fumus tristis, ac nebula gravis,
Non rectus exit, seque in excelsum levans,
Ipsos penates nube deformi obsidet. 775

δ'ἀμφ' οβελοῖς ἐμεμύκει, Ὀπταλέα τε καὶ ὠμά· βοῶν δ'ὡς γίνετο φωνή. Quem locum respexit Euripid. in Troad. 439 : Ἡλίου θ' ἁγναὶ βόες, Αἱ σάρκα φωνήεσσαν ἠσουσιν ποτὲ, Πικρὰν Ὀδυσσεῖ γῆρυν. Propert. III, eleg. 12, v. 29 : « Lampeties Ithacis verubus mugisse juvencos. » In Ovidio quoque simile prorsus aliquid invenitur, loco nuper citato ad vers. 765 ; sed notandum est in Nostro, non solum significari sonitum quem solent edere carnes, suppositis ignibus tostæ, sed prodigium quoddam, quasi jecora questus et insolitum murmur cierent. Istiusmodi monstrum innuit, Plutarchi et Homeri imitator, *J. J. Rousseau, Émile*, lib. II, de carnibus :

L'homme ne put les manger sans frémir,
Et dans son sein les entendit gémir.

772. *Piceus ignis*, etc. Adeo atra est flamma, ut fumum potius dicas. Sic Soph. Antig. 1006 : Ἐκ δὲ θυμάτων Ἥφαιστος οὐκ ἔλαμπεν, ἀλλ' ἐπὶ σποδῷ Μυδῶσα κηκὶς μηρίων ἐτήκετο, Κἄτυφε, κἀνέπτυε. Virgil. Georg. II, 308, de igne : « Et totum involvit flammis nemus, et ruit atram Ad cælum picea crassus caligine nubem. » Id. Æn. III, 572, de Ætna : « Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem, Turbine fumantem piceo, et candente favilla. » Lucan. VI, 135 : « Tum piceos volvunt immissæ lampades ignes. »

774. *Non rectus exit.* Non in altum recte ascendit. Eodem omine, ait Badenius, sacrificatur apud Valer. Flacc. VIII, 247 : « Sed neque se pingues tum candida flamma per auras Explicuit. » — *Seque in excelsum levans.* Pro *nec se in excelsum levat :* exit fumus nec rectus, nec se levans in excelsum. Sic de istius modi signis Anglus *Robinson*, in Græcarum antiquitatum libro, nuper gallice expresso, cap. 14 : Καπνομαντεία, *divination par la fumée des sacrifices. Elle consistait à observer de quelle manière et à quelle hauteur s'élevait la fumée, dans quelle direction elle était chassée par le vent*, etc..... Et paulo superius : Πυρομαντεία *était le nom de la divination par le feu du sacrifice... Lorsque les flammes s'attachaient d'elles-mêmes à la victime placée sur l'autel, lorsque réunies en un seul faisceau, elles s'élançaient pures et sans fumée, on pouvait espérer du sacrifice un heureux résultat : si le feu ne s'allumait qu'avec peine, si les flammes se divisaient ou ne s'attachaient pas sur-le-champ à la victime, si leur direction n'était pas perpendiculaire, si leur pétillement était violent, et la fumée noire et épaisse, le sacrifice était regardé comme défavorable et rejeté par la colère des dieux.*

775. *Ipsos penates*, etc. Deos ipsos, aræ impositos, atra nube involvit.

Digitized by Google

O Phœbe, patiens, fugeris retro licet
Medioque ruptum merseris cælo diem,
Sero occidisti. Lancinat natos pater,
Artusque mandit ore funesto suos.
Nitet fluente madidus unguento comam, 780
Gravisque vino. Sæpe præclusæ cibum
Tenuere fauces. In malis unum hoc tuis
Bonum est, Thyesta, quod mala ignoras tua.
Sed et hoc peribit : verterit currus licet
Sibi ipse Titan obvium ducens iter, 785

776. *O Phœbe, patiens,* etc. Hoc Farnab. ad solitam quotidianamque solis patientiam refert, explicatque: « O Sol, qui alia complurima videre scelera sustines »; quam interpretationem falsam arbitror: mihi probabilius videtur, si Phœbi in illo ipso de quo agitur scelere patientiam credatur designari: « Phœbe, quamvis retro fugeris, patiens tamen dicende, qui tam sero occideris. »

777. *Medio..... cælo.* Quum medium teneres cælum, et splendidiores funderes radios.

778. *Lancinat natos pater.* Dilaniat, in frusta scindit. Senec. de Ira, I, 2 : *Alium inter sacra mensæ ira percussit, alium inter celebris spectaculum fori lancinavit.*

779. *Artus... suos.* Ovid. Metam. VI, 651 : « Vescitur, inque suam sua viscera congerit alvum. »

780. *Nitet*, etc. Horat. II, od. 7, vs. 7, simili hellenismo : « Coronatus nitentes Malobathro Syrio capillos. »

781. *Præclusæ,* etc. Quasi arcano quodam sensu dapes istas horreant, vetentque nefas longius produci. Quorsum autem suspicatur cl. Gronovius *renuere* pro *tenuere?* Tenuere, i. e. retinuere, prohibuere ne cibus ulterius abiret, eodem sensu quo Virg. Georg. II, 371 : « Pecus omne tenendum est », i. e. coercendum.

783. *Bonum est*, etc. Cf. Terent. Hecyr. act. III, scen. 1, vs. 7.

784. *Sed et hoc peribit.* Ne illa quidem ignorantia diu fruebere: singula jamjam audies. — *Verterit currus licet,* etc. De Sole turpia nefariaque facinora fugiente, ne eorum conspectu commaculetur, vid. Munckerum ad Hygin. fab. 158, et Petrum Victorium, Var. lection. XXIV, 18. Hyginus, postquam memoravit (fab. 258) Solem, ne Thyestæ convivio pollueretur, aufugisse, hoc addit, memoratu dignissimum: *Sed veritatis hoc est, Atreum apud Mycenas primum solis eclipsim invenisse, cui invidens frater ex urbe discessit.* Eadem apud Servium leguntur, ut et apud veterem commentatorem Horatii, in Art. poeticam, nisi quod rem aliter enarret : *Quod ideo fingitur, quia Thyestes fertur reperisse rationem deliquii solis, et quare eclipsis contingat; quo frater comperto inde recessit.*

785. *Sibi ipse*, etc. In orientem

Digitized by Google

Tenebrisque facinus obruat tetrum novis
Nox missa ab ortu tempore alieno gravis,
Tamen videndum est : tota patefient mala.

CHORUS.

Quo terrarum superumque parens,
Cujus ad ortus noctis opacæ 790
Decus omne fugit, quo vertis iter,
Medioque diem perdis Olympo?

regressus, et viam quotidianæ adversam secutus.

787. *Nox missa ab ortu.* Nox credebatur oriri ab occidente, quia sole in occidentem vergente nox fiebat. Hic autem, quum sol retroverso curru in orientem sese condiderit, nox apte dicitur ab oriente vel ab ortu missa. — *Tempore alieno.* Nempe meridie, ut ex supp. patet, *medio cælo.*

788. *Tamen videndum est.* In illa ipsa nocte, necesse erit miserias tuas intuearis.

789. *Terrarum*, etc. Contendebat Nic. Heinsius Solem appellari non posse terrarum (i. e. hominum) et deorum parentem; hoc enim nomen Jovi solummodo attributum. De qua opinione Badenius: «Quid? isne *parens*, quem θεῶν παναρίστον invocat Proclus Hymno in Solem v. 33, et v. 34, εἰκόνα παγγενέταο θεοῦ; Orpheus autem Hymno in eumdem v. 13, ἀθάνατον Δία; etiam hoc amplius dicit Plutarchus Quæst. Roman. 77 : Δεῖ δὲ μὴ νομίζειν ἁπλῶς εἰκόνας ἐκείνων τούτους, ἀλλ' αὐτὸν ἐν ὕλῃ Δία, τὸν ἥλιον, καὶ αὐτὴν τὴν Ἥραν ἐν ὕλῃ, τὴν σελήνην.» His addenda, et animadvertenda potissimum nobis videntur, quæ scripsit Macrob. Saturn. lib. I, cap. 27 : *Cave, existimes poetarum gregem, quum de diis fabulantur, non ab adytis plerumque philosophiæ semina mutuari : nam quod omnes pæne deos duntaxat qui sub cælo sunt ad Solem referunt, non vana superstitio, sed ratio divina commendat,* etc. Vide et perlege totum Macrobii locum, quo Nostri verba aptissime explicantur.

790. *Cujus ad ortus*, etc. Quo oriente omne noctis decus, h. e. astra et sidera obscurantur, atque fugere videntur et evanescere.

792. *Medio... Olympo.* Pro meridie, ut sup. 777. *medio cælo.* Virg. Georg. I, 442 : « medioque refugerit orbe. » Lucan. I, 540 : « Ipse caput medio Titan quum ferret Olympo, Condidit ardentes atra caligine currus, Involvitque orbem tenebris, gentesque coegit Desperare diem. » — *Diem perdis.* Baden. interpretatur *amittis : exstinguis* potius accipiendum crediderim, quia in hoc scelere sponte et ex consilio lucem suam terris Sol subripuisse fertur; proba cæteroquin verbi significatione; nam Cic. pro Rosc. Amer. 45 : *Jupiter urbes delevit, fruges perdidit.* Id. ad Attic. VI, 1 : *Civitatem funditus perdidissem*, etc.

Digitized by Google

Cur, Phœbe, tuos rapis aspectus?
Nondum seræ nuntius horæ
Nocturna vocat lumina vesper; 795
Nondum Hesperiæ flexura rotæ
Jubet emeritos solvere currus;
Nondum in noctem vergente die
Tertia misit buccina signum:
Stupet ad subitæ tempora cœnæ 800
Nondum fessis bubus arator.
Quid te ætherio pepulit cursu?
Quæ causa tuos limite certo
Dejecit equos? numquid aperto

794. *Nondum seræ*, etc. Nondum Vesper propinquantem noctem, quod ei proprium est, nuntiavit, et cæteris sideribus quasi signum emicandi dedit.

796. *Nondum Hesperiæ*, etc. Nondum vergente ad occidentem Solis curru, non solvi debent equi, tanquam debitum spatium emensi fuerint. *Hesperiæ* pro *occidentalis*, ut in Ovid. Metam. II, 258 : « Hesperiosque amnes, Rhenum, Rhodanumque Padumque. » Et Metam. IV, 214 : « Axe sub Hesperio sunt pabula Solis equorum. » *Rotæ* pro *currus*, ut in Virg. Æn. XII, 671, et passim in poetis, usitatissima synecdoche. Denique *rotæ Hesperiæ* seu *currus occidentalis*, pro *currus vergentis ad occidentem*. Ovid. Metam. XI, 257 : « Pronus erat Titan, inclinatoque tenebat Hesperium temone fretum. »

797. *Emeritos*. Neque enim justum cursum expleverant. Ovid. Fast. IV, 688 : « Dempserat emeritis jam juga Phœbus equis. » Add. Stat. Theb. I, 336. Translatum a militibus qui suum stipendium meruere. — *Solvere currus*. Pro *equos curru exsolvere*.

799. *Tertia . . . . buccina*. Græci diem in tres partes dividebant, a diluculo ad noctem; et singulæ partes tubæ vel buccinæ signo indicabantur, ut apud Romanos, nisi forte, Poeta morem Romanis proprium, Græcis attribuerit. Liv. VII, 35 : *Ubi secundæ vigiliæ buccina datum signum esset*. Id. XXVI, 15 : *Tribunis militum imperavit, uti duobus millibus equitum delectis nuntiarent, ut ad tertiam buccinam præsto essent*. Sil. VII, 154 : « Hæc secum, mediam somni quum buccina noctem Divideret. » Lucan. II, 688 : « Ne litora clamor Nauticus exagitet, neu buccina dividat horas. » Sic igitur Senecæ locum intelligendum, nondum octavam diei horam advenisse (quæ apud nos secunda post meridiem hora diceretur), neque jam exstinguendum diem.

803. *Certo limite*. Præscripta et definita via, quam tui, Phœbe, equi servare consueverant.

Digitized by Google

Carcere Ditis victi tentant 805
Bella gigantes? numquid Tityos
Pectore fesso renovat veteres
Saucius iras? num rejecto
Latus explicuit monte Typhoeus?
Numquid struitur via Phlegræos 810

805. *Carcere Ditis.* Tartaro. — *Victi.* Quod ad *Ditis* referri posse arbitratur Farnabius, ut quem vicerint gigantes, antequam se suis vinculis absolverint. Sed multo melius rhythmo et constructioni, nec pejus sensui, consulueris, si accipias *victi gigantes.* « Num rebellant, olim a Jove superati? » — *Tentant bella.* Vid. Virg. Æn. II, 334; III, 240; XI, 505 et 912. Cf. et Herc. fur. 976 et sqq. Sil. XII, 151, de Japeto: « Si quando evadere detur, Bella Jovi rursus superisque iterare volentem. »

806. *Tityos.* Vid. Herc. fur. 756.

807. *Pectore fesso.* Vulture semper renascens jecur carpente. Claudianus de rapt. Proserp. II, 341: « laterisque piger sulcator opaci Invitus trahitur lasso de pectore vultur. » — *Renovat veteres Saucius iras?* Quænam illæ iræ sunt, quas renovare creditur Tityus? nusquam enim hunc diis congressum vidimus. Eum perhibent vim afferre Latonæ voluisse, et ideo ab Apolline victum, secundum Stat. scholiast. ad Theb. I, 700; ab Apolline et Diana sagittis confixum, secundum Pindar. Pyth. 4, et Apollod. I, 4; a Jove fulminatum, secundum Hygin. fab. 55. Nullus autem scriptor (quanquam hæc traditio apud Veteres exstitisse potuit) Tityum unum ex gigantibus fuisse memorant, qui contra deos bellavere. Imo, apud Claudian. Gigant. 25, ejus supplicium Terra causatur, ut cæteris filiis suis ferociorem animum in superos faciat: « Quid dicam Tityon, cujus sub vulture sævo Viscera nascuntur gravibus certantia pœnis? » Jam Noster in Herc. fur. 976 et seqq. Tityum induxit ex inferis profugientem et cælo bellum minantem; sed hoc imaginabatur furens Hercules, nec receptæ fabulæ minime adversum videri poterat. At *Tityi veteres iras* non intelliges, nisi credas eum a Seneca inter gigantes habitum, qui contra deos pugnaverunt.

808. *Rejecto*, etc. Typhœus enim, unus e gigantibus qui bellum Jovi intulere, illius fulmine prostratus est, et monte Ætna obrutus, unde in Nostro *explicuit latus rejecto monte*, pro *se vindicavit in libertatem, excussa mole montis.* De Typhœo vid. Hom. hymn. Apollin. 305; Hesiod. Theogon. 820; Æschyl. sept. ante Theb. v. 499; Virg. Æn. IX, 716; Ovid. Metam. V, 325; Hygin. fabb. 152 et 196, etc. De interpretatione fabulæ, adi Delrionem, qui in Tiphœo et supplicio ejus « germanum hominis ambitiosi typum » esse contendit.

810. *Struitur via... Alta.* Nempe Gigantes montes montibus imposuerant, ut cælum invaderent. Vid.

Digitized by Google

Alta per hostes? et Thessalicum
Thressa premitur Pelion Ossa?
Sólitæ mundi perfere vices;
Nihil occasus, nihil ortus erit.
Stupet, Eoos assueta deo 815
Tradere frenos, genitrix primæ
Roscida lucis perversa sui
Limina regni: nescit fessos
Tingere currus, nec fumantes
Sudore jubas mergere ponto. 820
Ipse insueto novus hospitio

Herc. 970. — *Phlegræos... hostes.* Nam in Phlegræa valle gigantes ausi sunt cum deis congredi.

811. *Thessalicum*, etc. Cf. Herc. fur. 969 et 971. De *Thessalicum* et *Thressa*, vid. et not. ad Herc. fur. 1285.

813. *Mundi... vices.* Cæli et siderum certi meatus.

814. *Nihil occasus*, etc. Jam nec oriens, nec occidens dignosci poterunt.

815. *Stupet*, etc. Aurora, frenos i. e. currum lucis, quem primum regit, Soli assueta tradere, miratur mutata et confusa sui regni limina.

818. *Nescit fessos*, etc. Interrogabat Gronovius quis *nescit?* neque enim vel ad Auroram vel ad Solem referri hoc verbum commode posse. Respondit Schrœderus hoc modo: « Quærit vir κριτικώτατος, quis autem *nescit?* repono, *Aurora*. Nescit illa *deum* Phœbum, cui assueta tradere frenos, tingère currus, ceu modo fessos. Non conscia sibi est quasi curriculi diurni, quod sol modo emensus sit, ideoque stupet obductas tam repente tenebras. » Hanc interpretationem rectam judicat Badenius. Nos vero nec quidquam difficultatis esse arbitramur, nec Schrœdero et Badenio obsequimur locum explicantibus. Aurora, assueta frenos tradere Phœbo, nescit currum ejus tingere in undis: proprium est illi equos ad ineundum cursum instruere, non peracto cursu exsolvere: solet aperire diem (*tradere frenos deo*), non autem condere et exstinguere (*tingere fessos currus, nec fumantes jubas mergere ponto*).

820. *Jubas mergere.* Jubas, i. e. equos Solis, in pontum demittere (credebant enim Veteres solem, quum cælum relinqueret, condi et exstingui ponto). Nec miretur quisquam jubas dici *fumantes sudore*, ut paulo superius *fessos currus*, quamvis hoc die Sol non integrum iter impleverit; minus enim ad hunc diem referenda *fumantes sudore* et *fessos* putari debent, quam generaliter de qualibet die scribi.

821. *Insueto... hospitio.* Decedens ad Indos, unde oriri solet. *Hospitium* proprie locus est, ubi ad tempus, et mox abituri, commoramur. Cic.

Digitized by Google

Sol Auroram videt occiduus,
Tenebrasque jubet surgere, nondum
Nocte parata. Non succedunt
Astra, nec ullo micat igne polus : 825
Nec Luna graves digerit umbras.
Sed quidquid id est, utinam nox sit!
Trepidant, trepidant pectora magno
Percussa metu, ne fatali
Cuncta ruina quassata labent, 830
Iterumque deos hominesque premat
Deforme chaos : iterum terras,
Et mare, et ignes et vaga picti

de Senect. 23 : *Ex vita ita discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo*, etc. — *Novus.* Cui hoc hospitium ignotum et novum est.

823. *Nondum Nocte parata.* Quod sequentia explicant : densissimæ enim ingruunt tenebræ, quia nondum sua sidera nox convocavit, neque tam cito procedendum sibi fore præviderat.

826. *Digerit.* Discutit, dissipat. Sen. Quæst. Natur. VII, 22 : *Nubes.... modo congregantur, modo digeruntur.* Plin. VIII, ep. 20 : *Interdum junctæ copulatæque sunt : interdum discordantibus ventis digeruntur.* Lucan. X, 260 : « undæ plus, quam quod digerat aer, Tollitur. »

827. *Utinam nox sit!* Optat chorus, nihil aliud sint istæ tenebræ, quam brevis defectus solis, mox rediturí, et cursum suum postridie, veluti post singulas hactenus noctes, instauraturi, neque mundi dissolutionem nuntient.

829. *Fatali... ruina.* Ruina, quam decreverunt fata : namque apud latinos auctores *fatalis* nunquam non idem sonat ac *fato destinatus*, ac de prosperis ut de exitiosis dicitur. Cic. Catilin. IV, 1 : *Meus consulatus ad salutem reipublicæ prope fatalis fuit.* Id. Phil. 6 : *Fuit aliquis fatalis casus... nunc si quis erit, erit voluntarius.*

832. *Deforme.* Hoc enim proprium habet chaos, quod in eo unaquæque res sua forma careat. Ovid. Metam. I, 16 : « Sic erat instabilis tellus, innabilis unda, Lucis egens aer : nulli sua forma manebat. » — *Iterum.* Subaudi *ne.*

833. *Ignes et vaga*, etc. Recte adnotat Baden. *ignes et sidera* pro *ignes siderum* positum esse; quam figuram Nostro placuisse exemplis ostendit, Hipp. 509, 640, 657, 1179; Œdip. 339; Herc. Œt. 1490. Mare, tellus, et siderea regio, i. e. cælum, pro rerum universitate, ut in Herc. fur. 1054 et sequentibus, et in Ovid. Metam. I, 5, memorantur. — *Vaga.* Cic. de Univers. 10 : *Sidera quæ infixa cælo non moventur loco, et quæ vaga et mutabili ratione labuntur.* Noster au-

Digitized by Google

Sidera mundi Natura tegat.
Non æternæ facis exortu 835
Dux astrorum secula ducens
Dabit æstatis brumæque notas.
Non Phœbeis obvia flammis
Demet Nocti Luna timores,
Vincetque sui fratris habenas, 840
Curvo brevius limite currens.
Ibit in unum congesta sinum

tem non errantes tantum stellas designat, sed etiam fixas quæ, etsi non loco moveantur, tamen errabundæ videntur, sicut sol qui *vagus* dicitur Tibull. IV, eleg. I, v. 76. — *Picti mundi.* Mundus, pro cælo (Herc. fur. 18) : pictus autem dicitur, propter siderum fulgorem. Med. 310 : « Stellis pingitur æther. »

836. *Dux astrorum.* Plin. II, 6 : *Eorum (siderum) medius sol fertur, amplissima magnitudine ac potestate : nec temporum modo terrarumque, sed siderum etiam ipsorum, cælique rector,* etc. Vid. in Macrob. somn. Scip. I, 20, cur sol *dux et princeps et moderator luminum reliquorum* appelletur. Add. Boet. de Consolat. philos. I, 5. — *Sæcula ducens.* Virg. Georg. I, 5 : « Vos, o clarissima mundi Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum. »

837. *Dabit æstatis*, etc. Æstatis hiemisque spatium suis ipse vicibus describet. Sen. Consolat. ad Marc. 18 : *Solem quotidiano cursu diei noctisque spatia signantem, annuo æstates hiemesque æqualiter dividentem.*

838. *Phœbeis obvia flammis.* Quæ Solis repercussa luce fulget, cui frater splendoris sui partem addit. Seneca, Consol. ad Marc. 18 : *Videbis nocturnam lunæ successionem, a fraternis occursibus lene remissumque lumen mutuantem,* etc. Et id. Quæst. Natur. VII, 1 : *Lunam nunquam implet, nisi adversam sibi,* etc. Imitatus est Nostrum Boet. de Consol. philos. I, 5, v. 5 : « Nunc pleno lucida cornu Totis fratris et obvia flammis Condat stellas Luna minores. »

839. *Demet*, etc. Quia lucescente luna, securiores sumus a nocturnis insidiis; nec pericula solum et timendi causas, sed ipsum terrorem quem tenebræ nobis incutere solent, intellige. Sic, non semper infelix poeta, *Lemierre :*

Il tarde au voyageur, dans une nuit obscure,
Que ton pâle flambeau se lève, et le rassure.

840. *Vincetque*, etc. Non jam nox celeritatem fratris vincet : cursus enim solis annuus, lunæ autem menstruus. Vid. inf. not. ad vers. 841. — *Habenas.* Per synecdoch. pro *quadrigas.* « Phœbi equos cursu superabit. »

841. *Curvo.* In orbem se circumagente. — *Brevius.* Senec. de Benef. IV, 23 : ...*Quin ille (sol) annum observabilem fecerit circumactu suo; hæc (luna) mensem, minoribus se spatiis flectens.*

842. *Sinum.* Voraginem. Sic in

Digitized by Google

Turba deorum.

Hic, qui sacris pervius astris
Secat obliquo tramite zonas, 845
Flectens longos Signifer annos,
Lapsa videbit sidera labens.
Hic, qui nondum vere benigno

Œd. 582, « Subito dehiscit terra, et immenso sinu Laxata patuit ».

843. *Turba deorum.* H. e. sidera omnia. «Sidera enim et elementa, ait Farnabius, Stoicis pro diis ipsis erant. » Vid. quæ notav. ad Herc. fur. 12. Adde hæc Senecæ, de benef. VI, 22 : *Omnia ista ingentibus intervallis diducta, et in custodiam universi disposita, stationes suas deserant, subita confusione rerum sidera sideribus incurrant, et rupta rerum concordia in ruinam divina labantur... et quæ nunc eunt alternis redeuntque opportunis libramentis, mundum ex æquo temperantia, repentino concrementur incendio, et ex tanta varietate solvantur, atque eant in unum omnia; ignis cuncta possideat, quem deinde pigra nox occupet, et profanda vorago tot deos sorbeat.*

844. *Hic*, etc. Zodiacus, seu cælestis armilla, quæ duodecim signa complectitur, Nostro inferius sigillatim memorata. De Zodiaco, vid. Cic. Arat. phænom. Manil. I, 255 et sqq. et passim. Lucan. IX, 531 et sqq. Plin. II, 4, et alibi. Hygin. poet. astron. I, 6 et 7. Macrob. in somn. Scip. I, 12, 15, 18 et 21, etc. — *Sacris pervius astris.* Soli et lunæ, vel duodecim ipsis signis, quorum unumquodque suo deo sacrum erat, teste Manilio, II, 433 : «Lanigerum Pallas, Taurum Cytheræa tuetur, Formosos Phœbus Geminos, etc. »

845. *Secat obliquo*, etc. Zodiacus circulum æquinoctialem oblique transit, ita ut hinc Cancri, inde Capricorni tropicum attingat. *Secat* igitur accipiendum pro *dividit*: Zodiacus enim continetur inter zonam temperatam arcticam, quæ tropico Cancri et circulo polari arctico media est, et temperatam antarcticam, quæ tropico Capricorni et circulo polari antarctico cingitur. Sic Virg. Georg. I, 239 : «Via secta per ambas Obliquus, qua se signorum verteret ordo. » Hæc autem significatio verbi *secare* usitatissima est. Vid. Virgil. Æn. VII, 717. Lucan. I, 101. Plin. V, 27; XVIII, 34. Plin. V, epist. 6, etc. — *Tramite.* Propert. IV, eleg. 1, v. 103 : « Aspicienda via est cæli, versusque per astra Trames. »

846. *Flectens.* H. e. oblique deducens. — *Longos... annos.* Ovid. Metam. IV, 226 : «Ille ego sum, dixit, qui longum metior annum. » Id. Fast. IV, 23 : « Hoc pater Iliades, longum quum scriberet annum, Vidit, etc. » — *Signifer.* Ita enim vocatur sæpe Zodiacus. Plin. II, 10 : *Stati autem atque menstrui non sunt utrique defectus, propter obliquitatem Signiferi*, etc. Senec. quæst. natur. VII, 23 : *Si erratica, inquit, stella esset, in Signifero esset.*

848. *Nondum vere benigno.* Ver

Digitized by Google

Reddit Zephyro vela tepenti,
Aries præceps ibit in undas, 850
Per quas pavidam vexerat Hellen.

enim nonnisi sole signum Arietis adeunte incipit. Manil. II, 654 ; «Quatuor æquali cælum discrimine signant, In quibus articulos anni deus ipse creavit. Ver Aries, cererem Cancer, bacchumque ministrat Libra, Caper brumam, genitusque ad frigora Piscis.»

849. *Reddit... vela.* Accipit hunc locum Delrio, quasi Aries flante Zephiro rursus navigaturus sit : «Ineunte vere, inquit, rursus vult navigare, sed tamen iterum mergetur. Alludit ad Phryxi fabulam, etc.» Aliter interpretandum arbitror, quamvis inter duos sensus pendeam incertus : nam 1° intelligi potest tepenti Zephyro Arietem *reddere vela*, i. e. redire Zephyrum, permittente Ariete ; ver enim Zephyro notatur, et Arietem veris signum esse jam supra diximus. Cæterum *reddere vela* translate, ut sæpe in auctoribus latinis *dare vela*, usurpari posse quis neget, quum *reddere vela* nihil aliud sit quam *vela rursus dare?* Mart. VIII, 70 : «Pieriam tenui frontem redimire corona Contentus, famæ nec dare vela suæ.» Ovid. de Ponto, ep. 8 : «Moderatius opta, Et voti, quæso, contrahe vela tui.» Cic. Tuscul. IV, 5 : *Utrum panderem vela orationis statim, an eam ante paululum dialecticorum remis propellerem.* In Nostro autem eo melius metaphora adhiberetur, quod volatus, qui proprius ventis esse fingitur, sæpe cum remigio comparatur, ita ut Virg. dicere ausus sit, Æn. I, 301, *remigio alarum*, et Æn. III, 520, versa vice, *velorum pandimus alas.* 2° Intelligi quoque potest *reddit vela Zephyro*, quasi scribatur *reddit Zephyrum navibus*, notissima hypallage, ut in Virg. Æn. III, 61, *dare Austrum classibus* pro *dare classes Austro.* Animadverte Virgilium et Senecam pari figura usos, licet alter *dare vela vento*, alter *ventum velis dare* dixerit ; nam in Virgilio agunt homines, quorum proprium est *naves ventis permittere*, qui autem in ventos nullum jus habent, unde nonnisi translate dici queant *dare Austros :* in Seneca autem agere fingitur vis quædam cælestis, quæ ventos movet et immittit; unde proprie de illa dicitur *dat ventos*, translate autem *dat classes ventis.* Par est in diversa forma locutio. Reddere autem dicitur Aries Zephyrum navibus, quia ver navigaturis favet. Plin. II, 47 : «Ver ergo aperit navigantibus maria; cujus in principio, Favonii hibernum molliunt cælum, etc.» Quadrat cum hac re quod Aries ille Phryxum et Hellen per maria tulisse dicatur. Inde Manil. IV, 511 : «Juvat ignotas transire per urbes, Scrutarique novum pelagus, totius et esse Orbis in hospitio : testis tibi laniger ipse, Quum vitreum findens aurato vellere pontum, etc.»

850. *Aries.* Sidus tredecim stellis constans, positumque inter Pisces et Taurum. Vid. not. sequent.

851. *Pavidam vexerat Hellen.* Hygin. poet. astron. II, 20, scribit

Digitized by Google

Hic, qui nitido Taurus cornu
Præfert Hyadas, secum Geminos
Trahet, et curvi brachia Cancri.
Leo flammiferis æstibus ardens 855
Iterum e cælo cadet Herculeus.
Cadet in terras Virgo relictas;
Justæque cadent pondera Libræ,
Secumque trahent Scorpion acrem.

Arietem cælestem eumdem ac illum existimari, qui Phryxum et Hellen per Hellespontum transtulit. Alii dicunt non arietem illum fuisse; sed insigne ac nomen navis, qua Phryxus et Helle navigarunt. Tacit. Ann. VI, 34 : *Oraculum Phryxi celebrant, nec quisquam ariete sacrificaverit, credito vexisse Phryxum, sive id animal, seu navis insigne fuit.* Hygin. fab. 133, tradit « Quum Liber in India aquam quæreret, nec inveniret, subito ex arena arietem exstitisse; quo duce aqua inventa, Liberum petiisse a Jove, ut eum arietem in astra referret. »

852. *Hic, qui nitido*, etc. Hygin. poet. astron. III, 20 : *Habet (Taurus) in cornibus singulas stellas, sed in sinistro clariorem, utrisque oculis singulas, in fronte mediam unam, ex quibus locis cornua nascuntur, singulas; quæ septem stellæ Hyades appellantur.* Add. ejusdem II, 21, ubi de hoc signo copiosissime disseritur.

853. *Geminos.* Castorem et Pollucem. Vide Hyginum, II, 22, et III, 21.

854. *Curvi brachia Cancri.* Curva Cancri brachia. Ovid. Metam. II, 83 : « Curvantem brachia Cancrum. » Vid. Hygin. poet. astron. II, 23, et III, 22. Macrob. Saturn. I, 17, et Manil. passim.

855. *Leo flammiferis*, etc. Æstivum enim signum est. De quo vid. Hygin. poet. astron. II, 24, et III, 23. Macrob. Saturn. I, 21, etc.

856. *Iterum*, etc. Jam enim e luna decidisse ferebatur, priusquam ab Hercule exstingueretur. Vid. Herc. fur. 83. Inde Claudian. de rapt. Proserp. præfat. in lib. II, 35 : « Leo sidereos rediturus ad axes. » — *Herculeus.* Ab Hercule victus.

857. *Virgo.* Quam alii Astræam, alii aliam esse volebant. Vid. Hygin. poet. astron. II, 25, et III, 24. — *Relictus.* Astræa enim, post ætatem auream, humanis sceleribus pulsa, ad cælum avolasse ferebatur. Ovid. Metam. I, 149 : « Et virgo cæde madentes Ultima cælestum terras Astræa reliquit. » Juvenal. VI, 19 : « Paulatim deinde ad superos Astræa recessit, etc. »

858. *Justæque*, etc. Vid. Herc. fur. 844. Lucan. IV, 86 : « Æquatis ad justæ pondera Libræ Temporibus, etc. » Add. Hyginum in poet. astron. II, 26, et Serv. ad Virg. Georg. I, 33.

859. *Secumque trahent.* Quidam enim stellas quibus constat Libra

Digitized by Google

Et, qui nervo tenet Æmonio 860
Pennata senex spicula Chiron,
Rupto perdet spicula nervo.
Pigram referens hiemem gelidus
Cadet Ægoceros, frangesque tuam,
Quisquis es, Urnam. Tecum excedent 865
Ultima cæli sidera Pisces;
Monstraque nunquam perfusa mari
Merget condens omnia gurges;
Et qui medias dividit Ursas,

Scorpio assignant, et ejus chelas esse arbitrantur. — *Scorpion acrem.* Dicitur acer Scorpius, quia venenato caudæ acumine letum infert. Manil. II, 213 : « Et acri Scorpius ictu »; et id. 236 : « Acer et ictu Scorpius. » Cæterum vide Hyginum in poet. astron. II, 24, et III, 25.

860. *Et qui*, etc. Vid. Herc. fur. 971. De quo signo Sagittarii vid. Hygin. poet. astron. II, 27, et III, 26. — *Nervo... Æmonio.* Nervus enim aliquando pro arcu per synecdochen sumitur : arcus autem Chironis Æmonius appellatur, quia Centaurus ille *Æmonius* fuit, sive Thessalus. Ovid. Metamorph. II, vers. 80 : « Per tamen adversi gradieris cornua Tauri Æmoniosque arcus. »

861. *Senex.* Memorant nonnulli Chironem a Jove moriendi beneficium petiisse, propter longioris vitæ tædium.

862. *Spicula.* Pro *spiculum*; illud scilicet, quod sinuato arcu jamjam missurus exhibetur. Manil. I, 269 : « Contentum dirigit arcum Mixtus equo, volucrem missurus jamque sagittam. »

863. *Pigram.* Quæ torpentes et pigros frigore facit. Sic Tibull. I, eleg. 2, vs. 31 : « Non mihi pigra nocent hibernæ frigora noctis. »

864. *Ægoceros.* Græce Αἰγόκερως, latine Capricornus, hiemale signum. Cf. Lucan. IX, 537. Macrob. Saturn. I, 17. Hygin. fab. 196; poet. astron. II, 28, et III, 27.

865. *Quisquis es.* Ὑδροχόος, seu Aquarius. Additur autem *quisquis es*, quia de istius signi origine varia tradebantur. Hygin. poet. astron. II, 29 : *Hunc complures Ganymedem esse dixerunt.... Hegesianax autem Deucaliona dicit esse ... Eubulus autem Cecropem demonstrat esse.* Add. III, 28.

866. *Ultima*, etc. Pisces signa Zodiaci et anni extrema sunt. Manil. I, 274 : « Claudentes ultima signa. » — Vid. et Ovid. Fast. II, 457 et sqq. Hygin. poet. astron. II, 30, et III, 29.

867. *Monstraque*, etc. Arcti duæ, major et minor Ursa, de quibus vid. Herc. fur. 6. Ovid. Metam. II, 477 et sqq. Trist. IV, eleg. 3, v. 1 et sqq. Fast. II, 152 et sqq. Manil. I, 296, etc. Hygin. poet. astron. II, 1 et 2; III, 1.

869. *Et qui medias*, etc. Anguis

Digitized by Google

Fluminis instar, lubricus Anguis, 870
Magnoque minor juncta Draconi
Frigida duro Cynosura gelu,
Custosque sui tardus plaustri
Jam non stabilis ruet Arctophylax.
Nos e tanto visi populo 875
Digni, premeret quos everso
Cardine mundus.
In nos ætas ultima venit.
O nos dura sorte creatos,
Seu perdidimus solem miseri, 880
Sive expulimus! Abeant questus :

aut Draco, qui corporis sui nexibus Ursas involvere videtur et alligare. Vid. Hygin. poet. astron. II, 3, et III, 2. Manil. I, 305 : «Has interfusus, circumque amplexus utramque Dividit, et cingit stellis ardentibus Anguis, etc.»

870. *Fluminis instar*. Flexuoso et ambitioso amni similis. Virgilius, in Georg. I, 244 : «Maximus hic flexu sinuoso elabitur Anguis Circum perque duas in morem fluminis Arctos.»

872. *Cynosura*. Arctos minor. Vid. not. ad Herc. fur. 6.

873. *Custosque*, etc. De Arctophylace seu Boote vid. Hygin. poet. astron. II, 4, et III, 3. Plaustrum autem quod insequi fingitur, nihil aliud est quam Arctos major, ut ex ipso nomine ἀρκτοφύλαξ patet. Tradit Hygin. poet. astron. II, 2, «Arctos appellatas, quas Romani Septemtriones dixerunt; sed majorem Arcton complures plaustro similem dixisse, et ἅμαξαν Græcos appellavisse; cujus hæc memoriæ prodita est causa. In initio qui sidera perviderunt, et numerum stellarum in unaquaque specie corporis constituerunt, non Arctum, sed Plaustrum nominaverunt : ex septem stellis duæ quæ pariles et maxime in uno loco viderentur, pro bobus haberentur; reliquæ autem quinque figuram plaustri simularent. Itaque et quod proximum huic est signum Bootem nominari voluerunt, etc.» — *Tardus*. Catull. de com. Beren. 67 : «Vertor in occasum tardum dux ante Booten.» Tardus autem dicitur, quia omnia sidera quæ posita sunt *ubi circulus axem Ultimus extremum spatioque brevissimus ambit* (Ovid. Metam. II, 516), tardius suum gyrum explere videntur.

875. *Nos e tanto*, etc. Ex tanta hominum multitudine, quæ hucusque in terris vixit, nos solummodo digni visi sumus qui cæli ruina opprimeremur.

877. *Cardine*. Utroque polo.

880. *Seu perdidimus solem*, etc. Sive per se et naturali causa nec iratis diis sol exstinctus fuerit,

Digitized by Google

Discede, timor. Vitæ est avidus,
Quisquis non vult, mundo secum
Pereunte, mori.

sive nostra scelera aversatus sit.

882. *Vitæ est avidus*, etc. Lucan. II, 289 : « Sidera quis mundumque velit spectare cadentem Expers ipse metus? » Sed nulli magis quam Senecæ hæc sententia placuit : in omnibus ejus operibus passim occurrit. epist. 71 : *Omnes hos fertiles campos repentina maris inundatio abscondet, aut in subitam cavernam considentis soli lapsus abducet. Quid est ergo, quare indigner aut doleam, si exiguo momento publica fata præcedo?* Quæst. nat. VI, 2 : *Quid habeo quod querar, si rerum natura non vult me jacere in ignobili loco? si mihi injicit sui partem? Egregie Vagellius meus in illo inclyto carmine :* « Si cadendum est mihi, cælo cecidisse velim. » *Idem licet dicere. Si cadendum est, cadam orbe concusso : non quia fas est optare publicam cladem, sed quia ingens mortis solatium est, terram quandoque videre mortalem.* Ibid. VI. 32 : *Ego perire timeam, quum terra ante me pereat...?* etc. etc.

Digitized by Google

ACTUS QUINTUS.

ATREUS.

ÆQUALIS astris gradior, et cunctos super 885
Altum superbo vertice attingens polum.
Nunc decora regni teneo, nunc solium patris.
Dimitto superos : summa votorum attigi.

885. *Æqualis astris*, etc. Gloriatur et superbit Atreus, voto potitus. Herodot. III, 30 : .... ὡς ἐν τῷ θρόνῳ τῷ Βασιληΐῳ ἱζόμενος Σμέρδις, τῇ κεφαλῇ τοῦ οὐρανοῦ ψαύσειε. Horat. I, od. 1, v. ult. « Sublimi feriam sidera vertice. » Ovid. Met. VII, 60 : « Quo conjuge felix Et dis cara ferar, et vertice sidera tangam. » — *Gradior*. Quod verbum quoque superbientis est et ad fastus compositum. Similiter Virg. Æn. I, 50 : « Ast ego quæ divum *incedo* regina, etc. » Et *Racine*, *Athalie*, act. III, sc. 3.

Je ceignis la thiare, et *marchai* son égal.

— *Cunctos super*. Jungenda sunt hæc duo vocabula, « supra cunctos homines. »

886. *Vertice*. Capite, fronte, ut in Horat. et Ovid. locis modo cit.

887. *Decora*. Agi putat Farnab. de aureo ariete, *imperii specimine*, ut supra scriptum est v. 223. Sed necatis Thyestæ liberis, immo et genitori appositis, Atreus non magis quam antea fatali ariete potitur : jam pridem penes illum et solium patris et insignia regni sunt, et, si non essent, neutiquam nepotum suorum nece Atreus hæc omnia sibi vindicaret. Respiciendum igitur ab ipsa re ad animum affectusque tyranni, qui ultionis ita appetens est, ut se regem prius non credat, quam furorem expleverit. Sic sup. v. 176 (vid. quæ notav.) maximum esse probrum in summis rebus dixit, si tyrannus injuriam suam non vindicaverit. Cognatæ et prope germanæ sunt utriusque loci sententiæ.

888. *Dimitto superos*. Interpres gall. recentior cum Farnab. intelligit Atreum non jam superos precibus sollicitaturum, quippe qui voto abunde fruatur. Forsan et hæc referenda ad solis et deorum fugam. « Abeant, inquit, dii : dimitto illos; neque enim jam quidquam ab iis rogare velim. » Consonat hæc interpretatio cum subsequentibus,

Digitized by Google

Bene est; abunde est; jam sat est etiam mihi.
Sed cur satis sit? pergam, et implebo patrem 890
Funere suorum : ne quid obstaret pudor,
Dies recessit; perge, dum cælum vacat.
Utinam quidem tenere fugientes deos
Possem, et coactos trahere, ut ultricem dapem
Omnes viderent! quod sat est, videat pater. 895
Etiam die nolente discutiam tibi
Tenebras, miseriæ sub quibus latitant tuæ.
Nimis diu conviva securo jaces
Hilarique vultu; jam satis mensis datum est,
Satisque Baccho: sobrio tanta ad mala 900

vs. 893 : « Utinam quidem tenere fugientes deos, etc.

889. *Bene est*, Vid. 279 supra. — *Etiam mihi*. Hosti infensissimo.

890. *Implebo*, etc. Id est carnibus liberorum quas nunc vorat Thyestes, cruorem addam, ne suæ illi prolis ulla pars subtrahatur. Vid. inf. 977.

893. *Utinam quidem*, etc. Subita mentis immutatione, deos illos quos fugisse modo sibi gratulatus est, nunc sceleris sui testes et conscios habere velit, ut plenior sit vindicta et illustrior.

895. *Pater*. Thyestes.

896. *Etiam*, etc. Quamvis sol defecerit, lucem Thyesti afferam, qui erroris caligine hactenus involutus, miserias suas non cognovit. Nititur tota hæc sententia ambiguitate vocis *tenebras*, quæ et ad defectum solis, et ad Thyestæ ignorantiam in tanta calamitate securi, referri potest. Si enim rem ipsam, remoto verborum ludo, inspicias, ecquid inter ea commune invenias, nempe *nescire Thyestem quid filii sui passi fuerint*, et *periisse exstinctum diem?* et quomodo fieri potest ut impediat sublatum diei lumen quin Thyestes fraternum audiat scelus? Cf. sup. v. 784 et seqq.

898. *Jaces*. Quasi apud veteres Græcos strato lectulo convivantes recumberent! Assident mensæ epulaturi Homeri heroes. Iliad. X, 578 : « Δείπνῳ ἐφιζανέτην. » Serius tantum mos invaluit, ab Asiaticis sumptus, toris recumbendi, ἀνακλιθῆναι, ἀνακεῖσθαι, ἀναπέζειν. Unde Plutarch. in Vita Cleomenis, § 39, ait eum Laconica mensa usum et tribus solummodo toris. Romani quoque ante Punicum bellum secundum scamnis ligneis considebant, quæ primum Punicanis, mox Archiacis, demum elegantissimis lectis mutaverunt. Ovid. Fast. VI, 305 : « Ante focos olim longis considere scamnis Mos erat, et mensæ credere adesse deos. »

899. *Satis... datum est*. Virgil. Æn. II, 291 : « Sat patriæ Priamoque datum. »

900. *Sobrio..... Opus est Thyeste*,

Digitized by Google

Opus est Thyeste. Turba famularis, fores
Templi relaxa; festa patefiat domus.
Libet videre, capita natorum intuens
Quos det colores, verba quæ primus dolor
Effundat, aut ut spiritu expulso stupens 905
Corpus rigescat : fructus hic operis mei est;
Miserum videre nolo, sed dum fit miser.
Aperta multa tecta collucent face.
Resupinus ipse purpura atque auro incubat,

Ne illi sensus malorum ebrietate hebescat.

901. *Turba famularis.* Servos compellat Atreus. Stat. Achill. II, 60 : « Nec mora, jam mensas famularis turba torosque Instruit. »

902. *Templi.* Palatii. Hic potest dici *templum* pro *domo regia,* quod ea festo et religioso convivio, pro reconciliata inter fratres gratia, quasi consecratur. Infra, vs. 981, *mensæ sacra juvenilis colunt,* ad quem locum vide notam. De vocabuli *templum* significatione et varia usurpatione, vid. Hercul. fur. not. ad vers. 3.

903. *Libet videre,* etc. Juvat me videre quos Thyestæ vultus induet colores, quum illi natorum capita recisa servataque objicientur. Hor. I, epist. 16, v. 38 : « Mordear opprobriis salsis, mutemque colores ». — *Primus dolor.* Primus doloris impetus.

905. *Spiritu expulso stupens.* Proprium enim habent magni dolores, ut hominem mutum et stupidum faciant, coeunte sanguine et naturæ vi ita deficiente, ut paulisper vita intermitti videatur. Flor. II, 12 : *Tanquam subito malo stupens.* Ovid. Heroid. VIII, vs. 3 : « Sæpe malis stupeo. » Noster in Hipp. 607 : « Curæ leves loquuntur, ingentes stupent. »

906. *Fructus,* etc. Hunc fructum operis mei habeo, ut fratrem non miserum etiam, sed, dum fit miser, adspectare possim. *Crébillon, Atrée et Thyeste,* act. V, scen. 5 :

Ce n'est de ses forfaits se venger qu'à demi,
Que d'accabler de loin un perfide ennemi :
Il faut, pour bien jouir de son sort déplorable,
Le voir dans le moment qu'il devient misérable,
De ses premiers transports irriter la douleur,
Et lui faire à long traits sentir tout son malheur.

908. *Aperta.* Imperante enim Atreo, intima pars theatri reclusa est, quæ exhibet apparatum convivii convivantemque Thyestem. — *Multa face.* Veluti quum in noctem epulæ producebantur. Vid. Virg. Æn. I, 730; Martial. XIV, 41; Sil. XI, 279; Stat. Theb. I, 520. Nox enim facta est, refugiente sole.

909. *Resupinus.* Vid. sup. not. ad vers. 898. — *Purpura.* Purpureis stragulis. Sic Virg. Æneid. I, 704 : « stratoque super discumbitur ostro », Add. Horat. II, sat. 5, vs. 102; Sil. XI, 273, et Stat. Theb. I, 517. — *Auro.* Sive quia tori auro decorabantur (Sueton. Jul. 49, et Virg. Æn. VI, 603; Cic. Tuscul. V,

Digitized by Google

Vino gravatum fulciens læva caput. 910
Eructat : o me cælitum excelsissimum,
Regumque regem! vota transcendi mea.
Satur est, capaci ducit argento merum.
Ne parce potu; restat etiamnum cruor
Tot hostiarum : veteris hunc Bacchi color 915
Abscondet : hoc hæc mensa claudatur scypho.

21), sive quia stragula erant acu picta et auro intertexta. Suet. Jul. 84 : *Lectus eburneus auro ac purpura stratus :* quo loco de funebri lectulo agitur. Triclinia autem pretiosis quoque aulæis tapetisque sternebantur. Vide Cic. Verr. II, 19, et IV, 12, eumd. Phil. II; Liv. XXXIV, 7; Plin. VIII, 48; Plaut. Stich. act. II, scen. 2, v. 54; Virg. Æneid. I, 701 ; Tibull. I, eleg. 2, v. 77.

910. *Fulciens læva caput.* Cœnantes enim sinistro cubito innitebantur, dextraque utebantur ad comedendum. Horat. I, od. 27, v. 8 : « Et cubito remanete presso. » Tunc autem maxime in cubitum se demittebant, quum cibis vinoque pleni essent. Inde Horat. II, Sat. 4, v. 39 : « Languidus in cubitum jam se conviva reponet. » Add. Plutarch. Sympos. lib. V.

911. *Eructat : o me*, etc. Se felicissimum exclamat et feliciorem quam optarat (*vota transcendi mea*), quod, eructante Thyeste, saturatum cibo eum intelligit, licet vix speraverit fore ut tanta aviditate suos frater liberos deglutiret.

913. *Capaci.* Heroicis quidem temporibus pateræ graves erant et patulæ (Athen. II, 2). Adde quod apud veteres incunte convivio minora pocula, finiente autem majora adhibebantur. Virg. Æn. I, 727 : « Post quam prima quies epulis, mensæque remotæ, Crateras magnos statuunt. » Sed *ducit capaci argento merum* forsan pro *largo potu bibit* hic tantummodo ponitur. — *Ducit.* Haurit. Hor. I, od. XVII, v. 21 : « Hic innocentis pocula Lesbii Duces sub umbra. » — *Argento.* Patera argento conflata. — *Merum.* Græci vinum purum, nec aqua mistum, ἀκρατέστερον, sæpe potabant; quod ἐπισκυθίσαι vocabatur, i. e. in morem Scytharum bibere. Sed qui a Scythis nomen bibendi duxerant, mox ipsi largis potationibus et intemperantibus epulis nomen fecere : unde in Plaut. Mostell. act. I, scen. 1, v. 21 : « Dies noctesque bibite, pergræcamini. »

914. *Ne parce.* Potus enim non deficiet, quum liberorum tuorum sanguinem tibi hauriendum seposuerim.

915. *Tot hostiarum.* Trium, ut sup. v. 523. — *Color.* Sanguis, rubro vino commixtus, quam optime merum imitabitur.

916. *Hoc hæc*, etc. Talis potus dignus est tali convivio. Quintilian. VIII, 5 : *Huic simile in illo, cui pater sua membra laceranti venenum dedit : qui hæc edit, debet hoc bibere.* — *Clau-*

Digitized by Google

Mixtum suorum sanguinem genitor bibat;
Meum bibisset. Ecce jam cantus ciet,
Festasque voces, nec satis menti imperat.

THYESTES.

Pectora longis hebetata malis, 920
Jam sollicitas ponite curas.
Fugiat mœror, fugiatque pavor.
Fugiat trepidi comes exsilii
Tristis egestas, rebusque gravis
Pudor afflictis. Magis unde cadas, 925

datur. Veteres cœnam aliqua potatione concludere solebant, quam Græci vocabant μετάνιπτρον. Vid. Athenæum, II, 2; XI, 11; XV, 5 et 14.

919. *Nec satis menti imperat*. Nimio vino insanit; nec jam sui compos est.

920. *Hebetata*. Defessa.

921. *Sollicitas*. Quæ sollicitos faciunt. — *Ponite*. Exsuite.

922. *Mœror....pavor*. De malis præteritis *mœror*, de futuris et imminentibus *pavor* dicitur.

924. *Rebusque*, etc. Pudor enim res adversas graviores reddit.

925. *Afflictis*. Flor. II, 6 : «Tam arctis afflictisque rebus,» etc. Luc. I, 496 : «Velut unica rebus Spes foret afflictis.» — *Magis unde cadas*, etc. Gronovius hunc locum interpretatur, quasi sententiæ ita necterentur : «Pone curas, Thyesta; fugiat a pectore tuo pavor : quid enim jam tibi grave accidere potest, qui e solio dejectus (quod maximum malum est), hoc tamen intrepido animo sustinuisti?» Sed ea male quadrant cum *fugiat tristis egestas*, et *gravis rebus afflictis pudor;* et hanc cæteroquin interpretationem extortam magis quam depromptam ex latinis verbis arbitramur. Nec videtur nobis felicior interpres *Levée*, qui locum sic reddidit : *Thyeste, tu dois plutôt contempler le point où tu es que celui où tu peux tomber. Après une chute éclatante, il est grand de pouvoir raffermir ses pas : il est grand, au milieu des ruines d'un empire, d'en soutenir encore le poids*, etc. Inter alia, quibus hic sensus exploditur, nota præsertim Thyestem, ad regni societatem vocatum et jam summa potestate, ut putat, fruentem, non posse de præsenti rerum suarum statu sic loqui, tanquam *stabilem* tantum *figeret in plano gressum*, et *non inflexa cervice regni pondera pateretur*, et *invictus malis* staret. Hæc manifeste ad exsilium ejus et immotum in adversis animum referri debent : ita ut locum sic explicari velim : «Quid est cur mœror et pudor te teneant, tua mala recordantem? Jacuisti quidem, sed summo e fastigio delapsus; jacuisti, sed integra virtute et indomita constantia :

Digitized by Google

Quam quo, refert. Magnum, ex alto
Culmine lapsum stabilem in plano
Figere gressum : magnum, ingenti
Strage malorum pressum fracti
Pondera regni non inflexa 930
Cervicæ pati, nec degenerem
Victumque malis rectum impositas
Ferre ruinas. Sed jam sævi
Nubila fati pelle, ac miseri
Temporis omnes dimitte notas : 935
Redeant vultus ad læta boni;
Veterem ex animo mitte Thyesten.
Proprium hoc miseros sequitur vitium,
Nunquam rebus credere lætis.
Redeat felix Fortuna licet, 940
Tamen afflictos gaudere piget.

nonne magnum fuit, qui alto steteras culmine, te stabilem in plano gressum figere? et pondera regni non inflexa cervice sustinere? et rectum impositas ruinas ferre? Pensat sortis adversæ opprobrium fortitudo ferentis. Nihil habent igitur præterita mala, quod tibi mœrorem aut pudorem afferat. Sed ea ipsa, quamvis tibi haud ingloria, obliviscere : læta tantum quæ tibi contingunt attende, etc. »

927. *Stabilem.* Firmum, intrepidum. Ovid. Trist. V, eleg. 14, v. 29 : «Rara quidem virtus, quam non fortuna gubernet, Quæ maneat stabili, quum fugit illa, pede. » — *In plano.* In humili loco. Hæc omnia per metaphoram dicuntur.

929. *Fracti.* Cf. Horat. III, od. 3, vs. 7.

930. *Pondera regni*, etc. Ruentis regni molem perferre.

931. *Degenerem.* Avitæ vel propriæ virtutis oblitum.

933. *Ruinas.* Vid. Herc. fur. 412, et not. ad hunc vers.

934. *Nubila.* Id est tristitiam ex fati sævitia ortam. Plin. II, 6 : *Sol cœli tristitiam discutit, atque etiam humani nubila animi serenat.* — *Ac miseri*, etc. Animo simul ac vultu omnia miseriarum vestigia expelle.

935. *Dimitte.* Depone, exue. Cic. ad Attic. XIV, epist. 11 : *Non dimitto istam curam.* Val. Flacc. VII, 240 : «Dimitte timorem. »

937. *Veterem... Thyesten.* Abjice afflictam illam mentem, ut novam lætamque induas. Licet enim sua Thyesti fortuna fausta ac prospera videatur, tristes tamen et acerbos sensus concipit; quorum causa latente, semetipsum hortatur ut priscos obliviscatur luctus, et mœrorem lætitia mutet.

Digitized by Google

Quid me revocas, festumque vetas
Celebrare diem? quid flere jubes,
Nulla surgens dolor ex causa?
Quis me prohibet flore recenti
Vincire comam? Prohibet, prohibet.
Vernæ capiti fluxere rosæ;
Pingui madidus crinis amomo
Inter subitos stetit horrores;

942. *Quid me revocas.* Cur, dolor, ad te me revocas.

945. *Flore recenti.* Veteres enim caput sibi floreis sertis epulantes redimibant. « Florum fasciculis, ait Farnabius, sertis coronisque capita revincti in conviviis potare soliti erant; primum quidem hederaceis (vid. Œdip. v. 414) et ex apio; mox myrteis, quippe quæ adstringunt et vini exhalationes arcent; tum e rosis, quæ et gravitatem capitis sedant et potione æstuantes refrigerant. Corona insuper plenitudinis et libertatis symbolum festis conviviisque competit et capiti quod rationalis animæ sedes. Neque me fugit lacertis etiam serta, cervicique τὰς πλεκτὰς ὑποθυμίδας circumdare solitos. » Vid. Horat. II, od. 7, v. 23, et od. 11, v. 14. Ovid. Fast. V, 335; Trist. V, eleg. 3, v. 3. Tibull. III, el. 7, v. 32. Lucan. X, 164. Juven. V, 36; XV, 50. Mart. XIII, 127. Cic. Tuscul. III, 18; V, 21, etc.

946. *Prohibet, prohibet,* Quid me prohibeat flore vincire comam nescio, at certe prohibeor.

947. *Vernæ... rosæ.* Vid. plerosque locos modo citatos. Propert. III, eleg. 5, v. 21 : « Me juvat et multo mentem vincire Lyæo, Et caput in verna semper habere rosa. » Add. IV, eleg. 6, v. 72. Mart. V, 65; IX, 95, etc. — *Capiti fluxere.* Deciderunt e capite. Sic in Claudiani de rapt. Proserp. III, 126, suam Cereri calamitatem infausta portendunt signa : « ... nullusque dies non triste minatur Augurium. Quoties flaventia serta comarum Sponte cadunt! Quoties exundat ab ubere sanguis, Larga vel invito prorumpunt flumina vultu, Injussæque manus mirantia pectora tundunt! Si buxos inflare velim, ferale gemiscunt; Tympana si quatiam, planetus mihi tympana reddunt. Ah vereor, ne quid portendant omina veri! » Add. Nostri Herc. Œt. 833.

948. *Pingui...amomo.* De unguentis et aromatis quæ crinibus infundere veteres solebant, vid. Senec. de Ira, II, 33. Plin. XII, 13, etc. Horat. II, od. 3, v. 13; od. 7, v. 7; od. 11, v. 16; III, od. 14, v. 17 et 22; Art. poet. 375. Ovid. Heroid. ultim. 61. Tibull. III, eleg. 6, v. 63. Phædr. V, fab. 1, v. 12. Pers. III, 104. Mart. III, 12; V, 65, etc.

949. *Inter subitos stetit horrores.* Repentino horrore capilli subriguntur.

Digitized by Google

Imber vultu nolente cadit. 950
Venit in medias voces gemitus.
Mœror lacrimas amat assuetas;
Flendi miseris dira cupido est.
Libet infaustos mittere questus:
Libet et Tyrio saturas ostro 955
Rumpere vestes: ululare libet.
Mittit luctus signa futuri
Mens, ante sui præsaga mali.
Instat nautis fera tempestas,
Quum sine vento tranquilla tument.... 960
Quos tibi luctus, quosve tumultus

950. *Imber.* Lacrimæ. Ovid. Trist. I, eleg. 3, v. 18: «Imbre per indignas usque cadente genas.» — *Vultu nolente.* Profluunt lacrimæ, quamvis vultum meum a mœrore ad lætitiam traducere velim. Vid. supra v. 936. *Crébillon, Atrée et Thyeste*, act. IV, scen. III:

Un pouvoir inconnu me fait verser des pleurs.

951. *Venit*, etc. Inexspectati gemitus orationem intercidunt.

952. *Amat.* Sallust. Jugurt. 38: *Clamore, vultu, sæpe impetu, atque aliis omnibus, quæ ira fieri amat.*

955. *Tyrio.* Vid. sup. 345. — *Saturas ostro.* Ostro multo imbutas. Mart. VIII, 48: «saturatas murice vestes.» Claudian. in Ruf. I, 208: «Et picturatæ saturantur murice vestes.»

956. *Rumpere vestes.* Discindere. (Vid. Ovid. Art. am. III, 707.)

957. *Mittit... signa.* Virg. Georg. I, 229: «Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes.» Add. Nostr. Hipp. 82.

959. *Instat*, etc. Hunc animi dolorem, cujus causam ignorat, comparat Thyestes tempestati quæ sine vento surgit; quumque monstra soleant terribiliores calamitates portendere, et monstris annumerandæ sint tum tempestas sine ventis, tum anxietas sine causa, ideo gravissimum aliquid impendere sibi suspicatur. — *Fera tempestas.* Ovid. Trist. I, eleg. 1, v. 42: «Me mare, me venti, me fera jactat hiems.»

960. *Tranquilla.* Maria. Pro mari placido plerumque *tranquillum* usurpatur (vid. Senec. epist. 85. Liv. XXIV, 8; XXXI, 23. Plin. IX, 10. Nostr. Troad. 200, etc.), et hoc quidem loco aptissime adhibetur, in quo mare dicitur tumere, *quamvis vento non agitatum.*

961. *Quos tibi luctus*, etc. Rursus mœrorem suum Thyestes, ut intempestivum, damnat; mox autem (v. 965) ad infaustas cogitationes relabitur. In hac animi fluctuatione exprimenda totum Thyestæ carmen vertitur, quod artificio non caret et sinceris plerumque coloribus commendatur. — *Tumultus.* Perturbationes animi. Vid. Horat. II, sat. 3,

Digitized by Google

Fingis demens? credula præsta
Pectora fratri : jam quidquid id est,
Vel sine causa, vel sero times.
Nolo infelix; sed vagus intra 965
Terror oberrat; subitos fundunt
Oculi fletus, nec causa subest.
Dolor, an metus est? an habet lacrimas
Magna voluptas?

ATREUS, THYESTES.

ATR. Festum diem, germane, consensu pari 970
Celebremus : hic est, sceptra qui firmet mea,
Solidamque pacis alliget certæ fidem.
THY. Satias dapis me, nec minus Bacchi tenet.
Augere cumulus hic voluptatem potest,

v. 207. Lucan. VII, 183. Claudian. in Rufin. I, 20.

964. *Vel sine causa*, etc. Si nihil in te machinatur Atreus, vanus est tuus timor; si quid, serus. Metus igitur iste abjiciendus, quum periculum aut nullum sit, aut ineluctabile.

965. *Nolo*. Subaudi *timere*. — *Intra*. Intra pectus.

966. *Oberrat*. Claudian. in Rufin. II, 93 : « major oberrat Intra tecta timor. » Cf. sup. v. 473, et Herc. fur. 1193.

968. *Dolor, an metus est?* Ea in gallico interprete recentiori frustra quæras, quamvis ante illum sic reddiderit *Coupé*, in interpretando diligentior : *Est-ce douleur, ou pressentiment?* Dolorem inter et metum hoc discriminis est, quod doleamus præterita vel præsentia, futura autem et incerta metuamus. Petit igitur Thyestes an ex pristinorum malorum recordatione, an ex futurorum metu, an ex magna voluptate oriatur dira illa, quam compescere nequit, flendi cupido. — *Habet lacrimas*. Lacrimas elicit. Sic Petron. in Trojæ ἁλώσει, v. 16 : « In vota properant; fletibus manant genæ, Mentisque pavidæ gaudium *lacrimas habet*, Quas metus abegit. »

971. *Hic est*, etc. Hæc et sequentia Atrei verba ambigüe dicuntur, ut Thyestes credat firmari sceptrum propter reconciliatam fraternam caritatem, dum Atreus ipse expletam et absolutam ultionem significat. Vid. sup. 887.

974. *Augere cumulus*, etc. Hoc cumulum voluptati addere potest, si, etc. *Crébillon, Atrée et Thyeste*, act. V, scen. 6 :

Pour rassurer encor mes timides esprits,
Rendez-moi mes enfants, faites venir mon fils;
Qu'il puisse être témoin d'une union si chère,

Digitized by Google

Si cum meis gaudere felici datur. 975
ATR. Hic esse natos crede in amplexu patris:
Hic sunt, eruntque; nulla pars prolis tuæ
Tibi subtrahetur: ora, quæ exoptas, dabo,
Totumque turba jam sua implebo patrem.
Satiaberis, ne metue: nunc mixti meis, 980
Jucunda mensæ sacra juvenilis colunt;
Sed accientur. Poculum infuso cape
Gentile Baccho. THY. Capio fraternæ dapis
Donum. Paternis vina libentur deis,

Et partager, seigneur, les bontés de mon frère.
ATRÉE.
Vous serez satisfait, Thyeste; et votre fils
Pour jamais en ces lieux va vous être remis.

976. *Hic esse natos*, etc. Ironice loquitur Atreus, ita ut nulla verba adhibeat, nisi quæ et ad paternam pietatem et ad cœnam infandam poculumque quod paratum est, referri possint. Crede natos in amplexu esse (quos genitor in sinum uterumque demisit); hic sunt (nam partem voravit Thyestes), eruntque (nam sanguinem bibet, capitaque et manus et pedes spectabit): ora dabo (scilicet recisa capita), etc. Similiter *Crébillon, Atrée et Thyeste*, act. V, scen. 7:

.....Cependant je ne vois pas mon fils.
ATRÉE.
Il n'est point de retour? Rassurez-vous, mon frère;
Vous reverrez bientôt une tête si chère:
C'est de votre union le nœud le plus sacré;
Craignez moins que jamais d'en être séparé.

977. *Hic sunt*. In simili re Ovidius, Metam. VI, 652: « Intus habes quem poscis, ait. »

979. *Implebo*. Quod verbum utrique sententiæ parti convenit. Proprie Virgil. Æn. I, 219: « Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinæ. » Translate Val. Flacc. VII, 121: « comitum visu fruitur miseranda suarum, Implerique nequit. »

980. *Mixti meis*. Nunc cum liberis meis, Agamemnone et Menelao, juvenile convivium celebrant.

981. *Mensæ sacra... colunt*. Ita dictum, non solum quia sacra et religiosa habebantur convivia quæ pro sanciendo aliquo fœdere aut restituenda concordia celebrabantur, sed quod apud veteres Græcos convivari sacra res erat et diis immortalibus dicata. Jovi, Mercurio, Herculi et plerisque aliis numinibus gratiæ inter epulandum agebantur. (Vid. inter multos Homer. Odyss. III, 43 et sqq. Plutarch. Conviv. sept. sapient. § 17, etc.)

983. *Gentile*. Avitum. Sic in Virg. Æn. I, 733, Dido, Jovi, Baccho et Junoni libatura, pateram mero implet « Quam Belus et omnes A Belo soliti. » — *Fraternæ dapis*. Fraterni convivii. Tradit Servius ad Virg. Æn. I, 710, *dapes* regum esse, *epulas* privatorum: idem ad Æn. III, 224, *dapes* deorum esse, *epulas* ho-

Digitized by Google

Tunc hauriantur. Sed quid hoc? nolunt manus 985
Parere : crescit pondus, et dextram gravat.
Admotus ipsis Bacchus a labris fugit,
Circaque rictus ore decepto effluit.
En, ipsa trepido mensa subsiluit solo.
Vix lucet ignis. Ipse quin æther gravis 990
Inter diem noctemque desertus stupet.
Quid hoc? magis magisque concussi labant
Convexa cæli : spissior densis coit
Caligo tenebris, noxque se in noctem abdidit :
Fugit omne sidus. Quidquid est, fratri, precor, 995
Natisque parcat; omnis in vile hoc caput

minum, pronuntiat, justa utrinsecus distinctione.

985. *Sed quid hoc?* etc. *Crébillon, Atrée et Thyeste*, act. V, scen. 7 :

Mais que vois-je, perfide? Ah! grands dieux, quelle horreur!
C'est du sang! Tout le mien se glace dans mon cœur.
Le soleil s'obscurcit; et la coupe sanglante
Semble fuir d'elle-même à cette main tremblante.

988. *Circaque rictus ore*, etc. Os apertum fallit, hinc inde effluens.

990. *Ignis*. Intelligunt Delr. et Farnab. et cum illis Gallici interpp. ignem « cænationi adhibitum, obsoniis subjectum », ignem domestici foci. Potius forsan significari putandum lucernarum flammam. Vid. sup. v. 908. Ignis autem ille, qualiscunque sit, ad similitudinem solis pallescit, universi stuporis particeps. — *Gravis*. Propter spissiores tenebras.

991. *Inter diem noctemque*, etc. Æthera enim deseruerant et diurnus sol et nocturna sidera : neque nox est neque dies : novæ et feraleſ tenebræ æthera implevere, quibus gravatus *stupet*, sive *stupet* pro *torpet* accipias, sive credas illum stupere et mirari, quod suis facibus diurnis et nocturnis orbatus sit.

993. *Convexa cæli*. Virg. Æn. IV, 451 : « tædet cæli convexa tueri. »

994. *Noxque se in noctem*, etc. Tanta est tenebrarum densitas, ut ipsa nox obscuriore alia nocte condi videatur. Simile aliquid legitur in Ovid. Metam. XI, 521, « Cæcaque nox premitur tenebris hiemisque suisque »; et v. 549 : « Inducta piceis e nubibus umbra Omne latet cælum, duplicataque noctis imago est. » Nost. Agamemn. 472 : « Nec una nox est : densa tenebras obruit Caligo. »

996. *Omnis in vile*, etc. Optat Thyestes, ut quidquid mali imminet propria clade redimat. Sic Lucan. II, 306 : « O utinam cælique deis Erebique liberet Hoc caput in cunctas damnatum exponere pœnas! »

Digitized by Google

Abeat procella. Redde jam natos mihi.
ATR. Reddam, et tibi illos nullus eripiet dies.
THY. Quis hic tumultus viscera exagitat mea?
Quid tremuit intus? sentio impatiens onus, 1000
Meumque gemitu non meo pectus gemit.
Adeste, nati! genitor infelix vocat:
Adeste! visis fugiet hic vobis dolor.
Unde obloquuntur? ATR. Expedi amplexus, pater:
Venere. Natos ecquid agnoscis tuos? 1005
THY. Agnosco fratrem. Sustines tantum nefas
Gestare, Tellus? non ad infernam Styga
Te nosque mergis, rupta et ingenti via
Ad chaos inane regna cum rege abripis?
Non tota ab imo tecta convellens solo 1010
Vertis Mycenas? Stare circa Tantalum
Uterque jam debuimus: hinc compagibus

1001. *Meumque*, etc. *Crébillon*, *Atrée et Thyeste*, act. V, scen. 5:

De son fils tout sanglant, de son malheureux fils,
Je veux que dans son sein il entende les cris.

1004. *Unde obloquuntur?* Audit natos intus obstrepentes; sed male conscius circumspicit, quæritque unde voces illæ emittantur. — *Expedi*, etc. Paulisper egressus Atreus, dum frater pectoris gemitus et viscerum trepidationem secum miraretur, redit nepotum suorum capita pedesque manusque afferens, quæ fratri ostentat.

1006. *Agnosco fratrem.* Verbum felicissimæ brevitatis, quod *Crébillon* arripuit, act. V, scen. 8:

ATRÉE.
Méconnais-tu ce sang?
THYESTE.
Je reconnais mon frère.

— *Sustines*, etc. *Crébillon*, act. V, scen. 8, hunc quoque Nostri locum Gallico versu expressit:

O Terre, en ce moment peux-tu nous soutenir?

1008. *Te.* Nempe partem istam telluris tanto parricidio conscleratam; quod explicant sequentia. —*Rupta et*, pro *nec rupta.*—Viam rumpere est magno impetu viam facere, per vim aperire. Inter multos qui hanc dicendi formam usurpaverunt, confer præsertim Virg. Æn. X, 372; Sil. IV, 196; XV, 782; Stat. Theb. VIII 468, etc., etc.

1009. *Inane.* Vid. Virg. Æn. VI, 269. Ovid. Fast. IV, 600; Metam. XI, 670. Stat. Theb. IV, 477.— *Regna cum rege.* Mycenas, Mycenarumque regem Atreum.

1011. *Stare*, etc. Jamdudum meruimus avo nostro Tantalo supplicii participes accedere. De Tantalo ejusque pœna vid. supra notata ad v. 152.

Digitized by Google

Et hinc revulsis, si quid infra Tartara est
Avosque nostros, huc tuam immani sinu
Demitte vallem, nosque defossos tege 1015
Acheronte toto : noxiæ supra caput
Animæ vagentur nostrum, et ardenti freto
Phlegethon arenas igneus tortas agens,
Exitia supra nostra violentus fluat.

1013. *Si quid infra Tartara est*, etc. Claudian. in Rufin. 53 : « vacuo mandate barathro Infra Titanum tenebras, infraque recessus Tartareos, nostrumque chaos, qua noctis opacæ Fundamenta latent, penitusque immersus anhelet. » Ad Nostri locum Gronovius : « Dicit primum meruisse se et fratrem cum avo inter parata æternum esurire ac sitire. Dein non contentus hac pœna, infra ipsos inferos vult eosdem amandari. Hic est locus ille imaginarius, quem in Hercule furente (v. 93), *ultra nocentum exsilia*, et (v. 1224) *exsilium ulterius Erebo*, vocat; in Phœnissis quoque (v. 145), *et si quid ultra Tartarum est*. Stat. Theb. VIII, 15 : « et si quos procul inferiore barathro Altera nox, aliisque gravat plaga cæca tenebris. » Habent a patre poetarum, Iliad. VIII, 13 : « Ἤ μιν ἑλὼν ῥίψω ἐς Τάρταρον ἠερόεντα, Τῆλε μάλ', ᾗχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον, Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδὸς, Τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης. » ..... *Tartara* ait *avosque nostros*, quia hos, quæ inferos faciebat fabula, etiam ponebat in inferis. Tantalum enim ipsum intelligit per enallagen numeri. *Vallem immani sinu* appellat inane vel immensum vacuum sub Tartareo inani. » At de Gronovii emendatione, *emitte vallem* pro *demitte vallem* substituentis, videantur Animadverss. nostræ.

1015. *Demitte*. Hoc est, in altum excava. — *Vallem*. Gurgitem. — *Tege*, etc. Nos, hominum deorumque pudorem, sub ipso Acheronte penitus dejice et contumula, ita ut infernum illud flumen undas suas supra nos volvat. De Acheronte vid. Herc. fur. 714.

1016. *Noxiæ supra*, etc. Inferiores nos nocentium umbris deprime.

1017. *Ardenti freto*, etc. Vid. sup. v. 73.

1018. *Arenas..... tortas agens*. Ea torquere dicitur flumen, quæ violento trahit impetu et torrenti cursu volvit. Virg. Georg. III, 254, « Flumina correptos unda torquentia montes, » et ibid. 350 : « torquens flaventes Ister arenas. » Id. Æn. VI, 550 : « Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa. »

1019. *Exitia supra nostra*. Interpretatur Baden. *exitia*, tanquam scriberetur *nos exitiosos*, *perniciosos*. Ego contra arbitror dictum *exitia nostra* pro *nos exitio traditos*. Hæc loquendi forma audacissimæ brevitatis Nostri ingenium quam

Digitized by Google

Immota Tellus, pondus ignavum jaces? 1020
Fugere Superi. ATR. At accipe hos potius libens
Diu expetitos. Nulla per fratrem est mora;
Fruere, osculare, divide amplexus tribus.
THY. Hoc fœdus? hæc est gratia? hæc fratris fides?
Sic odia ponis? non peto, incolumes pater 1025
Natos ut habeam : scelere quod salvo dari
Odioque possit, frater hoc fratrem rogo,
Sepelire liceat : redde, quod cernas statim
Uri : nihil te genitor habiturus rogo,
Sed perditurus. ATR. Quidquid e natis tuis 1030
Superest, habebis : quodque non superest, habes.
THY. Utrumne sævis pabulum alitibus jacent?
An belluis servantur? an pascunt feras?

maxime redolet, nec omnino exemplorum auctoritate caret. Dixit Cic. pro Mil. 2, *pascere aliquem omnibus exitiis*, et Virg. Æn. VII, 128, *hæc nos suprema manebant Exitiis positura modum*, pro *calamitatibus et miseriis nostris modum positura.*

1020. *Immota Tellus*, etc. Et tu, Tellus, jaces immota, dum fugiunt sidera et ipsi dei! (Vid. supra ad v. 893).

1021. *At accipe*, etc. « Quum diras sibi et fratri diceret Thyestes, ait Gronovius, Atreus gavisus ejus dolore, placidi instar et nihil commoti, *Omitte*, inquit, *male ominari, et potius illos caros desideratosque tradente fratre libens accipe.* »

1022. *Nulla per fratrem*, etc. Non te prohibet frater expetito liberorum tuorum complexu. Terent. Andr. act. II, scen. 6, v. 9 : « Neque istic, neque alibi tibi usquam erit in me mora. » Id. Andr. act. III, scen. 7, v. 14 : « Nunc per hunc nulla est mora. » Virg. Bucol. III, 52 : « Quin age, si quid habes: in me mora non erit ulla. »

1023. *Divide amplexus.* Horat. I, od. 36, v. 5 : « Caris multa sodalibus, Nulli plura tamen dividit oscula. . . . . »

1026. *Scelere quod salvo.* Scelus absolvisti; implevisti odium : non peto ut in fratris gratiam aliquid de his remittas, quod cæteroquin petere serius esset; sed integro scelere et integro remanente odio, trade saltem liberorum corpora, quæ sepeliam, quæ coram te flammis cremem : non a te rogo quæ habeam, sed quæ aboleam.

1031. *Habebis.* Quod superest, nempe capita, manus pedesque, penes te erit, nec quisquam tibi auferet. — *Quodque non superest, habes.* Habes in utero, a te voratum. Sic Ovid. sup. citatus, Metam. VI, 655 : « Intus habes, quod poscis, ait. »

Digitized by Google

ATR. Epulatus ipse es impia natos dape.
THY. Hoc est, deos quod puduit! hoc egit diem 1035
Aversum in ortus! Quas miser voces dabo,
Questusque quos? quæ verba sufficient mihi?
Abscissa cerno capita, et avulsas manus,
Et rupta fractis cruribus vestigia.
Hoc est, quod avidus capere non potuit pater. 1040
Volvuntur intus viscera, et clausum nefas
Sine exitu luctatur, et quærit viam.
Da, frater, ensem; sanguinis multum mei
Habet ille : ferro liberis detur via.
Negatur ensis? pectora illiso sonent 1045

1034. *Epulatus ipse es... natos.* Sæpius absolute usurpatur verbum *epulari*, aut cum ablativo, ut in Virg. Æn. III, 224 : « dapibusque epulamur opimis ».

1035. *Hoc est*, etc. Ideo fugere dei, et sol ad ortum retrocessit.

1039. *Rupta... vestigia.* Pedes a cruribus distractos. *Vestigium* quoque pro *pede* in Catulli Nupt. Pel. 162 : « Candida permulcens liquidis vestigia lymphis ».

1040. *Hoc est, quod*, etc. Intelligit Farnabius, « En illæ dapes, quas vix capiebam », et ea respicere arbitratur ad v. 781, *sæpe præclusæ cibum tenuere fauces.* Ego contra referenda opinor ad supp. *Abscissa cerno capita*, etc. ita ut sic locum interpreter : Cerno abscissa capita, avulsas manus, resecatos pedes : hæc sunt, quæ pater, licet avidus, non potuit vorare. Viscera autem eorum in stomacho meo volvuntur, etc. » Sic supra v. 1030, Atreus : « Quidquid e natis tuis Superest, habebis; quodque non superest, habes. »

1041. *Volvuntur intus.* Jactantur in meo pectore. — *Clausum nefas.* Id est, nefandæ carnes corpore meo inclusæ.

1042. *Sine exitu luctatur.* Frustra luctantur viscera natorum, ut exitum sibi faciant.

1043. *Da, frater, ensem*, etc. Da mihi, Atreu, hunc tuum gladium, quo jam liberos meos jugulavisti, ut eo in alvum adacto, quidquid voravi, cum vita emittam. Sic Ovid. Metam. VI, 663, de Tereo eadem passo : « Et modo, si possit, reserato pectore diras Egerere inde dapes semesaque viscera gestit : Flet modo, seque vocat bustum miserabile nati. » — *Sanguinis multum*, etc. Hunc ensem jam multum mei sanguinis tinxit : *mei sanguinis*, quia nati parentum sanguis dicuntur. Virg. Æn. VI, 836 : « Projice tela manu, sanguis meus. »

1045. *Negatur ensis?* Atreus enim necem petentibus abnuit. Vid. sup. vv. 246 et 247, et ibi notas. — *Pectora*, etc. Sese Thyestes hortatur ad plangenda viscera (de plan

Digitized by Google

Contusa planctu.... Sustine, infelix, manum;
Parcamus umbris. Tale quis vidit nefas?
Quis inhospitalis Caucasi rupem asperam
Heniochus habitans? quisve Cecropiis metus

ctu, vid. notata nostra ad Herc. fur. 1100): nam sperat fore ut verbera negati ferri locum impleant, et illisum dilaniatumque pectus exitum liberis præbeat.

1046. *Sustine, infelix, manum.* Sed potius, Infelix, manum contine: umbris tuorum parce. *Sustine* pro *cohibe*, ut in Ovid. Fast. V, 301: «Sæpe Jovem vidi, quum jam sua mittere vellet Fulmina, ture dato sustinuisse manum.» Hæc sententia Thyestem quam maxime decet, et aptissime cum antecedentibus et sequentibus, sic accepta, cohæret. Attameu Heinsio ex MS. suo placuit eam tribui Atreo, tanquam ille crudeli dicterio fratrem moneret, ne liberorum manes turbare velit, in isto sepulcro tam placide quiescentes. Botheus quoque hanc personarum dispositionem arripuit, notans *infelix* hoc loco idem sonare ac *malus* aut *scelestus*, ut in Plaut. Cist. act. IV, sc. 2, v. 17; Terent. Phorm. act. II, sc. 3, v. 80; Hor. II, od. 4, v. 17. Addit non esse quod credamus «serio putare Thyestem, planctu offendi suo filiorum animas.» Nobis contra omnino digna genitore pietas videtur, si suorum reliquias, qualescunque sint, ferro aut manibus violare vereatur. Hoc primum: sed præter id, quis non fateatur torqueri verbum *infelix*, ut Heinsii sententiæ accommodetur? quod quidem sæpe pro *malus* adhiberi potuit, nunquam autem in tali loquendi forma, *Sustine, infelix, manum.* Denique si diverbium fieri voluerit poeta, in iis quæ reponit Thyestes, *Tale quis*, etc., nonne aliquid jure desideraretur, quod ad Atrei σαρκασμὸν, ut Both. vocat, respiceret, aut etiam ad consilium, nuper tam certum et statutum, *dandi liberis ferro aut planctu viam?*

1047. *Parcamus umbris.* Umbras ideo memorari contendit Delrio, quod hæ insepulta corpora comitentur; sed nihil opus est tanta subtilitate; *umbris* usurpatur pro *mortuis*. Sic Virg. Æneid. III, 41: «Quid miserum, Ænea, laceras? jam parce sepulto.»

1048. *Inhospitalis Caucasus.* Caucasus mons, non modo altitudine, sed etiam sua asperitate et crudelitate incolarum famosus fuit; ideo inhospitalis appellatur. Vid. Horat. I, od. 22, vers. 6, epod. I, 12. Nostr. Med. 43. — *Rupem asperam.* Virg. Æn. IV, 367: «duris... cautibus horrens Caucasus.»

1049. *Heniochus.* Plures fuere in Asia hujus nominis populi, omnes feritate noti. Valer. Flacc. VI, 43: «Heniochosque truces.» De his vid. Plin. VI, 4 et 5. — *Cecropiis metus*, etc. Procrustes latro fuit, omni Atticæ (quæ a Cecrope, primo Athenarum rege, Cecropia dicebatur) formidatus: hunc Theseus interfecit. De istius sævitia Hygin. fab. 38: «Ad hunc hospes quum venisset, si longior erat, minori lecto proposito, reliquam corporis

Digitized by Google

Terris Procrustes? genitor en natos premo, 1050
Premorque natis! Sceleris est aliquis modus?
ATR. Sceleri modus debetur, ubi facias scelus,
Non ubi reponas. Hoc quoque exiguum est mihi.
Ex vulnere ipso sanguinem calidum in tua
Diffundere ora debui, ut viventium 1055
Biberes cruorem. Verba sunt iræ data,
Dum propero : ferro vulnera impresso dedi,

partem præcidebat : sin autem brevior statura erat, lecto longiori dato, incudibus suppositis extendebat eum, usque dum lecti longitudinem æquaret. »

1051. *Premorque natis*. Quippe qui viscera mea torqueant. — *Sceleris est aliquis*, etc. Nonne suus quoque sceleribus finis est?

1052. *Sceleris modus*, etc. Respondet Atreus aliud esse si scelera prior admittas, aliud, si acceptas injurias ulciscaris; debuisse Thyestem criminibus modum ponere; sibi autem immodice sæviendum. *Crébillon, Atrée et Thyeste*, act. V. scen. 5 :

Il faut un terme au crime, et non à la vengeance.

Huic sententiæ cognata sunt quæ Euripid. in Ione, v. 1045 : « Τὴν δ' εὐσέβειαν, εὐτυχοῦσι μὲν, καλὸν Τιμᾶν, ὅταν δὲ πολεμίους δράσαι κακῶς Θέλῃ τις, οὐδεὶς ἐμποδὼν κεῖται νόμος. »

1053. *Reponas*. Scelus pro scelere reddas. Senecæ, de Ira, I, 3, *Iram esse cupiditatem doloris reponendi;* II, 28 : *Cogitemus, alios non facere injuriam, sed reponere.* — *Reponere* enim est rependere, debita solvere. Idem, de Benef. IV, 32 : *Quid cuique debeam, scio. Aliis post longam diem repono, aliis in antecessum.* — *Hoc quoque*, etc. Quantacunque admiserim, leviora mihi videntur nec odium implevere.

1056. *Verba sunt iræ data*. Nimium festinando, iram meam fefelli, fraudavi. Nam sæpe *verba dare* opponitur *facto*, et pro inani promissione adhibetur, unde sensum ducit verborum *decipere, circumvenire;* quod explicat Gell. XVII, 2 : *Verba Cominium dedisse Gallis dicit, qui nihil quidquam cuiquam dixerat : neque enim eum Galli, qui Capitolium obsidebant, ascendentem aut descendentem viderant. Sed* verba dedit *haud secus posuit quam si tu dicas latuit atque obrepsit.* Hæc locutio Senecæ usitatissima. Epistol. 32 : *Verba dare non potes : tecum sum.* Epist. 49 : *Prospicienda tantum et a limine salutanda, in hoc unum, ne verba nobis dentur.* Ep. 88 : *An Penelopa impudica fuerit, an verba sæculo suo dederit.* Add. Terent. Andr. act. I, scen. 3, vers. 6. Cic. ad Attic. XV, 16. Nep. in Annib. 5.

1057. *Ferro vulnera*, etc. Infandæ cædis singula recenset Atreus; quæ omnia jam descripta legimus v. 721 et seqq. In hac autem narratione ideo immoratur, ut patri acriores doloris stimulos in animum infigat. Nexum tamen sen-

Digitized by Google

Cecidi ad aras, cæde votiva focos
Placavi, et artus corpore exanimo amputans,
In parva carpsi frusta, et hæc ferventibus 1060
Demersi ahenis; illa lentis ignibus
Stillare jussi; membra nervosque abscidi
Viventibus, gracilique trajectas veru
Mugire fibras vidi, et aggessi manu
Mea ipse flammas : omnia hæc melius pater 1065
Fecisse potuit; cecidit incassum dolor :
Scidit ore natos impio, sed nesciens,
Sed nescientes. THY. Clusa litoribus vagis
Audite maria! vos quoque audite hoc scelus,
Quocunque, dii, fugistis! audite, inferi! 1070
Audite, terræ! Noxque Tartarea gravis
Et atra nube, vocibus nostris vaca!
Tibi sum relictus; sola tu miserum vides,

tentiarum ne mittas cave : « Iram meam fefelli, dum festino : vulnera quidem ferro impresso dedi; cecidi ad aras, etc.; sed hæc omnia melius pater fecisset. »

1058. *Cæde votiva.* Cæde, ad quam faciendam voto me obligaveram. Ovid. Heroid. XXI, 93 : « Dumque parens aras votivo sanguine tingit. » — *Focos placavi.* I. e. Lares ad focum positos placavi, promissam hostiam reposcentes, nec iram suam prius posituros, quam perfectum sacrum vidissent.

1059. *Artus corpore,* etc. Vid. sup. 760 et seqq.

1066. *Cecidit incassum dolor.* Dolor meus et ultionis cupiditas in vanum cecidere. Plaut. Pœn, act. I, scen. 2, v. 147 : « Omnia incassum cadunt. » De verbo *dolor* pro *vindictæ cupiditas* usurpato, vid. sup. 2-4.

1067. *Nesciens . . . nescientes.* Nesciebat Thyestes quibus vesceretur dapibus, et nescientibus, i. e. mortuis tantum filiis implebatur.

1068. *Litoribus vagis.* Litora enim propter innumerabiles sinus hinc inde vagari videntur, modo procurrentia, modo recedentia.

1070. *Quocunque... fugistis.* Sup. 1021, 893.

1072. *Vocibus nostris vaca.* Questibus meis attende. « *Vacare alicui rei,* inquit Forcellinus, non est operam dare, incumbere, sed vacuum esse, et tempus ac spatium habere ad aliquid faciendum, *aver tempo per attendere :* itaque ille dativus est communis commodi, non a verbo pendens. » Vid. Cic. de divinat. I, 6. Plin. III, epist. 5. Vell. II, 114. Sueton. in August. 45. Tacit. Ann. XVI, 22, etc.

1073. *Tibi sum relictus,* etc. Fu-

Digitized by Google

Tu quoque sine astris. Vota non faciam improba:
Pro me nihil precabor; ecquid jam potest 1075
Pro me esse? vobis vota prospicient mea.
Tu, summe cæli rector, ætheriæ potens
Dominator aulæ, nubibus totum horridis
Convolve mundum; bella ventorum undique
Committe, et omni parte violentum intona; 1080
Manuque, non qua tecta et immeritas domos
Telo petis minore, sed qua montium
Tergemina moles cecidit, et qui montibus
Stabant pares gigantes, hæc arma expedi,

git sol, fugere nocturna sidera; tibi, Nox Tartarea, tibi relinquor; sola tu ades miseriarum mearum testis.

1074. *Tu quoque*, etc. Nam quibus aliquantisper superorum cælum, iisdem Tartara sideribus semper et in æternum carent. Hæc cum præcedentibus connecte: ideo enim Nox Tartarea videre Thyestem potest, quod astris destituitur quæ ad illius adspectum fugiant.—*Vota*, etc. H. e. nihil non æquum precabor; legitima vota concipiam, nempe ut me fratremque, vel me unum, dei, tollatis. Hoc loco *improba* ponitur pro *injusta, non impetranda*. Non debuit igitur novissimus interpres sic reddere: *Je ne t'adresserai point les vœux d'un méchant.*

1076. *Vobis vota*, etc. O dii, vobis, vestræ famæ precibus meis consulam: nihil enim aliud a vobis deposco, quam debitum tanto sceleri supplicium. — *Prospicient*. Sic sæpe cum dativo hoc verbum usurpatur, et *consulere, providere* significat. Cic. Catil. IV, 2: *Consulite vobis, prospicite patriæ.*

1079. *Convolve mundum*. Cælum nubibus involve. — *Bella ventorum*, etc. Venti ventis contrarii debacchentur.

1080. *Violentum*. Adverbialiter positum pro *violente*.

1081. *Manuque*, etc. Ad mittenda fulmina, hanc manum et robur illud adhibe, quibus giganteas iras repressisti, montesque montibus impositos dejecisti, non quibus leviora vulgo tela in domos innocuas dirigis: tona violentius quam soles. — *Immeritas domos*. Etenim in solitis tempestatibus non sceleratos fulmen sibi eligit, sed etiam innocentes percutit, et in obvia quælibet ruit tecta, nullo habitantium discrimine. Vid. Lucret. II, 1104.

1083. *Tergemina moles*. Pelion, Ossa et Olympus. Vid. Herc. fur. v. 970.

1084. *Arma expedi*. Arma vel tela expedire notissima locutio est, et vulgo significat arma parare, rapere ad præliandum. Vid. Liv. XXXVIII, 25. Cæs. bell. Gall. VII, 18. Tacit. Ann. II, 79. Virg. Æn. IV, 592. Valer. Flacc. VIII, 302. Hic autem, quum de fulminibus agatur,

Digitized by Google

Ignesque torque : vindica amissum diem : 1085
Jaculare flammas; lumen ereptum polo
Fulminibus exple. Causa, ne dubites diu,
Utriusque mala sit; si minus, mala sit mea.
Me pete; trisulco flammeam telo facem
Per pectus hoc transmitte : si natos pater 1090
Humare, et igni tradere extremo volo,
Ego sum cremandus. Si nihil Superos movet,
Nullumque telis impios numen petit,
Æterna nox permaneat, et tenebris tegat
Immensa longis scelera : nil, Titan, queror, 1095
Si perseveras. ATR. Nunc meas laudo manus,

emittere, jacere, accipiendum cum Badenio crediderim. Horat. I, od. 8, v. 12 : «Sæpe disco, sæpe trans finem jaculo nobilis expedito.»

1085. *Ignesque torque.* Virg. Æn. IV, 208 : «Quum fulmina torques.» — *Vindica*, etc. Farnab. explicat *compensa*, nempe absentis Phœbi vicem fulguribus supple, cælum obscuratum fulmine illustra : sed hanc sententiam a sequente tantum versu incipere arbitror ; nunc nihil aliud vult Thyestes quam ut ii plectantur qui solem abire coegerunt : «Nos, inquit, intempestivæ noctis auctores afflige, et violatas propter scelus nostrum naturæ leges ulciscere.»

1087. *Fulminibus exple.* Sint loco solis fulmina et lucem faciant. — *Causa*, etc. Me pariter ac fratrem scelestos et pœna dignos habeas : non tibi hærendum, nec eligendus est utrum fulmine percutias; ambo enim necem meruimus. Cf. Med. 534 et seqq. Prave gallicus interp. *Levée : Ne balancez pas entre les deux coupables; que je le sois ou non, me voici; frappez*, etc. Neque enim soli sibi fulmen imprecatur Thyestes; fratrem quoque leto devovet; sed si accidere queat ut parcat Jupiter Atreo, nihilominus necem sibi flagitat Thyestes.

1089. *Trisulco.* Fulmen trifidum fingebant. Ovid. Metam. II, 848 : «Ille pater rectorque deum, cui dextra trisulcis Ignibus armata est.» Add. eumd. in Ibin, 471, etc.

1091. *Humare.* Exstincto enim patre, cum illo sepelientur. — *Igni ... extremo.* Intellige rogos quibus Græci defunctorum cadavera imponebant.

1093. *Nullumque*, etc. *Crébillon*, act. V, scen. 8 :

Grands dieux, pour quels forfaits lancez-vous le tonnerre ?

1095. *Immensa.* Immodicum scelus nocte immodica contegatur. — *Nil*, etc. Non intellige cum Gallic. interpretibus : «Si sol latere perseverat, nihil de ipso perseverante querar.» Sed potius locum sic accipe : «Nihil jam de sorte mea querar, si nox illa in æternum producitur.»

Digitized by Google

Nunc parta vera est palma. Perdideram scelus,
Nisi sic doleres. Liberos nasci mihi
Nunc credo, castis nunc fidem reddi toris.
THY. Quid liberi meruere? ATR. Quod fuerant tui. 1100
THY. Natos parenti! ATR. Fateor, et, quod me juvat,
Certos. THY. Piorum præsides testor deos.
ATR. Quid? conjugales? THY. Scelere quis pensat scelus?

1097. *Perdideram scelus.* « Non, ut Farnabius, inquit Schrœderus, *delectationem ex scelere;* sed vult hoc, *frustra admisissem tantum scelus.* Ovid. Amor. III, 11 : « Desine blanditias et verba potentia quondam Perdere. » Recte Schrœderus : *perdere scelus* dicitur, quemadmodum *operam perdere* sæpe in latinis scriptoribus, qui quod destinaverat non assequitur. Sen. Consol. ad Helv. 3 : *Perdidisti enim tot mala, si nondum misera esse didicisti.* De Ira, III, 23 : *Quædam in ipsum, quædam in uxorem ejus et in totam domum dixerat, nec perdiderat dicta.* — Locum enervat *Crébillon*, act. V, scen. 8 :

Par tes gémissements je connais ta douleur :
Comme je le voulais, tu ressens ton malheur,
Et mon cœur, qui perdait l'espoir de sa vengeance,
Retrouve dans tes pleurs son unique espérance.

1098. *Liberos,* etc. Non minorem ex tuo luctu lætitiam percipio, quam si mihi liberi nascerentur.

1099. *Castis,* etc. Nunc conjugii jura, quæ adulterio tuo corruperas, in integrum restituta mihi videntur; credo toros meos iterum castos fieri, et mutuam mariti in uxorem, uxoris in maritum fidem refici.

1100. *Quid liberi,* etc. Cf. Med. v. 932.

1101. *Natos parenti!* Subaudi, « comedendos dare ausus es! » Quis autem nescit in acriore quolibet affectu creberrimum esse ellipsis usum? — *Fateor,* etc. « Ita est, inquit Atreus; natos parenti vorandos apposui, et quod me juvat, nati illi ambiguæ originis non erant, sed vere tui. » Respicit Atreus ad filiorum suorum, Menelai et Agamemnonis, dubiam originem, quod eos pro certis non possit habere Thyesti oblique exprobrans : « At certi sunt, inquit, et vere tui, quos vorasti. » Si Hygino credas, Plisthenes non Thyestæ, sed Atrei filius fuit : « Thyestes, inquit fab. 86, Atrei filium Plisthenem, quem pro suo educaverat, ad Atreum interficiendum misit; quem Atreus credens fratris filium esse, imprudens filium suum occidit. » Vulgatam fabulam Noster secutus est, qua nulli ex Thyeste et Aerope nati ferebantur, licet, quæ alia mulier suos Thyesti liberos pepererit, non satis inter mythologos conveniat.

1102. *Piorum præsides,* etc. Tui sceleris testes et vindices deos invoco, quicunque cognatorum caritatem amoremque patrium curæ habent, et violata sanguinis jura ulciscuntur.

1103. *Quid? conjugales?* Cum ironia frater interrogat an numina testetur quæ conjugii fidem custodiunt : horum enim potentiam

Digitized by Google

ATR. Scio, quid queraris : scelere prærepto doles,
Nec, quod nefandas hauseris, tangit, dapes; 1105
Quod non pararis : fuerat hic animus tibi
Instruere similes inscio fratri cibos,
Et adjuvante liberos matre aggredi,
Similique leto sternere : hoc unum obstitit,
Tuos putasti. THY. Vindices aderunt dei : 1110
His puniendum vota te tradunt mea.
ATR. Te puniendum liberis trado tuis.

Thyestes corrupta in adulterium Aerope offenderat. — *Scelere*, etc. An scelera sceleribus rependenda sunt?

1104. *Scio quod queraris*, etc. Fingis te ob amissos filios lugere; sed hoc unum vere doles quod scelus *in medio positum* (v. 203) ego præoccupaverim.

1108. *Adjuvante ... matre*, Aerope. — *Liberos*. Meos.

1109. *Hoc unum*, etc. Nec illo scelere abstinuisses, nisi liberos, qui mei dicuntur, ex te forsan ortos veritus esses. Sup. v. 240.

1112. *Te puniendum*, etc. Thyestes enim infandæ cœnæ memoria sine fine cruciabitur.

Digitized by Google

NOVAE DE VARIETATE LECTIONUM IN THYESTEM ANIMADVERSIONES.

Ad hanc recognoscendam tragœdiam omnibus instructus auxiliis accessi, quæ ad emendandum *Herculem furentem* adhibueram (vid. p. 158), nisi quod defuerunt MS. 8264 et specimen novæ recensionis a Torkillo Badenio editum : horum auctoritatem duobus novis Bibliothecæ regiæ manuscriptis supplevi, qui numeris 6377 et 8263 signantur.

2. *Inferorum sede ab infausta.* MSS. et editt. vett. exhibent *Quis me furor nunc sede ab infausta*, quod facile intelligi queat, ut recte adnotavit Gronovius, interpretatus « quæ ira deorum », non vero « quo furore percita Megera »; Virgilii exemplo, qui Eurydicen inducit dicentem : « Quis et me miseram et te perdidit, Orpheu? Quis tantus furor? » Primus Lipsius ex MS. suo hodiernam lectionem *quis me inferorum sede ab infausta* extulit, quam parum efficaci, ut mihi videtur, argumento confirmat. Quum tamen Etruscus codex eamdem præferat, Lipsium et Gronovium sequor : sed animadvertendum existimo, ut lectio Lipsiana simpliciter et clarior dici potest, sic veterem magis esse poeticam et acriorem et melius cum sequenti versu *Quis male deorum*, etc. congruentem. — *Extrahit.* Præstat hoc lectioni quæ in plerisque Pariss. MSS. et in Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. editt. invenitur. *Extrahit* non tantum in MS. nostro 8033, sed etiam in Fabric. Delr. Scriv. Farnab. Thys. et editt. recentioribus. Botheus *abstrahit* tuetur, nec tamen in contextum recipit.

3. *Quis male deorum.* Quum *male* non intelligeret Gruterus, substitui jubebat *malevolorum*, quod tamen non multo aptiorem vulgata fatebatur. Emendabat Heins. *quisnam deorum.* Gronov. contra approbavit *male* quam optime adhiberi, modo ad *ostendit* referas; scilicet *male ostendere* poni

Digitized by Google

pro *in pœnam ostendere, inutiliter et magno cum pretio atque malo ostendere;* sic in Agamemn. 682, « tranquillo Male confisæ credunt iterum Pelago audaces. « Both. qui *visas* pro *vivas* reponit, *male* ad *visas* referendum censet, interpretans « domos quas vidisse adeo mihi funestum et miserum fuit. » Sed, quoniam *visas* non recipio, non operæ pretium sit dijudicare, quid virtutis habeant conjuncta verba *visas* et *male.* — *Vivas.* Primus contendit Heins. ineptum esse *vivas*, et pro *vivas domos*, quod non ferendum opinatur, legit *antiquas domos.* Refert Gronov. in Florent. reperiri *visas*, quod (licet fateatur a Nic. Heinsio *invisas* proponi) servandum affirmat; nempe dici *vivas domos* per hypall. pro *viventium domos;* sic Liv. lib. VI, *gregatim quotidie de foro addictas duci, et repleri vinctis nobiles domos, et ubicunque patricius habitet, ibi carcerem privatum esse.* Hæc Livii Botheus nihil ad rem facere arbitratur, neque dici posse *vivas domos* sicut *nobiles domos :* objurgat vehementer Gronovium, ut sibi male constantem, qui tum in multis aliis locis tum præsertim in primo emendando tragœdiæ versu omnia Florentini sui auctoritati postponat, et in hoc tertio versu optimam codicis sui lectionem omittat. Arripit igitur *visas*, quod interpretatur quasi scribatur *quis mihi ostendit cœli lucem jam antea mihi male,* id est, *infauste visam;* nempe *deorum* pro *cœli* accipiendum ut in Herc. fur. 585 et multis aliis. Nos autem, quæcumque congesserit Botheus, *vivas* retinemus, in plerisque MSS. et edd. inventum, rati id optime pro *vivorum domos* usurpari posse. Frustra objicitur alia et diversa esse *vivas domos* et *nobiles domos :* non inde sequitur, quod verbo *domos* non attribui possint quæ recte de eas incolentibus dici queant : *vivas domos* non displicet magis quam *castæ, tranquillæ, securæ, innocuæ domus.* Nec diffiteor *male* ab *ostendit* plus justo disjungi : at si *male* ad *visas* referatur, non multo commodius collocari judicabitur. *Deorum* quoque pro *cœli* accipi non negaverim; sed si *vivas* legeris, *domus* nullo alio verbo eget, quo definiatur. Denique adde quod *quis deorum* rectissime convenit cum infer. v. 13, *quisquis..... durus umbrarum arbiter,* etc.

8. *Differens.* Sic MSS. Pariss. 8027, 8028, et edd. Philol. Ascens. Avant. Fabric. Delr. Scriv. et recentiorum; melius quidem quam *deferens*, quod invenitur in Isoard. Ægid. et plerisque Pariss. Volebat Gruterus substitui *differar* aut *differat,* quoniam, ut putabat, non poterat repeti *venit,* quod adsociandum potius credebat voci *gestandus :* manifesto errore, nam nihil simplicius et latinius quam in seqq. subaudiri *venit.* Jure quoque interrogat Gronov. adversus Gruterum, quid fiat de versibus sequentibus, admisso *differet :* oporteat enim substitui *poscet* et *jacebit,* quæ respondeant præcedenti verbo *differet.* Vid. not. seq.

9. *Qui specu vasto patens.* Pro his reperio in plerisque MSS. meis, necnon in vett. edd. *semper accrescens jecur.* Lipsius utramque lectionem in MS. suo deprehendit : unde contendit Rapheleng. scribendum *qui specu vasto patens*, ratus additum *semper accrescens jecur* a glossographis qui hæc Nostri verba in Hipp. 1234, *Meumque pœnæ semper accrescat jecur*, meminerant. Raphelengianam lectionem respuit Delrio (1594),

Digitized by Google

quod *patens vasto specu* non sinceræ latinitatis æstimet : *jacens* saltem requiri arbitratur; sed vulgatam omnibus conjecturis anteponendam judicat, ut sensu et verbis aptissimam. Eam contra « ineptam nec cohærentem » pronuntiat Scaliger. Gronovius quoque vulgatam cum prægressis non consonare demonstrat : « Quæ enim, inquit, hæc connexio? Numquid Sisyphi lapis est mihi volvendus? rota Ixionis? aut jecur semper accrescens Tityi, quæ pœna illius est, pascit vulturem et reparat nocte, quod die perdidit, et sufficit iterum morsibus? Quis tantum non puer non videat hanc orationem esse stolidam, ineptam, male sibi respondentem? Cui non succurrat sequi aliquid debere, quo non simpliciter narretur, quid fiat Tityo, sed ostendatur dubitare ipsum Tantalum an sibi eadem pœna immineat? » Adversatur Schrœderus Gronovio, et hoc sibi favere putat, nempe quod in Ascensii editione legatur *pascet*, quo admisso intelligi potest *accrescens jecur ;* cæteroquin *vasto specu patens* languidum existimat. Optime vero respondet Schrœdero Botheus oportere scribatur non solum *pascet*, sed etiam *jacebit*,, et apte eos confutat qui credidere *præsens tempus* hoc loco adhibitum, ut velocior fieret oratio. Animadvertere quoque potuisset, ideo tantummodo languidum *specu vasto patens* Schrœdero videri, quod ea prave interpretatur. Vid. quæ notav. p. 214.

10. *Visceribus*. Omnes MSS. nostri cum vett. edd. Fern. Isoard. Ægid. Phil. Ascens. *vulneribus*. Intulisse videtur *visceribus* Avantius, quem secuti sunt Vian. Gryph. Petr. Fabric. Delr. Grut. Heins. et recentiores. — *Effossis*. Paris. 8026, *effusis*.

12. *Pabulum monstro*. Paris. 8028, *pabulo monstrum*.

14. *Supplicia functis*. Paris. 8260, *suppliciis functis*.

15. *Addi si quid ad pœnas potest*. MSS. et vett. edd. *adde si quid ad pœnas potes*, nisi quod Fern. Ægid. et MSS. nonnulli, inter quos Paris. 8025, habent *ad pœnam*. In Etrusco, *adde, si quid ad pœnas potest*, quod in textum admisit Bad. Sed insolita videtur dictio, quamvis ille Plauti, Terentii et Ciceronis exempla afferat. Melius Both. *Addi si quid ad pœnas potest*, quod Gronovius quoque legi volebat.

16. *Ipse*. In Isoard. *iste*.

18. *Quære*. Decem Pariss. cum edd. Fern. Isoard. Ægid. Philol. *quare*, sed nullo sensu.

22. *Pelopea*. Sic MSS. nostri 8026, 8029, 8260, et edit. Bothei. MS. 8035, *Pelopia*. In vulgatis editt. *Pelopeia*.

26. *Stringantur enses*. Etrusc. *stringatur ensis*. — *Ne sit*. Edd. Fern. Ioard. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Gruter. cum quatuor Pariss. *Nec sit*, quod et ferri queat. *Ne sit* in duobus MSS. Delrionis, pluribus Commel. et plerisque nostris.

29. *Nec vacet*. Volebat Gronovius scribi *neu vacet*, inutili emendatione.

33. *Repetantque profugos*. In duodecim Pariss. et edd. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Scriv. Farn. Thys. *repetatque profugos ;* ita ut sic locus dispungatur : « regna excidant, Repetatque profugos dubia violentæ

Digitized by Google

domus Fortuna reges. Inter incertos labet, etc. » Sed Senecæ ingenio propior altera lectio *repetantque profugos*, quam non Florent. tantum, sed Pariss. nostri 8026, 8029, 8031, 8035, 8260, 8261, et edd. Ascens. Avant. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commelin. Delr. Grut. et recent. exhibent. Frustra interrogavit Heins. an *regna repetunt profugos?* Frustra Schrœderus duriusculum judicat, si *regna profugos repetere* scribatur. Optime animadvertit Gronov. eodem jure, quo regna *excidere* regibus dicuntur, quibus auferuntur, eadem illos *repetere* posse dici, in quorum ditionem redeunt.

37. *Quum dabit.* Jac. Gronovii, Bipont. et Baden. editt. habent *dum dabit*, quod Pariss. quoque 8028 et 8033. Sed ad sensum multo commodius major pars librorum edit. vel manuscript. *quum dabit.*

41. *Natusque patrem.* Putabat falso Gruterus hæc dici de Oreste et Clytæmnestra, quod « sexus deterior masculino queat contineri ». Vid. not. pag. 218. Unde nullus est locus lectioni, quam ille introduci posse arbitrabatur, *natus parentem.*

47. *Levissimum sit : fratris*, etc. Cur maluerit Commelinus locum sic distingui *Levissimum sit fratris : et fas*, etc., non video, quod tamen probat Botheus, sed nulla allata probandi causa.

48. *Non sit.* Fern. et MSS. 6395 et 8025, *nec sit* : non ita male.

49. *Cur micant.* Omnes vett. edd. et plerique MSS., *quum micant*, quod Nic. Heins. retinebat, ut ad futurum spectans, et de tenebris diurnis, quas epulæ Thyesteæ fecerunt, dictum : « Tum fiat nox atra, quum sol medium cælum tenebit et quam clarissima lux splendebit. » Sed quomodo, hoc recepto sensu, interpretabere *stellæ?* Nam fulgente sole stellæ non apparent. Ut hoc vitium tollat Gronovius, proponit : « Quum micant polo servantque flammæ debitum mundo decus, nox alta fiat. » Sed nulla editionum aut manuscriptorum auctoritate nititur ea, quantumvis arguta, emendatio. Recipienda igitur Hug. Grotii conjectura *cur micant*, quæ Parisiensi nostro 8263 confirmatur, et hoc Bothei argumento, non semel *r* et *n*, rursusque *n* et *m* literas confundi in MSS. paulo vetustioribus. Noctu hæc agantur necesse est, ut Tantali umbra possit terras invisere. Vid. not. pag. 219. Porro optat Megæra præpropera quadam festinatione, ut jam nox densissima fiat et pereat ipse stellarum fulgor, quod, epulante Thyeste, accidet. Adeo avida est malorum Furia, ut jam velit omnia, quæ prævidet, evenisse, Thyestæ liberis Atreum necem maturavisse, genitorem suorum ipsum bibisse sanguinem, suorum carnem in stomachum ingessisse, et, propter horum novitatem, *excidisse diem cælo.*

51. *Nox atra.* In uno Commelini *nox alta :* sic quoque in Heins. edit. In Florent. *nox alia*, quod laudabat Nic. Heins. interpretans *nox duplex*, ut inf. 994, *noxque se in noctem abdidit.*

53. *Imple Tantalo totam domum.* Omnes MSS. et edd. ante Gronovium, *imple scelere Tantaleam domum.* Lectionem Florentinam omnes a Gronovio jure assumpserunt, ut acriorem et digniorem Senecæ.

54. *Columen.* Sic maxima pars MSS. et edd. Fabricius primum intulit

Digitized by Google

culmen, quod Commel. et Heins. ediderunt. Ex MSS. meis, duo tantum, 8028 et 8261, *culmen* exhibent: cæteri, *columen*, ut omnes Commelini et Delrionis.

59. *Ecquando tollet*, etc. Quatuordecim Pariss. et vett. edd. Fern. Ægid. Philol. *et quando*. — Quum Gronovius locum non satis commode interpretaretur, sic mutandum censebat, « Ecquando tollet? ignibus jam subditis spument ahena », interpretans « Ecquando liberos suscipiet? » Erat enim in fatis, ut Thyestes sceleste liberos amitteret (*nondum Thyestes liberos deflet suos*), scelestius rursum crearet ac tolleret, vel susciperet e filia (*Ecquando tollet?*). Gronovianam interpunctionem probaverunt Schrœderus, Both. et Baden. Sed Schrœd. et Both. referri volebant *tollet*, non ad incestum Thyestis, sed ad *patrui dextram*: « Cur dextra patrui vacat? Ecquando liberos tollet et occidet. » Sed interjectus vers. *Nondum Thyestes*, etc. ne hic admittatur sensus, mihi videtur vetare. Ipsum Gronovii sensum subtiliorem et longius petitum judico. Quamvis nihil habeam, quod omnino laudem, vid. quæ conjeci p. 220.

60. *Spumante aheno? membra*, etc. Lipsius melius distinctum pronuntiabat, si membra ad præcedentia remitteretur: «Ecquando tollet ignibus jam subditis spumante aheno membra? per partes, etc. », vana quidem et inutili emendatione. Gronovius et post illum Both. et Baden. Florentinam lectionem *spument ahena* laudavere. Vulgatam sequimur, omnibus MSS. et vett. editt. confirmatam, necnon poetæ sententiæ, ut interpretamur, optime accommodatam.

61. *Patrios*. Both. ex Jac. Gronov. in schedis Dietz. *patruos* anteposuit, quod raro in latinis scriptt. usurpatum (si exempla tantum annumeres, quæ sunt extra disceptationem), et ulla sine utilitate intrusum repudiamus.

66. *Potetur*. Paris. 8263 et editt. Fern. Isoard. Ægid. *petetur*.

67. *Fugeres*. Delr. Moguntinus, *fugies*.

70. *Carceris liceat mei*. Interrogat Both. « Quis fando audivit, *atri carceris cubile* esse Tantalo apud inferos? » et *mihi* pro *mei* substituit. Sed nonne *cancerem* appellare potest Tantalus inferorum partem, in qua detinetur cruciaturque? Adde quod *carceris*, si adjectivo destituatur, per se incertam et debilem sententiam faciat. Vulgatæ adhæreto.

71. *Videor*. Fern. Isoard. Petr. Ægid. (ad marg.) cum MSS. Pariss. 8029, 8261, 8263 *videar*; non male.

76. *Jamque venturi*. Lectio ex Florentino desumpta, et melior quam vulgata, *quique venturi*, propter repetitum *quisquis* vv. 75, 77, 79.

77. *Ruinam*. Fern. Isoard. Ægid. *ruinas*.

87. *Dirus*. Male in Fern. Isoard. Ægid. et Paris. 8263, *durus*.

90. *Avus nepotes*. Septem MSS. *avos, nepotes*.

91. *Nosterque*. Quinque Pariss. *nostrique*. Ægid. adversante metro *nostri*.

92. *Loquax*. Non spernenda fuit lectio, ante Gronovium omnibus vulgata, *loquar*, quam et plerique exhibent MSS. Hæc erat dispositio loci: «Ingenti licet taxata pœna lingua crucietur, loquar, Nec hoc ta-

Digitized by Google

cebo.» Neque erat in hac ejusdem sententiæ iteratione, *loquar, nec hoc tacebo*, quod mentem offenderet : nam *repetitio* cum affectibus Tantali consonat : decet dolorem illius et indignationem verborum accumulatio, quæ tumultuantes sensus et furentem animum verius exprimat : hinc *moneo, stabo, arcebo;* hinc et *loquar, nec hoc tacebo*. In tragœdia nostri Cornelii, cui titulus est *Nicomède*, simile aliquid legitur, act. I, scen. 1: *Trois sceptres à son trône attachés par mon bras Parleront au lieu d'elle, et ne se tairont pas.* Quæ a multis increpita ut his idem et iisdem prope verbis recinentia, a multis quoque defenduntur, quasi dicat *Nicomedes, Parleront au lieu d'elle, et parleront toujours*, loquentur, nec desinent loqui. In Nostro, *loquar, nec hoc tacebo* ne tali quidem defensione egeat, propter verbo *tacebo* junctum *hoc*, quo distinguuntur *loquar*, et *nec hoc tacebo*. Attamen *loquax* admisimus, quod optimum sensu non diffitemur, quodque in Etrusco et Vossiano repertum, habent quoque tres nostri Pariss. 8029, 8034, 8035.

94. *Violate cæde.* In vett. edd. *violata;* item in MSS. nisi quod nonnulli, ut Pariss. 8029, 8030, 8034, 8037, *violenta* habent. Lipsius jussit ex judicio tantum suo reponeretur *violate*, ut et infra, *aspergite*. Commelinus et Gruterus lectionem Lipsianam confirmaverunt, uterque unius MS. auctoritate, in quo certa indicia ejusdem lectionis invenerant. Animadvertit quoque Delrio (1594) eam editione vetustissima Bernardini corroborari, in qua *violatæ*. Lipsium Gronovius et recentiores secuti sunt, eo libentius, quod antiqua vulgata vix intelligatur.

95. *Aspergite.* Excepto Raphelengio, omnes ante Gronovium servaverant *violata... aspergat.*

96. *Tortos.* Sic Isoard. Ægid. Petr. Gryph. Fabric. Commel. Delr. Grut. Heins. Raphel. Scriv. Gronov. Bipont. Both. Bad. cum Pariss. nostris 8025, 8029, 8030 et 8031. In Fern. Phil. et Ascens. necnon in septem Pariss. *totos.*

97. *Infixam.* Both. reposuit *fixam*, quod in Fern. et Caiet. invenit, offensus insuavitate soni *infixam intimis :* fastidiosius, ut mihi videtur. *Infixam* et plus habet roboris, et plerisque in MSS. legitur. — *Intimis.* Fern. Ægid. Phil. Ascens. et sexdecim Pariss. *infimis.* Melior vulgata, et duobus Pariss. 8026 et 8263 confirmata.

98. *Agitas.* Cantabrig. cod. *accitas*, unde Pontanus conjiciebat *citas.* Multi quoque Pariss. et edit. Philol. *accitas.*

99. *Micat.* Quinque Pariss. *meat*, 6395, 8026, 8027, 8032, 8033.

100. *Sequor.* Ut versus constaret, placuit Grotio verbum *sequor* sequentibus sic adjungere : *sequor.* Meg. *Hunc furorem divide in totam domum*, quod probavere Fabric. Commel. Delr. Grut. Heins. Sed quum interjectio haud inelegans sit, et plerisque in MSS. et edd. reperiatur, non ausim quidquam mutare, Bothei verecundiam imitatus, qui nihil correxit, quamvis in Caiet. invenerit : *sequor.* Meg. *Nunc furorem*, etc. Optime credidisse mihi videtur hunc imperfectum versum iis assimilandum, qui et in Virgilio et in ipso Seneca occurrunt. Vid. Phœniss. 319, Hipp. 605. Troad. 1103. Nihil dicendum arbitror de Ægidio, qui *sequor*

Digitized by Google

sustulit, et de Ascensio, qui idem verbum præcedentibus adjunxit, deleto *micat*, hoc modo : *Flagrat incensum siti Cor, et perustis flamma visceribus : sequor* : uterque contra librorum fidem.

101. *Hunc, o, furorem.* Fern. Isoard. Ægid. Ascens. Avant. cum multis Pariss. *Nunc, o, furorem.* Occurrit primum *Hunc* in Philologo, quem secuti sunt Scriv. Farn. Thys. Gronov. Bipont. Both. Baden.

102. *Ferantur.* Heins. Farn. et Thys. *feratur.*

105. *Infernos.* Sex Pariss. et vett. edd. *inferos.* Pariss. 8029 et 8035, *infimos.*

106. *Tuum... pedem.* Omnes ante Lipsium, *tuo... pede.* «Elegantior, inquit ille, lectio scripta *tuum...pedem.* » Neminem tamen ante Gronovium, exceptis Delrione, Heinsio et Scriverio, huic lectioni adhæsisse arbitror.

114. *Longe remotos*, etc. Sic MSS. et vett. edd. Primus Delrio huic lectioni reclamavit, interrogans quo modo possit dici *latus*, si *Vicina vada gracili terra Isthmos dividat?* Recte respondit Gruterus « velle auctorem ita inhorruisse pelagum adventu Tantali, ut se subduxerit utroque latere aquis suis nudato, factasque ideo angustias ejus minus angustas (unde *latus*), plusculum hinc illinc apparente litoris». His suffragatur Gronovius, nisi quod *latus* a Seneca scriptum illi non satis liquet; *litus* enim Florentinus habet, et nequicquam adversantibus MSS. et editionibus, *litus* in contextum Gronovius, codicis sui observantior quam par est, recipi jubet; quod quum effici non posse putet, manente *remotos sonos*, substituit *remotis sonis*. Schrœd. *litus* adoptat, sed *remotos sonos* retinet, interpretans *litus* (recto casu), *quod fremit Isthmos* (per appositionem dictum) *fluctibus propinquis, longe remotos exaudit sonos*. Badenius, contra, Gronovii emendationem sequitur, quam hoc Statii exemplo, feliciter allato, confirmat : «Mitemque Corinthon Linquit, et in mediis audit duo litora campis. » Attamen antiquam lectionem restitui cum Botheo, qui recte ad hunc locum : «*Latus*, i. e. latus repente factus, refugiente utrinque mari. Nihil apertius. Male itaque Lipsius *lætus*, male Florent. lib. *litus*, utcunque id fovent Gronovius et Schrœderus, quos satius erat Grutero auscultare ». Restat ut explanem *longe remotos* : nam Isthmos, sive latus, sive exilis sit, sonum utriusque maris propius juxta exaudire videtur. Intellige sonum unius maris ab alterius sono removeri.

116. *Sacer.* Alii *sacras.*

119. *Argi.* Ascens. et Gryph. cum nonnullis MSS. *agri*, manifesto errore.

123. *Curribus.* Vett. edd. et multi MSS. habent *turribus.* Monuit Delr. (1576) in quibusdam membranis inveniri *curribus*, quod non omnino absurdum judicabat, si intellectum fuerit de Œnomai, Pelopis, et aliorum procorum curribus. Raphelengio placebat *cursibus*, propter certamina Olympica, quasi *curribus* pro *cursibus* usurpari poetice non possit. Contra adhæret Gruterus vulgatæ *turribus*, quæ «se tuetur, inquit ille, v. 406 infra : *Cyclopum sacras Turres* ». At ex eo quod defendi queat antiqua lectio, non inde sequitur alteram, sensu meliorem, negligendam. Grono-

Digitized by Google

vius in Florentino *curribus* invenit et probat; sed locum interpretatur, tanquam de victis curribus agatur regiam ornantibus; sic in Virg. *Captivi pendent currus*. Nos vero *domos* pro *loca*, et *Pisæis curribus* pro *ludis Olympicis* accipimus, aptius et cohærentius, ut nobis videtur: «Si quis de Superis amat Argos et loca Olympicis ludis insignita, i. e. Elidem, et Corinthi regna, et Taygeti conspicuas nives, etc.» Cæterum *curribus* non in Gronovio tantum et recentioribus reperimus, sed etiam in Scriverio et in Paris. codice 8055.

130. *Quem tangit*, etc. Hunc versum et sequentem uncis inclusit Botheus, falsa loci interpretatione. Vide quæ notavimus sup. p. 227.

132. *Et arceat, Alternæ*, etc. In Heins. Scriver. Farn. Thys. Gronov. Bipont. *alternas*. At elegantior altera lectio, et plerisque MSS. et edd. confirmata, quippe quam exhibeant viginti Pariss. et vett. excusi Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant, etc.

134. *Neu succedat*. Codd. et vett. edd. *nec succedat*.

135. *Et major placeat*. Scriv. Farn. Thys. *Majorum et placeat*. Hæc lectio e Scaligeri notis fluxit, qui vulgatam lectionem pro ridicula spernebat.

139. *Aut commune nefas*. Botheus hæc non intelligebat, et volebat substitui *ad commune nefas*, quod interpretabatur *contra commune nefas*, et contendebat ex Gellii exemplo, VII, 17, hoc sensu *ad* posse adhiberi. Sed quid simplicius et planius quam vulgata? «Non solum ex æquitate non actum est, sed etiam non satis visum est communia et vulgaria patrari scelera.»

140. *Deceptor domini*. MSS. et vett. edd. *deceptor dominæ*. Delrio, et Gronovius ex Florentino reponi *domini* recte jusserunt.

141. *Qua tulerat*. Nonnulli MSS. Commelini et nostri 6395 et 8034, cum edd. Fern. Ægid. Petr. ad marg. et Fabric. *quam tulerat*.

143. *Navibus*. Quidam libb. in margine et Ascens. *navitis*, quod glossema veræ lectionis Delrio judicabat.

147. *Divisuisque*. Prave Fabric. Raphel. et Commel. ex quibusdam membranis *divulsusque*.

149. *Prosequitur*. Philol. Petr. Gryph. et cod. 8032 *persequitur*.

150. *Hos æterna sitis*. Mogunt. Delrionis, ut et nostri 8032, 8036, 8261, et edit. Philologi, *os æterna sitit*.

152. *Vacuo gutture*. Paris. 8263, *vacuo gurgite*.

153. *Impendet*. Philol. et codd. quinque nostri *et pendet*.

155. *Gravidis*. Fern. Isoard. Ægid. et Pariss. 8029 et 8263, *gravibus*.

156. *Et curvata*. Delr. Scriv. Farn. Thys. cum MSS. 6395, 8029, 8030, 8033, 8035, *incurvata*. — *Tremens*. Paris. 8024, *premens*.

157. *Alludit*. In quibusdam MSS. necnon in Fabric. Raphel. et Commel. *illudit*, quod falso probabat Delrio (1594).

158. *Hæc quamvis*, etc. Jubebat Heins. substitui *nec*, quod tres quoque Pariss. 8028, 8034, 8261, et editt. Isoard. Petr. ad marg. Fabric. Delr. Farn. Thys. præferunt. Sed præstat vulgata. Vid. quæ notav. p. 230.

172. *Fluctus ore vocans*. Sic vett. edd. At Lipsius ex codice suo *petens*

Digitized by Google

extulit, quod vulgatæ longe anteponit : « nam captat sane identidem, inquit, non solum advocat laticem». Obliviscitur Lips. quid poetis concedatur, immo quid sermonem poeticum deceat. Commelin. contra *vocans* laudabat, quod interpretabatur *inhians* et *attrahens :* item Gruterus. At Gronovius, Florentini codicis ultra modum observans, admittit *petens*. De hac lectione Schrœderus : «Rectius *ore vocans*, quippe ἐμφατικώτερον quam *petens*, quod posterius sola Etrusci codicis reverentia, quasi non is compluribus in locis infelix lolium et steriles avenas pro frumento exhiberet, admissurum se testatur Gronovius. Vid. Virg. Georg. I, 388 : « *Tum cornix rauca pluviam vocat improba voce.* — *Profugus*. Jacob. Gronovius in schedis Dietz. proponit *refugus*.

173. *Sterili*. Cod. 8033, *celeri*.

Actus secundus.—*Atreus, Satelles*. «Non Cruserianus tantum, inquit Gronovius, sed et Florentinus, quum hic in inscriptione, tum per totum hoc colloquium, ubi et Vossianus, habet *satelles* et *sat*. pro illis *servus* et *serv*. Itaque non dubitavimus ita restituere. »

179. *Questibus vanis*. Cod. 8028 *questibus variis*.

180. *Iras? At Argos*, etc. Sic omnes MSS. nisi quod nonnulli *Iras, et Argos* habeant : sic et universæ edd. ante Gronovium. Huic autem placuit ex Etrusco substituere *Iratus Atreus? fremere jam totus tuis Debebat armis orbis, et geminum mare Utrinque classes agere : jam flammis agros Lucere*, etc. Quum autem ea lectio, unius codicis auctoritate nixa, sensu non præstet vulgatæ, miror quod Bipont. Baden. Both. illi adhæserint, ne notata quidem mutandi causa.

189. *Clade funesta*. Quinque Pariss. nostri *classe funesta*.

195. *Mallet*. Sic Florent. et duo codd. nostri 8031 et 8260. Plures *malit*. Fern. Isoard. cum MSS. 8262 et 8263, *velit*, adversante metro.

196. *Ecquid*. Vulgo *et quid*. Botheo omnino assentior, qui vim nullam in conjunctione esse judicat, et magis convenire *at*, sed præstare ἀσυνδέτως, more nostri Tragici, *ecquid*.

201. *Proin*. Sic Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Gronov. et recentiores. Fern. Ascens. Gryph. Petr. et plerique Pariss. MSS. ut Florentinus, *proinde*.

202. *Petatur ultro*. Cod. 8028, *petatur ultra*.

203. *Aut perdet*. Cod. 8026, *aut perimet*.

205. *Regni*. Cod. 8029, *regis*.

207. *Tam ferre quam laudare*. Sic Florentinus et Paris. cod. 8263. Ante Gronovium, *quam ferre tam laudare*, quod et in plerisque nostris reperitur MSS.

220. *In illo... in fratre*. MSS. 6395, *in isto*. Ascens. Gryph. ut Lugdun. Delrionis, *in illum... in fratrem*. Vid. quæ notav. p. 236.

221. *Quid... crimine*. Sic in plerisque MSS. nec quid expediat locum mutare video. Attamen in Fabric. Raphel. Commel. Heins. Farn. Thys. *quod... crimen*.

223. *Specimen antiquum imperii*. Pontanus ex Cruseriano suo legebat *specimen antiqui imperii*, afferens illud Phœniss. 184 : « Non te ut redu-

Digitized by Google

cam veteris ad specimen domus. » At quamvis Pariss. MSS. 8030 et 8035 eamdem lectionem præferant, recte mihi videtur *antiquum* ex Etrusco restituisse : melius enim speciminis quam imperii antiquitas hoc loco memoratur.

227. *Cujus*. In septemdecim Pariss. necnon in Fern. Ægid. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Commel. Delr. Grut. Heins. Raphel. Farn. Thys. edd. *hujus*, quod friget. *Cujus* in MSS. 8025, 8028, 8033 et in Isoard. Philol. Scriver. Gronov. et recentioribus. Both. quidem *cujus* admittit, sed versu sequenti vult reponi *hujus e tergo*, quod vix intelligatur, tot interjectis nominibus, quo posterius *cujus* referendum sit. Ego contra et *hujus* non minus hoc loco quam supra frigere arbitror, et ipsa ejusdem vocabuli iteratione sensum planiorem fieri, «Aries, cujus coma dependet, etc. cujus e tergo, etc. » — *Effuso*. MSS. et vett. edd. *infuso*. Occurrit primum *effuso* in Fabric. quem Raphel. Delr. Gronov. Bipont. Both. et Baden. secuti sunt.

229. *Tantalici*. Sic libb. Commel. et Delrionis. Lipsius malebat *Tantalei*, quod invenio in Pariss. 6395 et in Raphel. et Baden. edd.

230. *Hunc cunctæ domus*. Sic MSS. 6395, 8029, 8030, 8035; sic et edd. Gronov. et recentt. Alii *hunc tantæ domus*, sensu invalidius.

232. *Claudit*. Fern. Isoard. Ascens. Raphel. Grut. cum decem Pariss. *cludit*.

233. *Fatale saxeo*. Fern. Isoard. Philol. Ascens. cum septemdecim Pariss. *fatale sacro* : alii *fatale saxeo pecus muro*. Gronovius ex Etrusco scripsit *fatale saxeo pascuum muro*, notans, ne quis metri integritatem violari putaret, dixisse Virgilium pari synalœpha, «villis onerosum atque unguibus *aureis* » ; et alibi «optato conduntur Tibridos *alveo* », et «centum *ærei* claudunt vectes ».

237. *Erravi*. Septemdecim Pariss. et omnes vett. editt. *erravit*, de quo Gronovius : «Quem sensum habet? An Thyestes, exsul trepidus regnum meum occupavit? Hoc profecto non est *errare per regna*. Potius rescribe cum Florent. *erravi*.» Schrœderus, contra, vulgatam probat, duobus excusis et MS. Traject. confirmatam, ita ut de Thyeste, qui ablato aureo ariete, cum Aerope uxore Atrei fugerit, *erravit* intelligatur. Both. quoque : «Non audiendus, inquit, Gronovius, qui ex Florent. reposuit *erravi*, siquidem non Atreus regno pulsus est, sed ab Atreo Thyestes... sed restat aliud. Aufugit Argis Thyestes : quomodo igitur hoc loco Atreus? «Per regna trepidus exsul erravit mea ». Ocyus Poetæ redde suam manum : *Per regna trepidus exsul erravit. Mea Pars nulla generis tuta ab insidiis vacat*, etc. » Nos Florentinæ lectioni adhæremus, quia, admissa altera, laborat admodum sensus et rerum connexus. Quid enim sapit *Thyestes erravit per regna mea*, quum etiamnum erret exsul trepidus? Adde quod nulla sit verborum oppositio inter *trepidus per regna erravit* et *Pars nulla nostri ab insidiis vacat*, quamvis hoc ad Atreum, illud ad Thyestem referri velint. Mihi manifestum est calamitates Thyestæ hoc loco non memorari, quæ manent adhuc et omnibus conspicuæ sunt, quarum etiam Atreus non ita sigillatim meminisse debet : suas recor-

Digitized by Google

datur, indignatur, verbis auget et exaggerat : «Ipse per regna mea exsul erravi (*cujus oppositionis quis vim non sentiat?*) : pars nulla nostri (nostri *ad Atreum solummodo referendum est*) ab insidiis vacat, etc.» Si vero præcedentia et sequentia attendas, quid cohærentius? «Arietis possessor regnat : hunc Thyestes sibi avehit : inde mala nostra fluxere; ego dejectus regno per regna mea exsul erravi; omnia, quæ mea fuerant, corrupta sunt : nihil mihi certi est, nisi fratris odium. Quid igitur stupes, Atreu? dignum Tantalo et Pelope ad te ulciscendum facinus incipe, etc.» Quod objicit Botheus, Atreum non regno pulsum a Thyeste, sed Thyestem ab Atreo, nihil contra nos valet, qui sup. in not. ad v. 33 et alibi posuimus alternas fuisse inter fratres victoriæ vices, et modo Thyestem, modo Atreum fugisse, pulsum regno : quod cur non admittat Botheus, et nescimus, et nullam ipse rationem attulit. De illius lectione *exsul erravit. Mea*, etc. nihil disserendum arbitror; nam ex eo quod Argis aufugit Thyestes, aut Atreus, non inde sequi existimo, non potuisse Thyestem, aut Atreum per regna sua exsulem errare, quæ latius extendebantur, Mycenasque complectebantur aliasque urbes, ut notavi pag. 226 ad vs. 126 : *exsul* autem pro *fugitivus*, ut sæpe alias, ponitur.

238. *Pars nulla nostri*. In vet. MS. Lipsii, *pars nulla generis*. Sic quoque in Raphel. Gronov. Bipont. et Both. Optime locum restituit Baden. Nihil enim vulgata lucidius et significantius, quam cæteroquin exhibent septemdecim Pariss. et vett. edd. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. Tres cæteri Pariss. *nostra*, non *generis*, habent.

240. *Dubius sanguis : est certi*, etc. Multi MSS. et edd. Fern. Ægid. Phil. Ascens. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Delr. et Both. sic interpungunt : *Dubius sanguis est : certi*, etc.

242. *Animoque sume Tantalum, et Pel. a.* Ita vett. edd. et plerique MSS. Attamen Fabricius sic locum correxit, *Animosque sume; Tantalum et Pel. a.* quod fateor reperiri et in duobus Pariss. 8026 (a secunda manu) et 8037. Fabricium secuti sunt Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. Sed Gronovius restituit pristinam lectionem, quam nonnullis exemplis elegantiorem approbavit. — *Aspice*. Paris. cod. 8029, *accipe*.

248. *Mors impetratur*. Nonnulli *impetretur* (Avant. Vian. et MSS. 6395, 8261). Commel. et Gruter. sano judicio et MSS. suis *impetratur* stabiliverunt.

249. *Modo in nostra*. Vulgo, *modo nostra in*. Sed Nic. Heins. recte adnotavit posteriorem syllabam *in modo* brevem esse. Adde quod *modo in nostra*, non Florentin. tantummodo et Ascens. Avant. Vian. Both. et Baden. edd. habeant, sed undecim quoque nostri Pariss.

254. *Rabidus*. Fern. Isoard. Ægid. et MS. 8037, *rapidus*.

268. *Tumet*. Hoc multo melius ad sensum quam *timet*, a Delr. in Mogunt. Herbipol. et primo Veneto repertum, necnon in plerisque MSS. meis et in Fern. Isoard. Ægid. Philol. scriptum. Primus Fabricius *tumet* significantius quam *timet* esse demonstravit.

Digitized by Google

270. *Hoc, anime, occupa.* Optima lectio, quam primus monuit Commel. in uno veteri inveniri : illam pro vulgata, *hoc, anime, incipe*, substituerunt Heins. Gronov. (ex Florent.) Bipont. Both. et Baden. Paris. noster 8034 habet quoque a secunda manu *occupa.*

275. *Animum Daulis inspira parens, Sororque.* Locus ab editoribus quam maxime vexatus, et cui demum Gronovius medelam ex Florentino attulit. Veteres edd. exhibebant aut *animum filio inspira* (sic Gryph. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys.), aut *animum filii inspira* (Avant. Vian. Petr.) aut *animum nati inspira* (Fern. Ægid. Philol.). Plerique MSS. *animum nati inspira :* sic quatuordecim Pariss. Intelligebat quidem Delrio (1594) invocari Procnen et Philomelam; sed fatebatur omnia voce *filio* turbari, quam non poterat interpretari : locum igitur sic castigabat : *Animum similem inspira parens, Sororque.* Scaliger (1611) nihil proponebat, sed declarabat historiam, aut fabulàm esse inexplicabilem. Heins. sic legi volebat *Animum filio inspira parens Furorque.* Tandem Gronovius ex Etrusco lectionem refinxit, hoc modo : *Animum Daulis inspira*, etc. Omnes illi suffragati sunt, non forsan ut veram Senecæ lectionem afferenti, sed lucidam saltem et intellectu facillimam.

277. *Avidus pater.* In MSS. et vett. edd. *avidus parens*, quod Gronov. ex Etrusco mutavit, quoniam vox *parens* de matre proxime præcessit.

286. *Hoc ipse faciet.* Sic plerique MSS. nostri, ut codd. Raphel. Commel. et Gruteri. *Faciat* in Paris. 6395 et edd. Fern. Isoard. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr.

288. *Non poterat capi.* In multis vett. edd. locum sic dispunctum legimus : *Inimica credit cuncta : non poterit capi.* Atr. *Nisi capere vellet.* Sic quoque quindecim nostri Pariss. Monuit autem Commel. in optimo exempl. *poterat* esse, quod secutus est vetus interpres. Hinc Heins. Scriv. Farnab. Thys. Gronov. Bipont. Both. Baden. *poterat* assumpsere, quam quidem lectionem, latinam certe et sententiæ aptissimam, præferunt nostri Pariss. 8031, 8260, 8263.

289. *Nisi capere vellet.* «Forte *ni capere*», inquit Gronovius, quod quidem in Paris. 8261 invenio. Sed recte adnotavit Both. sæpe proceleusmaticum hac sede Nostro adhiberi, præsertim ubi magna animi perturbatio est. Vid. Med. 670. Troad. 36, etc.

290. *Minanti fulmen.* Fern. et Isoard. *minantis fulminis.*

300. *Liberos ejus rudes.* Mira fuere Nic. Heins. fastidia, qui *ejus* nulla MSS. auctoritate repudiabat, et substituebat *ævi.*

302. *Preces movebunt.* Hanc lectionem reposuimus, a recentioribus falso, ut nobis videtur, repudiatam. Sic quidem plerique vett. et omnes, ni fallor, exceptis Philologo et Grutero. Attamen Lipsius ex suo codice laudavit *Prece commovebo*, quod Gronovius quoque in Florent. suo invenit. Sed quum versus, hoc admisso, claudicaret, Commel. ex quatuor MSS. *præcommovebunt* extulit, a Grutero, Scaligero et Gronovio probatum et ab omnibus recentioribus usurpatum. Nos ad antiquam lectionem recurrendum judicavimus, quoniam 1° *Præcommovere* nusquam alias legitur. 2° Si potuit verbum a Nostro creari, saltem debuit solitam

Digitized by Google

hujusce modi compositionis significationem retinere, et pro *ante commovere* adhiberi. Gronovius contendit dici posse *præcommovere*, ut apud Ovidium *præconsumere, præcontrectare, prædelassare*. Sed in Ovid. Metam. VII, 488, *præconsumere* pro *ante consumere*, et, ut ait Forcellinus, *consumare avanti il tempo* : « Utilius bellum putat esse minari, Quam gerere, atque suas ibi præconsumere vires. » Item sumitur *præcontrectare* pro *ante contrectare*. Metam. VI, 478 : « Spectat eam Tereus, præcontrectatque videndo. » Item *prædelassare* pro *ante delassare*. Metam. XI, 728 : « Adjacet undis Facta manu moles, quæ primas æquoris iras Frangit, et incursus quæ prædelassat aquarum. » Porro si *præcommovebunt* pro *ante movebunt* accipias, vix locum intelligas; ita ut Forcellinus explicuerit quoque *valde commovebunt*, et monuerit aliter a multis legi. 3° Si sensum respicias, nihil melius prisca lectione : « Si nimis durus preces spernet Thyestes, preces liberos ejus movebunt. » Quis non videat neque orationem mancam esse, ut contendit Scaliger, neque frustra repetitam vocem *preces*, ut censuit Gruterus, sed in hac iteratione et majorem vim et majorem elegantiam inesse? 4° Denique, *preces movebunt* non tantum in Fern. Isoard. Ægid. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Heins. Scriv. Farn. Thys. sed in Paris. cod. 8262, cui addi possunt 8026 et 8030 in quibus *prece movebunt*, 8035 in quo *prece monebunt*, 8029 et 8034, in quibus *prece commovebunt*, et etiam 8055, in quo *pretio movebunt*.

303. *Hinc durus labor*. De Both. conjectura vid. not. ad v. 303, p. 243.

304. *Subigent virum*. Paris. 8029, *ferient virum*.

308. *Consilii tristis*. Pro *consili tristis*, ut metro satisfiat. Plerique vett. editores, Fern. Isoard. Ægid. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. *consiliis istis* : sic quoque nostri Pariss. decem. Primus Commel. monuit in duobus suis legi *consilii tristis*. Mox Scaliger falso admissum *consiliis istis* demonstravit, quum nunquam Seneca in quarta sede pedem quatuor temporum recipiat. Gronovius quidem *consiliis* τρισύλλαβον ut *consilii* esse censuit; *consilii* tamen ex Florentino, Vossiano et duobus in Germania collatis, probavit. Nos quidem hanc lectionem habemus in nostris 6395, 8024, 8026, 8027, 8029, 8031, 8034, 8036; et *consiliis tristis* in MSS. 8025, 8030, et edit. Philologi.

310. *In patre .... in patruo*. Elegantius quam *in patrem .... in patruum*, quod Delr. in Herbipol. et Veneto primo invenerat, et quod nobis quoque in Ascens. occurrit. Fern. et Ægid. *in patrem... in patruo*.

314. *Nascuntur istud. Quod vocas*, etc. In plerisque nostris codd. ut in multis vett. edd. nempe Philol. Ascens. Avant. etc. *Nascuntur. Istud quod vocas*, etc. Fern. Isoard. Ægid. *Nascuntur. Illud quod vocas*, etc.

315. *Dire*. Plerique codices *dure*, solita confusione.

317. *Nati parari?* Petr. et Fabric. *nati parati*. — *Tacita tam rudibus*. Philol. et Ascens. *Tacita jam rudibus*. De hoc loco Botheus : « Verba *Tacita... vitæ malis* Atreo assignat Gronov. secundnm Florentinum; sed

Digitized by Google

Atreo stat mandata dare filiis suis ad fratrem (vid. sup. 296) : ergo in eum non cadit dubitatio de illorum fide; cadit in satellitem, quovis modo dissuadentem. Recte itaque, qui huic ista tribuunt : sed iidem male verba *Tacere multis discitur vitæ malis*, 319, ab Atreo pronuntiari volunt, quæ arctissime cum superioribus conjungenda sunt, ut in quibus ratio aperiatur, cur pueris, per malam experientiam nondum edoctis, fidem abroget satelles. »

318. *Non est in annis.* Fern. Isoard. Ægid. *non est in animis.*

321. *Falles, ut ipsi,* etc. Locus sic dispunctus est ex Florentino. Codd. et edd. vett. *Falles?* ATR. *At ipsi,* etc. Attamen in Pariss. 8032, 8036, 8037, tollitur ATR. et scribitur *Falles at ipsi,* etc.

322. *Est necesse.* Both. ex Florent. anteponit *necesse est*, ut tertia versus sede ponatur spondeus, sicut senarium tragicum decet.

323. *Inserere.* Pariss. 8029 et 8037, *inferre.*

324. *Recedis.* In Ascens. *recedas.*

325. *Parces et illi.* Pariss. 8032 et 8033, *parcis et illi.*

326. *Et patri sciens.* In MSS. et vett. edd. *et patris cliens,* nisi quod in Paris. 8029, *et patri cliens.* Gronov. ex Etrusco substituit *patri sciens*, quod sensu et latinitate melius opinor. Schrœderus contra Gronovium *cliens* solus defendit.

328. *Petatur.* Scriv. *paratur.*

330. *Multa sed trepidus.* Fabric. ex MS. conjiciebat *multa turbatus,* quod Lipsius non rectum minus quam *multa sed trepidus* judicabat. Vulgata longe aptior sententiæ, ut Gruterus recte admonuit.

333. *Fiant ministri.* Ægid. *fiant ministri.* — *Occule.* In Florent. *occules,* quod Botheus interpretationem esse vulgatæ lectionis existimabat, quod vero Badenius commodius atque mollius vulgata judicans in contextum recepit. Aliter censuimus.

335. *Claudet.* MSS. Pariss. tredecim et edd. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Vian. Heins. *claudit.* Primum occurrit *claudet* in Scriverio; deinde in Farnab. Thys. Gronov. et recentioribus.

340. *Alternis.* Sic novem Parisienses; sic Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. et recentiores. Alii, ut Mogunt. Herbipol. et Venet. Delrionis, necnon undecim Pariss. et Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. edd. *alternum,* quod tolerari queat. Sed alterum usitatius.

347. *Trabes.* Quia Florent. *fores* pro *trabes* habebat, non dubitavit Gronovius hanc novam lectionem textui inserere, afferens locum Ciceronis in Verr. lib. IV : *Nam bullas omnes aureas ex his valvis, quæ erant et multæ et graves, non dubitavit auferre.* Sed non video quid ex hoc exemplo depromi possit, quo lectio Florentina confirmetur. *Trabes* est in omnibus MSS. et edd. ante Gronovium : non solum latine cadit in sententiam, sed sæpe a Seneca usurpatur. Vid. Hipp. 644 et præsertim 497.

355. *Claro . . . alveo.* Unus codex antiquus Delrionis, *caro :* sic quoque ad marg. edd. Gryph. et Petr.

361. *Rabidus.* Lectio ex Etrusco desumpta : plerique enim vel MSS.

Digitized by Google

vel editi libri, *rapidus*, quod non sine jure amovit Gronov. propter vocabuli vicinitatem *rapiens*.

362. *Ventosi tumor Adriæ*. Pariss. 8026, 8032, 8034, 8036, 8055, 8260, 8263, *timor*, quod *mihi* non displicet : nam *timor* sæpe usurpatur pro causa timoris. Ovid. Fast. I, 551 : «Cacus Aventinæ timor atque infamia silvæ.»

370. *Agitant*. Paris. 8027, *agitent*. — *Dahas*. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Gryph. Petr. Fabric. etc. cum MSS. Pariss. octo *Dacas*, quod spuriæ latinitatis est : duodecim Pariss. *Dacos*, quod possit accipi, si prima non producatur syllaba. Horat. II, sat. 6, v. 53 : «Numquid de Daciis audisti?» Delrio (1594) ait libenter se repositurum *Daas*. Gruterus igitur *Dahas* admisit, quod deinde Gronovius in Florent. quoque repertum assumpsit.

372. *Et gemmis*. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. (qui tamen *et* in MSS. invenit) Delr. Grut. Heins. *aut gemmis*, quod sententiæ demit lucem : nam de uno et eodem mari sermo est, et *aut* nescio quod aliud innuit. — *Lucidis*. In Gronovio et multis aliis *lucidum* : sed quis ferat *mare lucidum Late sanguineum?* Nic. Heins. ex Florentino laudat *gemmis mare lucidis*, quod Baden. in contextum admisit.

376. *Certet Danubii vadum*. Hanc lectionem ex Etrusco allatam recepimus, quamvis in universis ante Gronov. vel MSS. vel editt. scribatur *certet Danubium licet* : videtur enim nobis *Danubium* male includi inter *certet* et *licet*. Fatemur tamen nos vehementissime suspicari hanc lectionem *certet Danubium licet* esse Senecæ et a librario Etrusco mutatam, in melius quidem, sed mutatam.

377. *Audet*. Nonnulli Commel. MSS. *gaudet*.

380. *Regnum*. Ascens. *Regum*.

389. *Rex est, qui cupiet nihil*. Hic versus deficit in sexdecim Pariss. et in edd. Fern. Philol. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Commel. Fabricius tamen monuerat in uno MS. post vers. 388 legi *Rex est quive cupit nihil*, quod παρεμβεβλημένον judicabat. Lipsius quoque hunc versiculum in suo MS. reperit, sed ita scriptum *Rex est quique cupit nihil;* quod valde probat, ut desideratum ad sententiæ plenitudinem; non enim constare regnum, nisi duplicem affectum adimas, spem et metum. Commelinus versiculi additionem, et in uno e suis inventam, suspectam tamen judicat, quia ille sic in suo habetur, *Rex est, qui cupiet nihil*, dum in Fabric. *quive cupit*, et in Lips. *quique cupit;* ex quibus discriminibus infert spurium esse versum. Post hunc, Delr. se non additionem reperisse in libb. suis scribit; probat tamen, ut aptam : sed interrogat quis potuerit illam delevisse, nondum receptam vel editam in lucem? Gruterus contra eam damnat, respondens Lipsio «auctorem hac stropha non persequi duplicem affectum, spem et metum, sed ea quibus regnum adquiritur impugnaturque vi mera; et ideo circa metum versari». Fatetur tamen Grut. duobus in Palatt. esse *qui cupiet*, quod si recipiatur, legendum esse antea *metuet*, vix admittendum Grammaticellis. Scaliger certius pronuntiat versiculum a monacho scriptum, et inferiorum tem-

Digitized by Google

porum esse. Denique superveniens Gronovius omnes refellit, quicunque additum versum respuerant, nec codicis Florentini tantum auctoritate, sed argumentis; scilicet, «toto in choro agi de ambitione, quæ metu et spe mixtis torquetur; sic dixisse superius Poetam, regem esse qui posuit metus et morbos pectoris, inter quos haud dubie cupiditates: nec esse necessarium, si legatur *cupiet*, legi et *metuet;* hanc enim temporis mutationem usitatam esse poetis». Gronovii opinio, cui plane et omnino suffragamur, duobus Pariss. MSS. confirmatur, 8029 et 8034.

396. *Nullis nota Quiritibus.* Marklandus ad Stat. III, Silv. 5, v. 88, volebat legi *nullis notaque litibus*, quam lectionem laudare videtur Badenius: sed nonne rectius est hic vitium agnosci Senecæ consuetissimum (vid. quæ notav. p. 253), quam nulla librorum auctoritate locutionem vix latinam admittere? nam *que* multo melius post *nullis* quam post *nota* collocetur.

401. *Illi mors,* etc. Decem Pariss. *nulli mors.*

406. *Tactum.* Codd. 6395 et 8026, *tectum:* sic quoque Raphel. Both. legendum pronuntiat *tractum,* quia *tactus* non *cerni* potest. Fateor mihi sordere *tactum cerno:* sed existimo non ita melius scribi *cerno tractum soli.* Retineo igitur vulgatam.

409. *Nobilis.* Unus Delr. cod. *nobilem.*

413. *Saltusque densos.* Egvianus Delr. *saltusque pressos.*

415. *Quod oculos.* Quatuordecim Pariss. et edd. Fern. Isoard. Ægid. Ascens. Gryph. Petr. (ad marg.), *qui oculos.* Septem quoque Gruteri MSS. damnabant *quod,* et *qui* volebant substitui. Frustra: nam nihil latinius hac locutione: *Non est quod clarus hic regni nitor fulgore falso oculos auferat.*

416. *Quum quod datur,* etc. Fern. Isoard. Ægid. Ascens. et Gryph. ad marg. cum octo Pariss. *cum quo datur spectabilis;* quod non ferri potest, sive intelligas *cum quo homine,* ut placebat Bernardino, sive *cum quo fulgore,* ut maluit Ascensius. Decem Pariss. et Philol. *cum quo datur spectabis,* quod æque pravum nemo non videat. *Quum quid datur spectabis,* in Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. Sed Delrio notavit esse in Eib. Mogunt. Herbip. et Venet. *quum quod datur spectabis.* Hanc lectionem, in Florentino quoque deprehensam, arripuit Gronovius: nam, ut ait, *quid detur* dicendum fuisset, quod lex metri respuit. — *Et dantem aspice.* MSS. multi cum Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. *tandem,* manifesto errore.

419. *Hæret.* Cod. 6377, *horret.*

422. *Seque in incerto.* Ægid. *se quoque incerto.*

425. *Ac metuis.* Petr. ad marg. Fabric. Raphel. Delr. *an metuis,* ut et Pariss. 8055 et 8261. Commel. contra ex membranis suis jubebat scribi *ac metuis,* et Grut. hoc quoque in MSS. omnibus inveniri monebat; malebat tamen *at metuis,* sublata interrogationis nota.

428. *Reflecte.* Duodeviginti Pariss. et vett. editt. Fern. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Commel. *deflecte.* Raphel. ex MSS. *reflecte* substituit, quod probaverunt Delr. Gruter. Heins. Scriver.

Digitized by Google

Farn. Thys. Gronov. et recentiores. Pariss. quoque 8026, 8031, 8260, *reflecte.*

437. *Abductus.* MS. 8029 cum Heins. Scriv. Farn. Thys. *adductus.*

438. *Remige et velo.* Omnes Pariss. *et vento,* excepto cod. 8260, qui *et remo.* Plerique quoque editores, Fern. Isoard. Ægid. Ascens. Avant. Gryph. Petr. Raphel. Commel. Delr. Grut. *et vento.* Melius et poeticum magis *et velo,* quod in Philol. Heins. Scriv. et in recentioribus invenitur.

439. *Resistens remigi et velo.* Plerique Pariss. cum Philol. et Ascens. *resurgens remige et velo :* sic quoque Raphel. et Commel. MSS. Nonnulli quoque (Scriver. Farn. Thys.) *et vento,* sed longe melius *velo;* nam, ut adnotavit Gronovius, lusit Poeta in vocabulorum repetitione. — *Refert.* Pariss. MSS. 8028, 8032, 8033, 8055, 8260, 8261, 8263, *feret.*

440. *Evince.* Ægid. Ascens. Avant. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Gruter. Heins. Scriver. Farn. Thys. cum novem Pariss. *pervince.* Fern. Isoard. Philol. cum undecim Pariss. *vince,* violata versus integritate. Gronovius ex Etrusco primum *evince* intulit. — *Impedit.* Fabric. *impetit.*

441. *Exspectent.* Isoard. Ægid. et cod. 8029, *exspectant.*

442. *Quum possim mori.* MSS. 8026, 8029, 8032, 8035, *quum possum.* Raphel. *quin possum.* Scriv. Gronov. Bipont. et Baden. *quum possim mori?* Vid. quæ notavimus p. 258.

443. *Summa est potestas,* etc. De emendatione Baden. vid. p. 259.

445. *Mavult . . . . potest.* Mogunt. Delr. et Pontani Cruserianus cum nostris Pariss. 8028, 8029, 8033, 8035, *mavis . . . . potes,* quod non spernendum judico : nam convenientius est filium directe ad patrem verba facere, quam generaliter loqui.

447. *Dum excelsus.* Fern. et Ægid. *quum excelsus.*

449. *Quantum bonum est.* Contendit Both. haud paulo elegantius fore *quanti bonum est,* quod contra vix intelligendum arbitramur. Offendunt eum tria ὁμοιοτέλευτα, *ferrum, quantum, bonum;* nos, locutionis insolentia, *quanti bonum,* nulla cæteroquin manuscriptorum vel editorum libb. auctoritate nixæ.

451. *Casas.* Isoard. Ascens. Avant. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Delr. Heins. *casam,* quod ideo multi referunt ad *humi jacentem.* Commel. ex MSS. suis *casas* restituit, et locum, ut nunc habetur, scripsit distinxitque : sic quoque Grut. ex MSS. suis omnibus et scholiastæ interpretatione. *Casas* non solum in MSS. nostris, sed in Fern. invenimus, qui versum, ut Commel. et recentiores, dispunxit. In Eib. et Mogunt. Delr. *jacentes . . . casas.*

454. *Licet.* Jubebat Heins. scribi *libet,* quod omnes a contextu amovere, Gronov. autem et Baden. in notis damnaverunt.

462. *Metatur.* Ægid. Delr. et quinque Pariss. *metitur.* Lips. et Commel. *metatur* ex MSS. prætulere; et melior certe hæc lectio, tum sensu, quia *metari* in hisce significandis sæpius usurpatur, tum quod *metior* fere nunquam passive usurpatur et vix in Arnobio occurrit. Quid dicam de

Digitized by Google

Gallico interprete *Levée*, qui nullo metri respectu, locum sic reddidit, tanquam duæ primæ vocabuli *metitur* syllabæ corriperentur?

465. *Nec fumant manu*, etc. Unus Delr. MS. *nec fumant manu Succensa flammis stagna :* unde conjiciebat *nec fumant mari Succensa flammis stagna.*

467. *Jungenda.* In MSS. et edd. universis ante Gronov. *ducenda*, quod non sensu carere puto, quamvis Baden. contendat «inani loquacitate dici *ducenda dari*»; contra subobscurum judico *dies jungenda somno*, pro *dies jungenda nocti*, et *nox jungenda Baccho pervigili* pro *nox diei jungenda.*

468. *Timetur.* Universi vett. excusi *timemus*, quod et in Pariss. 8026, 8029, 8031 et 8263 invenio. Gronov. vero substituit *timemur*, quod in omnibus codd. Commelini et plerisque Gruteri et sex Pariss. habetur. Sed quæcunque disserat Gronov. de sententiarum connexu, « nempe *timeri* non invidiosum minus et infestum periculis esse quam *timere;* quæ sequuntur, tam argumentum esse nos non terrere quam non timere, adeo hæc implicita inter se et propemodum indivisa sunt; dixisse Senecam epist. 105, *Qui timetur, timet*, et multa hujusce modi » ; attamen strictior et directior concatenatio videtur, si receperis *timemus*, aut *timetur*, quod in Fern. Isoard. et Ægidio, vetusssimis editoribus, reperio, quodque jam in uno Grut. MS. inventum, laudavit Schrœderus. — *Sine telo.* Fern. Isoard. Ægid. et Petr. ad marg. *sine dolo.*

470. *Immane.* Conjiciebat Delr. *immune.*

473. *Errat.* Burdegal. membranæ *regnat.* (Delr.)

477. *Perfundet.* Delr. Egvian. *effundat*, et Paris. 8261, *profundet.*

484. *Tantum potest, quantum odit.* Plerique vett. editores, *Quantum potest, tantum odit.* Altera lectio, melior et sensui accommodatior, in Ascens. Gronov. et recentioribus, in quibusdam Delr. MSS. in nostris Pariss. quindecim.

487. *Serum est*, etc. Gruterus volebat hunc attribui versum Thyesti. Sed necesse est Plisthenes post *Decipi captus times!* addat aliquid quo patrem incitet : nam pronus ad retro ferendos gradus Thyestes eget stimulatore potius quam coercitore. Præterea, quam ob causam inductus est Gruterus ad assignandum Thyesti versum? Nempe, ut videtur, quod Plisthenes non sibi constet, si nonnulla timeri posse mala fateatur. Sed jam in præcedenti versu, hoc ipsum innuit, verbo *captus*, quod iterat tantum et explicat versus *Serum est*, etc. Quorsum igitur ea dividas, quæ sensu conjunguntur?

488. *Eatur : unum*, etc. Olim multi sic hunc locum : «Plisth. Eatur, unum genitor hoc hortamen est. Thy. Ego vos sequor, non duco.» Sic Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Commel. et Pariss. undeviginti, nisi quod in 8025 pro *hortamen* scribitur *hortandum*, et in 8035 et 8030, *unum genitor hortamen est*, deleto *hoc.* Primus Lipsius medelam attulit ex suo libro; cui Raphel. Delr. Grut. et cæteri auscultavere : hinc lectio quam et nos amplexi sumus, in Paris. nostro 8036, ut in Lipsii libro, habitam. Nonnulli volunt verbum illud *eatur* esse Plisthenis, et incipere tantum Thyestem verbis *Unum genitor*, etc. Sed *eatur* melius Thyesti convenit.

Digitized by Google

489. *Respiciet.* Omnes MSS. et editt. ante Gronovium *respiciat.* Ex Florent. cod. *respiciet,* quod quadrat magis cum *perge non dubio gradu.*

490. *Perge.* Both. ex Fern. qui *imperge* habet, ex Caiet. qui *iperge*, conjecit, *I, perge.*

491. *Clusa.* MSS. et pleræque vett. edd. *clausa.* Delr. Scriv. Gronov. et recentiores *clusa.*

496. *Tempero animo.* Tres MSS. Delr. et decem Pariss. *animum.*

499. *Lento suem.* Quidam vett. libb. in Delr. *leni.*

501. *Quum propior fuit,* Spurium judicabat *fuit* Gruterus, et *fluit* vel *fugit* legendum jubebat. At Baden. «*Fuit* ex aoristo pro *est,* Similiter in Hipp. 249 : «Pars sanitatis, velle sanari fuit.» Et in Med. 200 : «Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.» Atque ita poetæ frequenter.»

502. *Gemitu vocat.* Fern. Isoard. Ægid. Raphel. Commel. Delr. et in MSS. ejus *gestu :* sed in Mogunt. ad marg. *gennitu;* et in Lugdun. *gemitu.*

504. *Spirat ira sanguinem.* Sic tredecim Pariss. et edd. Isoard. Philol. Ascens. Gryph. Petr. (ad marg.) Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. et recentiorum. Septem MSS. quorum duo a secunda tantum manu, habent *sperat,* quod et in Fern. Ægid. Avant. Gronovius, ex Etrusco, hanc lectionem languidam et enervem laudat tamen. Sed contra illum Schrœderus vulgatam tuetur, quamvis in Traject. cod. reperiat *sperat.* Both. quoque et Baden. et Wakefieldus ad Lucret. V, 393, Florentinam lectionem repudiant et amovent.

505. *Tegatur.* Ægid. *tegetur.*

506. *Mœstos.* Ægid. *mœsto.*

507. *Præstetur fides.* Sic Paris. 8026 et edd. Fern. Isoard. Ægid. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Both. Baden. Sed quum Commel. et Delr. monuissent esse in suis MSS. *præstatur,* hanc adhibuit lectionem Gruterus, quem Scriverius et Gronovius secuti sunt; male, ut nobis videtur. — Credidit Both. hæc omnia, a verbis *Aspice, ut multo,* etc. assignanda Thyesti, et rursus Atreum : *fratrem juvat,* etc. Sed acrius judico, si Atreus hæc secum obloquatur, ut notav. p. 268 ad v. 505, ubi scripsi quæ responderi queant Botheo interroganti *quid hæc ad Atreum?* nam prorsus illius est fraterna mala observare, proferre, enumerare.

509. *Expetitos.* Fern. Ægid. et cod. 8261, *expeditos.*

518. *Intactæ manus.* Diversissimæ sunt hujus loci lectiones, quum alii *injunctæ* (sic Ascens. Gryph. ad marg. Schrœderi Paris. excusus, et antiqua Gruteri editio), alii *adjunctæ* (Ægid.), alii *injectæ* (Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. et noster Paris. 8026 ad marg.), alii *junctæ* (Fern. Isoard. Philol. cum Mogunt. Herbip. et Venett. Delrionis, et quatuordecim nostris codd.), alii *victæ* (Petr. ad marg. et cod. 8055), denique alii, et melius quidem, *intactæ* (Avant. Vian. Gryph. Petr. Heins. Scriv. Farn. Thys. Gronov. Bipont. Both. Baden. cum tribus MSS. Gruteri, Burdigal. et Lugdun. Delrionis, et duobus nostris codd.). Delrio et Gruterus, quamvis non admisissent *intactæ,* hanc lectionem tamen laudave-

Digitized by Google

rant. Inter recentiores, solus fuit Schrœderus, qui eam repudiaverit, et anteposuerit *injunctæ*, re, ut nobis videtur, non satis expensa.

519. *Tumor*. In Pariss. 6377, 8024, 8032, 8035, 8036, 8055, 8260, 8262, ut in Herbipol. et Venet. Delrionis, et in Fern. Isoard. Ægid. Ascens. et Gryph. ad marg. *timor;* languidius.

521. *Hos innocentes*, etc. Locus sic in duodecim Pariss. dispungitur, necnon in Fern. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Delr. «Hos innocentes, frater. Atr. A genubus, etc.» Transpositionem probabat Gruterus : sed illi, et recte quidem, a nullo auscultatum est.

523. *Tot juvenes*. Scribi jubebat Heins. *vos juvenes*, videlicet quia tres tantummodo Thyestæ erant filii. Sed inf. quoque v. 915, *tot hostiarum*. De aliis hujuscemodi exemplis vid. Gronov. ad hunc locum et Burmann. ad Ovid. eleg. in Drus. v. 339.

526. *Pares meis*, etc. Sic Heins. Scriv. Gronov. Bipont. Both. et Baden. Aliter in MSS. et in nonnullis editt. Nempe in Fern. Isoard. Phil. et plerisque Pariss. *Quales mei sunt, lætusque frater imperii*, etc. manco versu. Avant. Vian. et Gryph. non rectius *Quales mei sunt, lætusque partem imperii Capesse frater*. Ægid. Fabric. Raphel. Commel. Delr. et Grut. melius et quod ferri queat, *Quales mei, lætusque fraterni imperii*, etc. Ascens. et Petr. *Quales mei sunt, lætus et partem imperii Capesse frater*, non ita absurde.

527. *Major hæc*. Philol. et Pariss. 6377, 8024 et 8026, *major hoc*.

531. *Rependant*. Isoard. *rependent*.

536. *Influentis*. Nic. Heins. castigabat *affluentis*. Frustra : vid. quæ notavimus p. 270.

537. *Quam facile effluant*. Nic. Heins. emendabat *effluat*, ut de fortuna, non de donis dicatur : tanta in illo fuit mutandi libido!

539. *Tua jam*. In Fern. et Isoard. *jam tua*, quod Botheo placebat. — Multi hunc versum Atreo assignant; pejore sensu. Vid. interpretationem nostram, p. 270.

541. *Tuam partem*. Paris. 8024, *tuam sortem*.

542. *Feram*. Fern. et Ægid. *efferam*.

544. *Venerando*. Paris. 8037, *reverendo*.

553. *Cecinitque bellum*. Unus Delr. MS. *genuitque bellum*, ex interpolatione, ut credidit Baden.

557. *Recentem*. Quidam Badenii libb. *nocentem*.

558. *Manibusque junctis*. Fern. et Isoard. *manibusque vinctis*.

560. *Subitum e tumultu*. Fern. Isoard. cum Pariss. 6377, 8037, 8262, 8263, *subitum tumultu*.

563. *Natos tenuere matres*. Sic quindecim MSS. Pariss. et Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Gryph. Petr. Delr. Grut. Scriv. editiones, nisi quod in illis scribitur, inverso vocabulorum ordine, *matres tenuere natos*. Avant. contra, Vian. Petr. et Gryph. ad marg. *matres tremuere natis*. Post hos, placuit Fabricio ex conjectura substituere *matres timuere natis*, propter repetitionis elegantiam *timuit* et *timuere*, quam Delrio et Commelinus laudaverunt. Attamen Delr. confessus est se vix audere hanc

Digitized by Google

amplecti, quia omnes vett. libb. habebant *matres tenuere natos*, et poterat videri dictum ad imitationem loci Virgiliani, Æn. VII, *Et trepidæ matres pressere ad pectora natos*. Gruterus hanc sententiam confirmavit, et restituit pristinæ dignitati scripturam omnium MSS. *Tenere* enim hic esse aut *complecti*, *adprimere ad pectus* infantes, aut *inhibere ne ruerent ad bellum* adolescentes. Grutero suffragatus est Gronovius, et auctoritatem Florent. cod. addidit: sed ex illo ordinem verborum mutavit, ut ante illum Avant. et Vian. fecerant, scripsitque, ut habemus, *natos tenuere matres*.

567. *Renovare*. Paris. 8037, *reparare*.

571. *Anxiæ noctis*. Sexdecim Pariss. cum Phil. Ascens. Avant. Vian. Fabric. Raph. Commel. Delr. Farn. Thys. *a. nocti*, quod vix intelligatur, præsertim cum *pinnis*, ad quod referendum *incubabat*. *Noctis* in MSS. 8026, 8035, 8261, 8262, necnon in Fern. Isoard. Ægid. Gronov. et recentioribus.

572. *Timor ipse*. Paris. 8032 *timor ille*.

576. *Urbi*. Præstat hæc lectio illi alteri, *urbis*, quæ in Fern. Isoard. Ægid. Ascens. Avant. et in duodeviginti Pariss. reperitur. Deest totus versus in Philol. Gryph. et Petr.

578 .*Brutium Coro feriente pontum*. Novem Pariss. et Philol. Grut. edd. *Brutium ponto feriente Corum*. Sic quoque quinque Commel. MSS. Sed acrior et affectatior hypallage, quam ut probari possit, vel in Seneca. Nonnulli MSS. nostri (6377, 6395) et Fern. Avant. Vian. Gryph. Petr. *Brutium pontum feriente Coro*.

580. *Mare in portu*. Undeviginti Pariss. et nonnulli Grut. Palatt. et edd. Bas. Pont. cum Fern. Isoard. Ægid. Philol. et Petr. ad marg. codd. *mare in totum*. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabr. Commel. Scriv. cum quinque Commel. et Paris. 6395, *mare intortum*. Primus Lipsius frigidum hoc esse animadvertit et ex suo codice *mare in portu* substitui jussit. Hunc secutus est Raphel. et ejus sententiam confirmavit Commel. unius MS. auctoritate; Grut. quoque in uno Palatino invenit *in portu*, in alio, *in portum*, tertio id ipsum inter lineas exhibente: habebat etiam *in portu* Cantabrigiensis Pontani; sed superpictum fuerat isti *intortum*. Gronovius et recentt. assumpserunt *in portu*.

581. *Quod rapax haustum*. In nonnullis MSS. et in Grut. Heins. Farn. Thys. *Quod rapax Auster revomit*; de quo Grut. « Vocat *Austrum Charybdis* violentiam illam Charybdis, maxime regnantem flante austro, respexitque ad illa quæ scripsit ipsemet c. 17 ad Marciam: *Videbis* etc. » sed Gronovius joculare dixit esse *austrum Charybdis* pro *violentiam Charybdis*; nec Senecam hanc elegantiam decuisse, sed fabulatorem illum, qui speravit se mire locutum, quum dixit *quid aget tanta caloris hiems*. Restituit igitur *haustum*, quod in vetustissimis membranis scribitur. — Fern. Isoard. Ægid. Ascens. Gryph. toleranda lectione *hausit*, *revomit*; MS. 6377 *aufert*, *removet*. In plerisque nostris MSS. *Auster*; sed in 8033 et 8261, *haustum*.

585. *Ignis æternis*. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raph. et Delr.

Digitized by Google

ignis Ætneis. Sed Gruter.: « Nimis diu tulimus illud *ignis Ætneis*, quum proxime præcesserit *residens in Ætna*. Nostra lectio conspicitur in maxima membranarum parte. »

591. *Fusis spatiosa*. Paris. 8261, *tensis sp.* MSS. 8055 et 8260, *fusis speciosa*.

598. *Levis hora*. In plerisque vett. edd. et in sex Pariss. *brevis hora*; sed adjacet *brevior*, et facile explicatur *levis*, quod in quatuordecim Pariss. et in omnibus Commel. et in Grutero.

600. *Tremuere*. Pariss. 6395 et 8029, *timuere*.

603. *Daæ*. Plerique MSS. et vett. edd. habent *Dacæ*; novem Pariss. et Grut. edit. *Dachæ*; MS. 8034, *Dachi*; Fernand. edit. *pace*. Jam exposuimus in notis, pag. 277, cur nequeat accipi *Dacæ*, de quo verbo Scaliger: « Quid Dacis cum Parthis tanto intervallo dissitis? » Unde sibi locum non intelligi fatebatur. Heinsius quoque, quum versum nullo modo explanari posse censeret, substituebat *Et Dacæ Parthique equitem minati*. At Pontanus: « Dacas intelligit non illos Danubii accolas, sed Parthis et Hircaniæ vicinos, qui Straboni lib. II, Ptolemæo Tab. 7 et Lucano lib. VII, *Daæ* dicti. Glossa codicis Cruseriani marginalis Senecæ verbis hæc addit: *Solent Dacæ* (*Daæ*) *pugnare ex equo contra Parthos*. Strabo mira de imperii eorum magnitudine, et Parthis non tantum, sed Romanis quoque formidabili potentia narrans, quosdam eorum Nomades facit. Unde Lucanus loco jam dicto: *Ne vetitos errare Daas in mœnia ducat*. Quæ notanda fuerunt ob conjecturas doctissimorum virorum, longe hic alio abeuntium. » Nihil his lucidius et aptius: attamen qui Pontanum secuti sunt, Scriv. Farn. Thysius, *Dacæ* retinuerunt. Gronov. autem Pontano eo libentius assensit, quod in Etrusco *Dahæ* inveniret. — *Parthis equitem minati*. Variæ sunt hujus loci lectiones, quum alii *minaci* (MSS. 8028, qui et *equite* exhibet, et 8032), alii *minanti* (Fern. Philol. Fabric. et MS. 8055), alii *minantes* (inter quos MS. 8261), alii *minantur* (inter quos MS. 8035). Plerique tamen tum editi tum manuscripti libri, *minati*, quod optime explicuit Gronovius: « Ideo, inquit, *equitem minari Parthis* Daæ dicuntur, tanquam formidabilem, quamvis et huic equestri populo. » Vid. et quæ notav. pag. 277.

605. *Cuncta divinat*. Vett. edd. ante Lipsium habent *cuncta divitias*, nisi quod in Ascensio et Gryphio legitur *cuncta dynastas*, quod postea Theod. Beza textui inferri volebat (vid. Fabric.), ut numerorum integritas servaretur, quamvis *dynastas* non aptius sit quam *divitias*, si ad metrum respiciatur. Lipsius ex suo libro *divinat* extulit, quod assumpsit Raphelengius, et confirmavit Commel. auctoritate veteris exemplaris Coloniensis, in quo *divinas*, licet ipse hoc ipsum *divinas* magis probaverit quam *divinat*. Delrio vulgatæ *divitias* adhæsit. Contra Scaliger Lipsianam lectionem amplexus est. Judicavit Gruterus « respuendum *divinare rerum mobiles casus moventes*; τὸ *moventes* enim non solum supervacuum esse, sed turbare. » Quod (licet probaverit Bothius et, ut Gruteri sententiæ locum accommodaret, voluerit distingui post *divinat*, ita ut *moventes cuncta* non de casibus, sed de diis dicatur) minime rectum arbitror; nam

Digitized by Google

et vix intelligam quem sensum haberet *divinat deos moventes cuncta*, quod neutiquam enodavit Botheus, et cum Scaligero dici posse opinor *casus, mobiles ipsos, omnia movere*, haud ineleganti antithesi. *Divinat* non solum in Raphel. Farn. Thys. Gron. et recentioribus, sed in MS. Paris. 8260, reperio.

610. *Extimescit.* Fabric. Raphel. Commel. Delr. *expavescit.*

616. *Meliora lapsis.* Florent. *mel. læsis;* MSS. 6377, 6395, 8034, 8260, *mel. lassis*, solita confusione; MSS. 8026 et 8029, cum edd. Avant. Vian. Gryph. et Petr. *lapsus*, quod in uno quoque Gruteri et Pontani Cruseriano scriptum est, non ita male.

619. *Tam divos habuit.* Philol. contra metri legem *tamdiu hos habuit.*

620. *Posset.* Sic. edd. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Both. et duodecim Pariss. Melius quidem quam vulgo editum, *possit*, si ad tempus verbi præcedentis *habuit* respicias.

621. *Citatas.* MS. 8032, *rotatas.*

622. *Turbine.* MS. 8037, *cardine.*

624. *Involvet.* Sic Paris. 8262 et edd. Fern. Isoard. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. Gronov. et recentt. In viginti Pariss. et edd. Philol. et Ascens. *volvet*, manifesto errore.

626. *Quid portas novi?* Paris. MS. 8032. *Quid novi paras?*

627. *Argos et Sparte.* Veteres editt. Fern. Isoard. Philol. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. cum MS. Paris. 8261, *Sparte et Argos*, quod Gruter. ex MSS. suis mutavit et, post illum, Heins. Scriver. Farn. Thys. Gronov. et recentiores. Viginti nostri Pariss. cum his conspirant ad novum stabiliendum ordinem.

629. *Corinthos.* MSS. Pariss. 8027, 8030, 8037, 8262, et edd. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Vian. Fabric. Fern. Thys. *Corinthus.*

632. *Quis hic* etc. Hic versus Choro attribuitur in duodecim Pariss. et in edd. Fern. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Grut. Heins. Scriver. Farn. Thys. Optime Delr. de personarum distributione, quam adhibuimus, admonuit: ei suffragati sunt Gronovius et recentiores. — *Monstri.* Multi MSS. *nostri*, quod Gruterus natum a veteri orthographia putat.

634. *Steterit.* Ascens. *stabit.*

635. *Remittet.* Raphel. *remittit.* Pariss. 8029 et 8037, ut Delr. Moguntinus, *remittat.*

639. *Ede et auctorem.* Plerique nostri Pariss. cum edd. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Grut. Heins. Scriver. *effer, auctorem indica.* Sic quoque vetustiores Commelini MSS. Sed Fabric. Raphel. Delr. Gronov. et recentt. *ede, et auctorem*, quod non tam vividum, quam ob rem nescio, Gruterus pronuntiabat.

640. *Quis sit, sed uter.* Sic reposuit Commelin. ex MSS. suis.

641. *Pelopiæ.* Plerique Pariss. et edd. Fern. Isoard. Philol. Avant. Fabric. Commel. Heins. *Pelopis.* Lipsius ex codice suo, *Pelopeæ*, et ita

Digitized by Google

deinde Raphel. Delr. Scriver. Gronov. Bipont. Sed *Pelopiæ* in Ægid. Ascens. Botheo et Badenio, ut et in MS. 8260.

648. *Nota.* In Ægid. *nata.*

649. *Discedit.* Paris. 8029 *descendit.*

650. *In imo regia.* Philol. Scriver. Farn. Thys. cum quinque nostris codd. *in imo regio:* pejus quam ut refutatione opus sit. — *Secessu.* Nonnulli, ut solet, *recessu.*

652. *Nulla qua.* Sic Scriv. et recentt. Vetustiores cum MSS. *nulla quæ.*

655. *Supra eminens.* Fern. Isoard. Ægid. Ascens. cum Pariss. 8027 et 8030, *supereminens.*

658. *Lapsis.* Tredecim Pariss. et vetustt. edd. *lassis.* Florent. *læsis.*

661. *Victæque.* Nihil hac lectione lucidius et nervosius: attamen Nic. Heins. ut aliquid pro libidine sua mutaret, *fultæque* substituendum voluit, quod ex Florentina lectione *vitæque* extorserat. Melius antea *junctæque* conjecerat, quod in nostro 8037 invenimus: sed quid mutatione opus est?

665. *Fons stat.* Paris. 6395, *fons est.*

666. *Hæret.* Paris. 8032, *horret.*

668. *Nocte cæca.* Undeviginti Pariss. cum edd. Fern. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. *nocte tota.* Primum occurrit *cæca* in Fabric. deinde in Raphel. Commel. Delr. Gronov. et recentt.

673. *Majora notis.* Pariss. 6377, 8026, 8055, 8261, et Gryph. et Petr. ad marg. *majora noctis.*

674. *Micare flamma.* Fern. Isoard. et codd. 8037 et 8262, *micare flammis.*

680. *Quum ingenti sono.* Codex 8026, *cum incerto sono.*

685. *Revocat.* Phil. in contextu, Gryph. et Petr. ad marginem, *renodat,* sic quoque Pariss. 8055 et 8261, adversante metro. Melius Fabric. Raphel. Commel. Delr. Heins. Scriver. Farn. Thys. cum cod. 8026, *religat.* Sed in plerisque MSS. et vetustioribus editt. Fern. Isoard. Ascens. Avant. *revocat,* quod elegantius et latinæ orationi accommodatius facile Gruterus exemplis approbavit, præsertim quum sequatur *capita ligat.* Hoc ipsum in sexdecim Pariss. invenio.

688. *Salsa.* Edit. Fern. et MSS. Pariss. quatuor, *falsa,* quod manifesta librariorum negligentia irrepsit. Sed in codd. 6377, 6395, 8029, 8037, 8261, ut in Egvian. Delr. et Herbipol. unoque Venet. *fusa,* quod revocavit Botheus, quasi ex interpretatione τὸ *salsa* fluxerit. «Pendent, inquit, verba *salsa mola.*» Fateor; sed usitatum quoque scriptoribus latinis scio, adjectiva nomina quandoque sic usurpare, ut vim *participiorum* obtineant: sic, inter multa alia exempla, Noster in Herc. Fur. 125: *Sidera prono Languida mundo,* quod idem sonat ac *sidera vergente mundo languidu.* Sic quoque in hac ipsa Thyestis tragœdia, v. 806, *Tityos Pectore fesso renovat veteres saucius iras,* quod explicat Gronovius *pectore indignante carpi.* Legitur *salsa* in Ascens. Gryph. Petr. Farn. Thys. Gronov. Bipont. Baden. et in Pariss. nostris 8024 et 8025.

Digitized by Google

695. *Attendit.* Paris. 8263, *accedit*, languide. Tres alii Pariss. cum editt. Philol. Ascens. Avant. Vian. Fabric. Raphel. Commel. *accendit.* Lipsius *attendit* ex codice suo laudavit, nec non Commelin. ex suorum MSS. et interpretis veteris consensu: ipsam hanc lectionem Delr. in Mogunt. invenit et aptissimam sic probavit Scaliger: «In sacris dicebatur, *hoc age*, id est, *attende*. Ipse præcone aut monitore opus non habet: ipsemet *hoc agit.*» Ante Lipsium, jam Fern. Isoard. Gryph. et Petr. *attendit* receperant; ita quoque in nostris 6377, 8030 et 8031.

701. *Capiti.* Petr. ad marg. et Paris. 8026, *capitis.*

704. *Ultro deos* Petr. *ultra deas.* Animadvertit pridem Delr. esse in Basileensi *deas*, quod de Eumenid. intelligendum censebat.

706. *Assiluit.* Monet Commel. in aliis legi *assistit.*

709. *Primos.* Undecim Pariss. *primum*, ut libb. Delr. et nonnulli Commelini: sed præstat elegantia *primos*, quod in codd. 8055 et 8261 invenio, et a Fern. Isoard. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Gruter. Heins. Scriv. Farn. Thys. Gronov. et recentioribus receptum est.

712. *Dirus.* Petr. et cod. 8037, *durus.*

713. *Mactet sibi.* Perridicule Nic. Heins. *mactet Stygi.* Quid enim mutes quod et sensu et verbis et librorum conspiratione optimum videtur?

715. *Tantum scelus.* Gronov. ex Florent. substituit *sævum scelus*, quod Schrœd. silentio et Bipont. Both. et Baden. imitatione laudaverunt. Attamen in omnibus MSS. et universis ante Gronov. editt. *tantum scelus*, quod cur mutetur non video. «Sæva gaudent impetu, inquit Gronovius, unde et *sævitia* interdum pro impetu ponitur, et *sævire* est furioso impetu agere. Ille deliberat, quamvis nihil intersit, hunc prius invadat an alium, partem voluptatis in crudelitate putat, quod licet eam per commodum et disposite exsequi.» Sed *magna scelera* non minus quam *sæva scelera* impetu gaudent, et in hac utriusque verbi commoditate ad MSS. auctoritatem respiciendum, quæ lectioni nostræ favet, nisi Florentinum codicem universis aliis anteponas.

717. *Primus locus.* Nonnulli, non minus sensus quam metri violata integritate, *primus pietati*: sic Avant. et Vian.

727. *Colla percussa amputat.* Nic. Heins. conjicit *colla percusso amputat*, quod probat Both. Nos autem Badenio assentimur, qui hunc *pleonasmum*, *colla percussa*, laudat, jubetque consuli Perizonium ad Sanct. Minerv. pag. 302.

731. *Puerone.* In octo Pariss. et in Philol. *puerisne.* — *Ingerit.* Paris. 6395, *adicit.* Nic. Heins. malebat *aggerit*, cujus opinionis causas afferat, qui intelliget.

739. *In quem ruaret.* Sic MSS. et multæ edd. In Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Commel. *fureret.* — *Infesta manu.* Lessingius in Theatral. Biblioth. vol. II, pag. 87, substituendum putat *infestam manum*: non enim tolerari posse *exigere corpus.* Non vidit vir ingeniosus neutiquam jungenda vocabula *exigere* et *corpus*, at subaudiri *ferrum*, hoc modo: «Exegit ferrum ultra corpus infesta manu» Qua locutione nihil usitatius.

741. *In tergo exstitit.* Lipsii liber et edit. Heins. *stetit.* Avant. Vian.

Digitized by Google

Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Grut. necnon Paris. 8026, *exiit*. At plures et vetustiores editt. (Fern. Isoard. Delr. Scriv. etc. etc.) et MSS. nostri 6377 et 8031, ut tres Delrionis omnesque Commelini, *exstitit*, quod Gronov. exemplis confirmavit. Hanc arripuere lectionem recentiores.

743. *O sævum*. MS. 8261, *obscenum*.

744. *Hactenus sistat nefas*. Ante Gronovium legebatur *hactenus non stat nefas*, quod admodum friget. Gronov. ex Florentino et post illum Bipontina societas et Both. *sistat* assumpserunt: recte; nec audiendus Baden. qui Nic. Heinsii emendationem *si stat* probavit: « Bene monuit Heinsius ad Sil. II, 639, inquit, *pius sit* dicendum fuisse, *si sistat* vellemus tueri, et emendavit, *hactenus si stat nefas*, *Pius est*, i. e. si subsistit. » Locum et formam dicendi minime intellexisse videntur Nic. Heins. et Badenius: nam *sistat nefas, pius est* non aliter accipiendum est quam *si nefas hic steterit, pius est*, deleta conjunctione *si*, quod elegantissime fieri solet: sic, ut optime admonuit Gronovius, Virg. Æn. VI: *Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes*. Propert. *Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum*. Hæc dictio Gallico quoque sermoni placet. *Racine, Bajazet*, act. III, scen. 1: *Qu'il vive, c'est assez. Andromaque*, act. IV, scen. 3: *Vengez-moi, je crois tout*. Et passim in omnibus scriptt.

747. *Objecit feris*. Sic universi MSS. et pleræque editt. Gruter. Heins. Scriv. et post illos Gronov. Bipont. Both. *objecit* prætulerunt. Baden. recte ad vulgatam recurrit, tot librorum auctoritate et locutionis sincerritate defensam.

749. *Utinam arcuisset!* etc. Cæteri, præter Botheum, *Utinam arcuisset, ne tegat functos humus, Ne solvat ignis! avibus epulandos licet Ferisque triste pabulum sævis trahat; Votum est sub hoc, quod esse supplicium solet*. Sententias, sic disponotas, nec faciles intellectu nec inter se cohærentes arbitramur. Vid. quæ notavimus pag. 294.

750. *Ignis! avibus*. Sexdecim Pariss. cum Fern. Isoard. Ægid. editt. *Ignis avidus*.

755. *Erepta*. Plerique libb. Delrionis, Rapheleng. nonnulli et Paris. 8261, *ejecta*. Conjiciebat Raphel. *exsecta* (in Paris. 8033 scriptum), ut in Med. *et raucæ strigis Exsecta vivæ viscera. — Pectoribus*. Petr. ad marg. *corporibus*.

756. *Spirantque*. Delr. in Mogunt. suo invenit *strepitantque*, unde conjiciebat *trepidantque*.

760. *Divisum secat*. Sic quatuordecim Pariss. et editt. Scriv. Gronov. Bipont. Both. Baden. Quatuor Pariss. et pleræque vett. editt. *divisim*. Altera lectio elegantior nobis videtur, nec eam egere arbitramur Bothei interpretatione, qui *divisum corpus* dici putat, cui caput amputatum est: scribitur *divisum secat*, nota et haud invenusta ταυτολογία.

761. *Amputat*. Malebat Nic. Heins. *tancinat*: quorsus? De sensu vocabuli *amputare*, vid. quæ notav. p. 295, ad vers. 763.

763. *Denudat*. MSS. 8029 et 8263, *denodat* — *Artus*. MS. 8055 et Gryph. Petrusque ad marg. *Atreus* — *Durus*. Sic undeviginti Pariss. et

Digitized by Google

editt. vett. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Baden. In MS. 8029 et editt. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. Gronov. Bipont. et Both. *dirus*, quod reponi facile patiar.

765. *Et lentis.* Barthius in Advers. X, 15, ex MSS. laudat *hæc lentis*

767. *Querente aheno.* Hæc vetustissima lectio est, et sensu optima; nam *queri* videtur ahenum, dum unda æstuat, et indignari tam nefarias epulas: utrumque enim sensum in uno verbo poeta inclusit. Non est igitur unde Both. respuat vulgatam, et Florentinam lectionem intrudat *candente aheno*, cum hoc contemptu: «Satis ejus modi fictionum hoc loco. Est modus in rebus.». Quasi jam pridem manifestum sit non intelligi posse *querente aheno!* Nos vero arbitramur nihil lucidius hac locutione, quæ eamdem sententiam innuit atque *candente aheno*, nisi quod poetico sermoni accommodatior est et plura complectitur.

768. *Transiluit.* Sic duodecim Pariss. et editt. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Commel. Delr. Schrod. Bipont. Both. Baden. In Jacob. Gronovio, *transsiluit.* In MSS. 8031, 8261, 8263, et in editt. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Grut. Heins. Scriver. Farn. Thys. Gronov. *transiliit.* Attamen Gronovius, licet *transiliit* habeat in contextu: «sic duos suorum habere annotat Gruterus (nempe *transiliit*), et ita scribendum id verbi: Nam *transiluit*, inquit, a *sileo* potius derivetur quam a *salio*; Virgilium dixisse, *unctos saliere per utres.* Ergo duos tantum in tanta copia? Quid autem Diomedes lib. I: *Perfectum suavius enuntiari videtur* salii *quam* salivi, *sed plerique veterum* salui *dixerunt.* Virg. *Saluere per utres, i. e. saluerunt.* Item Liv. ab U. C. libro primo, *novos transiluisse muros* etc. Similia Priscianus et Cledonius, quorum alter addit Ovidii *Per flammas saluisse pecus, saluisse colonos. Transileo* autem quis dixit? nisi qui et *transjiceo.* Scribe igitur *transiluit.*» — *Trepidantes.* Multi alii *crepitantes* (Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. et MSS. 8055 et 8261). Monuit Delr. (1576) in veteribus libb. contineri *trepidantes*, quod Commelinus in vetere quoque Coloniensi et in interprete reperit. Post illos, Zinzerlingus videtur hanc lectionem planissimam, si Gronovio credatur, fecisse, et ipse Gronovius auctoritate Florentini codicis et quinque aliorum confirmavit: unde in recentiorum editiones recepta est.

770. *Stridet.* Propter consonantia verba *ardet* et *stridet*, placet Botheo substitui *stridit.*

771. *An flammæ magis Gemuere.* Plerique MSS. nostri cum editt. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Both. *an flammæ gemant: Gemuere.* Sed Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. Gronov. Bipont. et Baden. cum tribus nostris 8029, 8030, 8035, *an flammæ magis*, quod Pontanus in Cruseriano suo invenit et valde laudavit. Nec diffiteor elegantem esse iterationem vocabuli *gemere*, ut contendit Botheus: sed simpliciorem opinor et propiorem vero lectionem Cruserianam, cæteroquin multorum libb. auctoritate defensam. Frustra autem Gronovius et Both. de *indicativo*, *gemuere*, solliciti videntur, neu

Digitized by Google

opus est mutatione quam ille afferri suadebat, *gemuisse;* nam, ut adnotavit Badenius, dixit similiter Terent. in Adelph. act. IV, scen. 5, v. 33: *Qui infelix haud scio, an illum misere nunc amat.*

774. *Levans.* Sic Heins. Scriver. Farn. Thys. Gronov. Bipont. Both. et Baden. At in universis fere MSS. et vett. editt. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. *levat*, quod planius Both. judicavit, et forsan in contextum revocare operæ pretium sit.

775. *Ipsos.* Nic. Heinsius, ut novum aliquid invenisse dicatur, *spissus* proponit: novum quidem et stupendum.

777. *Ruptum.* Duo MSS. Delrionis, et tres Badenii habent *raptum.* Sed ipse Badenius affert ex Horat. III, od. 27, v. 5, quo probetur *ruptum diem* posse poni pro *abruptum diem.*

778. *Lancinat.* Nonnulli (Petr. ad marg. Mogunt. Delrionis et Paris. cod. 8263) *lacerat;* alii (Fern. Isoard. Philol. Gryph. ad marg. Herbipol. et Veneti Delr. et Paris. cod. 6377) *laniat;* omnes contra metri legem.

780. *Nitet.* Paris. 8037, *licet.* — *Comam.* Quindecim Pariss. ut MSS. Commelini, ut Fernand. Isoard. Ægid. et Ascens. editiones, *coma.*

782. *Tenuere.* Suspicabatur Gronov. *renuere.*

783. *Thyesta.* In sex Pariss. *Thyeste*, quod malit Botheus.

784. *Currus.* Avant. Vian. Gryph. et Petr. *cursus*, ut omnes vett. vulgati et nonnulli MSS. Sed plures membranæ, nonnullæ Delrionis, duæ Raphelengii, pleræque Commelini et Gruteri, *currus.*

786. *Tetrum.* Pariss. 6377, 6395, 8263, *tectum.*

788. *Patefient.* Isoard. Petr. Fabric. et MSS. 8032 et 8261, *patefiant.*

789. *Parens.* Emendabat Nic. Heinsius *potens.* Vid. quæ notav. p. 299.

790. *Ad ortus.* Pleræque membranæ Delr. et Pariss. 6377 et 6395, *ad ortum*, quod forsan substitui debeat. Cf. quæ notav. pag. 160, in Animadverss. Herculis Fur. v. 24.

792. *Diem perdis.* Conjicit Nic. Heins. *prodis*, vana emendatione.

801. *Bubus.* Fern. Isoard. Ægid. Philol. *bobus.*

803. *Tuos limite.* Farn. Thys. *tuo limite.*

806. *Tityos.* Fern. Isoard. Ægid. Philol. *Tityus.*

807. *Pectore fesso.* Ascens. et Pariss. 8027, 8029, 8034, *fosso.* Malit Gronov. *fisso.* Sed vulgatæ adhærendum. — *Renovat.* Codd. 8032 et 8033, *revocat.*

810. *Struitur.* Gryph. et Petr. ad marg. *sternitur*, contra metri legem.

818 *Limina.* Duodeviginti Pariss. cum plerisque antiquis editt. *lumina*, quod nostræ lectioni longe inferius judicamus. *Limina* non solum in recentioribus Botheo et Badenio, sed et in Ægid. Avant. Vian. et in codice Florentino, unde mirum videri queat scriptum a Gronovio *lumina.*

820. *Mergere.* MS. 8261, *tangere.*

824. *Nocte parata.* Sic libb. vett. et Pariss. 8025, 8031, 8035, 8036, 8260, 8262. Fabric. cum nostris octo Pariss. *peracta*, quod in sententiam non recte cadit.

Digitized by Google

826. *Graves.* Philol. *gravis.* — *Digerit.* MSS. 8032, 8033, 8034, *dirigit;* cod. 6377, *diligit;* codd. 8024, 8028, 8029, *degerit.*

828. *Trepidant, trepidant.* Sic plerique MSS. et veteres impressi; et certe acrius et vividius quam *trepidant nostra,* in Avant. Vian. Gryph. Petr. et quatuor Pariss. inventum.

829. *Percussa metu.* Wakefieldus ad Lucret. I, 13, tuetur *perculsa,* tanquam fortius et tempestivius, adversus Delrionem, qui *percussa* substituit, plerorumque suorum MSS. auctoritate motus. Baden. quoque ad antiquam lectionem *perculsa* recurrit: falso, ut mihi videtur; nam neque librorum neque exemplorum confirmatione caret vulgata.

833. *Et mare et ignes.* Nic. Heins. *Et mare segnis.* Rursus quid sibi vult hæc emendatio, quum nihil sententia et verbis clarius inveniri possit?

835. *Æternæ facis.* Non audiendus Nic. Heins. qui intempestiva conjectura proponit *alternæ* vel *ætheriæ.*

840. *Sui.* Egvian. Delr. *suis,* quod sensu non careat.

847. *Labens.* Malit Wakefieldus ad Lucret. V, 642, *tabens,* quasi invenusta sit hæc repetitio *lapsa... labens!*

853. *Præfert.* Sic libb. Delr. et Commelini, sic Pariss. 6377, 8024, 8026, 8031, 8263, et vett. editiones Fern. Ægid. Grut. Heins. Scriv. Sic quoque recentiores, elegantius quidem quam Isoard. Philol. Ascens. Avant. Fabric. in quibus legitur *perfert,* ut et in Paris. 8029.

859. *Scorpion acrem.* Paris. 6395, *Scorpion atrum.*

864. *Frangesque.* Vulgo *frangetque.* De qua lectione Baden.: «Legendum *frangesque* è verissima correctione Wakefieldi ad Lucret. V, 614. Aquarii enim superioris urnam nullo modo frangere potest Ægoceros inferior. Manil. I, 271: *Tum venit angusto Capricornus sidere flexus. Post hunc inflexam defundit Aquarius urnam.* Hygin. Poetic. Astronom. 27: *Capricornus.... suppositus Aquarii manui sinistræ.* Ibid. 28: *Aquarius... manum sinistram usque ad Capricorni porrigens tergus.*»

865. *Tecum excedent.* Plerique nostri MSS. *excident,* quod et in Ascens. et Gryph. legitur. Sic quoque in Egviano et Lugdun. Delrionis, qui, quum nutaret versus admisso *excident,* conjiciebat *tecumque cadent.*

872. *Duro.* Rescribit Nic. Heins. *crudo,* inutili, ut solet, emendatione.

880. *Solem.* Gryph. et Petr. ad marg. *sortem.*

884. *Pereunte.* Substituit Baden. *moriente,* cujus verbi interpretamentum esse putat, quod in vulgatis libris legitur, *pereunte.* Congerit exempla, quibus approbetur posse dici *mundo moriente:* sed restat ut probet vulgatam elegantia carere, quæ sane non auctoritate careat.

886. *Attingens polum.* Plerique nostri Pariss. *cœlum;* Ascens. et Gryph. ad marg. *Jovem,* ut vetus edit. Gruteri. Putat Badenius *Jovem* ex interpretatione provenire.

892. *Vacat.* Undeviginti Pariss. cum omnibus editt. ante Gronovium *vocat,* quod mutavit ille quia reperit in Etrusco *vacat.* Illi suffragati sunt Bipont. Both. et Badenius; sed Schrœd. rescribendum censuit *vocat,* quod in Trajectino inventum ei arridebat; nempe «indicat tyrannus *invitari* se ad audendum facinus *ab opportunitate tenebrarum.*» Nos vero ar-

Digitized by Google

bitramur et significantius esse *vacat* et aptius cum sequentibus cohærere: adde quod ea lectio, ab Hug. Grotio margini adscripta, in nostris quoque 8029 et 8036 occurrit.

898. *Jaces.* Miratur Botheus, nec immerito, scribi in Gronovio *jacet.* Certe in omnibus MSS. et universis, præter Philologi, vett. editionibus, legitur *jaces*, quod melius cum superioribus *discutiam tibi* etc., conjungitur.

907. *Miserum videre nolo* etc. In omnibus veteribus Delr. libb. *Miserum videre volo, sed dum sit miser.*

908. *Collucent.* Adeo metri incuriosus est Gruterus, ut duorum suorum MSS. lectionem, *colluceant*, non ita pravam judicet.

909. *Purpura.* Rescribit Botheus *purpurea*, quod in Florentino invenerat Gronovius, nec tamen in contextum admiserat. Badenius contra vulgatæ adhæsit: « *Purpura*, inquit, correctoris est, non Senecæ, qui verbum *incubare* cum accusativo potius quam dativo construxisset pro consuetudine poetarum istius ævi, de qua confer Gronovium ad Phœniss. v. 499 et Nic. Heins. Adversar. p. 44. »

911. *O me.* Fern. Isoard. Ægid. cum novem Parisiis. *omen.* Ascens. Petr. ad marg. et novem nostri *omne.* Philol. Avant. Vian. Gryph. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriver. Farn. Thys. et recentiores, cum Paris. 6377, *o me.*

912. *Transcendi.* Fern. Isoard. Ægid. Ascens. *transcendit.*

916. *Abscondet.* Fabric. Raphel. Delr. *abscondit.* Gloriatur Gruterus, ut qui supposuerit ex quinque MSS. *abscondet*, quum in editis antea legeretur *abscondit.* — *Hoc hæc.* Sic Fabric. Raphel. Commel. Delr. Heins. Scriver. Farn. Thys. Gronov. et recentt. Sic et MSS. nostri 8029, 8037 et 6377, nisi quod in duobus postremis legatur *hæc hoc.* Monuit Commel. in uno suorum esse *Hoc, hoc.* Mox Gruterus lectionem Commelini in textum recipiendo, contendit se novam animam loco affudisse. Contra Gronovius alterum auctoris esse judicabat: cui suffragatus est Botheus, et nos utrique, quia optime *hæc* et *hoc* opponuntur: *Talis mensa tali potione claudatur.* Certe in Fern. Isoard. Ægid. Ascens. Gryph. et Grut. ut et in sexdecim MSS. nostris *hoc, hoc*: sed *hoc hæc* in Fabric. Raphel. Commel. Delr. Heins. Scriv. et in Paris. 8029.

920. *Longis hebetata.* Membr. Burdigal. apud Delr. *tantis obsessa.*

927. *Lapsum.* Nic. Heins. suadet *lapsis.* Both. *lapsos* malit. Sed inf. *degenerem victumque* satis monet legendum *lapsum.*

935. *Temporis omnes dimitte notas.* Fern. Isoard. Ægid. *t. o. d. mores.* Florent. codex *Tempore in omni dimitte notas*, de quo Jac. Gronov. in schedis Dietz. « Recte, quia Senecæ res sancta est et sacra miser, et de misero homine, non de tempore, est apodosis sequens: *Proprium hoc miseros sequitur vitium* etc. » Both. hanc Etrusci lectionem magnopere laudat, mirans eam silentio alterum Gronovium præteriisse: « Multo potior, inquit, vulgata *ac miseri Temporis omnes dimitte notas* mihi videtur, non quod parum bene per se hoc dictum putem, sed quod *miserum tempus* nimis simile *sævo fato* in superioribus, neque hujus *nubila* mul-

Digitized by Google

tum differunt ab illius *notis*. » Nos vulgatam retinemus, omnibus libris, excepto Florentino, confirmatam et stabilitam, quia 1°. Vix intelligendum censemus *notas miseri* pro omnibus illis quæ miserorum propria sunt; nec *tempore in omni*, sed *tempus in omne* requiri nobis videtur. 2°. Falso queritur Both. *miserum tempus* nimis simile *sævo fato* esse, et *nubila* non multum differre a *notis*: nam nihil poetis usitatius quam res easdem, sed aliis verbis, iterare; neque ita sensu paria existimo *sævi fati nubila* et *miseri temporis notas*. 3°. Frustra contendit Jac. Gronov. de misero homine, non de tempore, infra dici *Proprium hoc miseros*, etc.; nam quid prohibet primum de tempore misero, mox de misero homine sermonem haberi? « Pelle, inquit, sævi fati nubila et quæcunque te miserum fuisse testantur: redeant vultus ad læta: veterem Thyestem mitte ex animo. Imitari eos desine, qui malis antea conflictati, si quid felicius evenerit, lætis rebus neutiquam credere solent, etc. » Hæc omnia ita cohærent, ut admirer doctos viros tantopere in vulgata mutanda et alia tuenda lectione exsudavisse.

940. *Redeat felix*. Paris. 8055, *redeat lætis*.

945. *Quis me prohibet*. Nic. Heins. emendat *quid me prohibes*, ut continuetur forma dicendi *quid flere jubes*. Retine vulgatam, intellectu facilem: *Quis dolor me prohibet floro recenti vincire comam?* — *Recenti*. Melius quam *decenti*, quod in MSS. et vett. editt. Fern. Isoar l. Ægid. Philol. invenimus. Conspirant nobiscum Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriver. Gronov. et recentiores.

956. *Libet et Tyrio*. Frigere *et* Botheo videtur, et potius legendum *hei*.

961. *Quos tibi luctus*. Omnes MSS. et editt. ante Gronovium, *q. t. vultus*, quod retineant qui intelligi posse arbitrantur.

964. *Sero times*. Edidit Commel. *sera times*, forsan quod putaret ultimam in *sero* syllabam produci: sed non meminerat scribi in Juvenal. 1, 169: « galeatum sero duelli Pœnitet. » Et in Stat. Theb. I, 596: « Sero memor thalami etc. »

966. *Oberrat*. Fern. Isoard. Ægid. et Paris. 8261, *aberrat*.

968. *Habet lacrimas*. Nic. Heinsius, ne aptissimis et certissimis lectionibus parceret, conjiciebat vel *amat lacrimas*, vel *alit lacrimas*, vel *cupit lacrimas*, quasi latinitate et elegantia non præstaret vulgata! Bothens laudat Wustemannum, qui castigabat *uvet lacrimas*, inutilliori an praviori emendatione nescio.

971. *Firmet*. Mogunt. Delr. *firmat*, et mox *alligat*.

973. *Satias*. Philol. Jac. Gronov. et Bipont. *satis*, quod adeo non tolerari queat, ut Both. hanc lectionem irrepsisse operarum oscitantia credat. *Satiet* in duodeviginti Parisis. et in Fern. Isoard. Ægid. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Sed *satias* rectius (de quo vid. Drukenborch. ad Sil. IV, 110), quod in Heins. Scriv. Farn. Thys. J. F. Gronov. et Baden.

975. *Felici*. In Ortelii libro *filiis*, quod Raphelenig. non ita male contendit recipi posse.

980. *Satiaberis*. Paris. 8026, *saturaberis*.

Digitized by Google

981. *Colunt.* Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. *eolant.*

984. *Libentur.* Isoard. et cod. 8261, *libenter.*

985. *Nolunt.* Quindecim Pariss. et vett. editt. Fern. Isoard. Ascens. Delr. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Grut. Heins. Scriver. Farn. Thys. Gronov. *non vult.* Both. et Baden. ex Etrusco intulere *nolunt*, quod recepimus, non rati «propter grandiora pocula gentilitia et ambabus manibus capienda,» ut Botheo placuit, plurali numero sententiam indigere, sed quia hæc lectio elegantior nobis visa est.

994. *In noctem abdidit.* Sic quindecim nostri et libb. omnes, exceptis Fabric. et Bothei editionibus, quarum altera *in nocte abdidit*, altera *in noctem addidit*, cum Pariss. 8025, 8036, 8037, 8263. Secutus est Botheus Gronovium, qui licet *abdidit* in contextum receperit, se hanc lectionem non intelligere declarabat, et censebat scripsisse auctorem, *noxque se in noctem addidit.* Non diffiteor Gronovii conjecturæ nonnulla favere exempla, quæ in notis attulit; sed quid mutatione opus est, quum vulgata per se bona sit? Abditur nox in noctem, quum tenebræ spissiori quadam caligine involvuntur et nigrescunt. Nox appellatur, quæ sideribus tamen fulget: si tollantur sidera, nox alia fiet, in quam nox illa sublustris sese condidisse et abdidisse videri queat.

1000. *Quid tremuit.* Ægid. *quidve tremit.*

1005. *Agnoscis.* Pontani liber *agnosti.*

1009. *Abripis.* Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. et octo Pariss. nostri, *arripis.*

1012. *Stare circa Tantalum* etc. MSS. et vett. editt. *stare circa Tantalum Avosque nostros, si quis intra Tartara est, Uterque jam debuimus: hinc compagibus Et hinc revulsis, huc tuam immani sinu Demitte vallem.* Quum ea intelligi posse fateretur Gronovius, Florentini tamen codicis lectionem laudabat, quam arripui cum Botheo et Badenio, ut sensu probabiliorem.

1015. *Demitte vallem.* Negat Gronovius dici posse *demitte vallem*, quia «vallis jam demississima est,» et jubet substitui *emitte vallem*, h. e. aperi vallem hiatu terræ, ut in eam absorbeantur fratres. Sed quis ferat *emitte tuam vallem* pro *tuam vallem aperi?* Contra *demittere* pro *in altum excavare et aperire* usitatissimum: sic Virg. Georg. II, 230: «alteque jubebis In solido puteum demitti.» Fern. Isoard. Ægid. Philol. et duodeviginti Pariss. codd. *dimitte.* — *Defossos.* Petr. et quinque nostri codd. *defessos.*

1018. *Tortas.* Omnes libb. ante Delrionem habebant *totas*, quod Gruterus et Both. retinuerunt. Sed Heins. Scriver. Farn. Thys. Gronov. Bipont. et Baden. *tortas*, validiori sensu, nec contra latini sermonis consuetudinem, ut ex illis, quæ attuli p. 323, exemplis patet. Rapheleng. contendebat scripsisse Senecam *tostas*, quod laudavit Gronovius.

1019. *Exitia supra nostra.* Friget conjectura Gronovii, *exsilia.*

1021. *Fugere superi* etc. In nonnullis libris, nempe in duodecim Pariss. et editt. Philol. Raphel. Commel. Heins. Scriver. Farn. Thys. hic desideratur versus, et sic habetur locus: *Immota tellus pondus ignavum jaces?* Atr. *Recipe hosce citius: liberis tandem tuis Diu expetitis, nulla per fratrem est mora, Fruere* etc. In Fern. Grut. et Pariss. 8025, 8027, 8261,

Digitized by Google

ante versum *Recipe* etc. legitur manco versu *fugere superi*. In MSS. 8026, 8028, 8037, 8262, *fugere superi. Accipe hos potius libens. Recipe hosce citius : liberis tandem tuis Diu expetitis* etc. In Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Delr. *fugere superi. At accipe hos p. l. Recipe hosce citius : liberis* etc. In Ægid. *fugere superi. Quis Deus sontes feret? Respice hosce citius : liberis* etc. Et alii alio modo. Lectionem Gronovii amplexi sumus, ab omnibus recentioribus probatam; de qua Gronovius: « Jam olim notavit Commelinus ante hunc versum (*Recipe hosce citius* etc.) in nonnullis antiquis libris apparere hemistichion : *fugere superi :* in aliis vero exstare: *fugere superi :* A. *At accipe hos potius libens :* sed posterius sibi non placere. Gruterus quoque prius recipit, exclusis aliis, ut ait, quod non videantur genuina, attexta ab iis, qui consultum ibant versui. Immo et velit recidere, *Recipe hosce citius*, tanquam nihil sapientia Senecæ, et refingere : *fugere superi.* A. *liberis tandem tuis Diu expetitis.* Sed enim quum membranæ unicæ repræsentent: *fugere superi.* A. *Accipe hos potius libens Diu expetitos : nulla per fratrem est mora;* non dubito quin hæc ipsa sit auctoris manus, adjuvanda solummodo particula *at* inserta, quam tum personæ vocabulum, tum sequens verbum facile absorpsit. »

1025. *Non peto* etc. MS. 8055, *non peto incolumes patri Natos;* ut *habeam scelere quod* etc. Fern. Isoard. Ægid. habent pariter *patri.*

1031. *Habebis; quodque* etc. Florent. *habes; quodcunque.*

1036. *Aversum.* Fern. Philol. et Pariss. 6377, 8261, 8263, *adversum.*

1040. *Potuit.* Malit Gronovius *potui*, quasi non usitatissima foret hæc dicendi forma *potuit pater*, patre ipso loquente!

1042. *Quærit viam.* Gronovius ex Florentino proponit *quærit fugam*, quod in textum admisit Botheus. Sed nihil esse videtur cur mutemus vulgatam : nec quisquam objiciat propius adjacere *detur via;* nam haud invenusta repetitio nec fortuita.

1044. *Detur via.* Plerique Pariss. et editt. *demus viam.* Philol. Gronov. Bipont. et Baden. *demus fugam.* At notavit Gronovius in Florentino esse *detur via*, quod recepit Botheus et nos in contextum admittimus, ut elegantius, inventum cæteroquin in Paris. 8029.

1045. *Illiso.* MSS. 6377 et 8029, *illico.*

1046. *Contusa.* Sic Gronov. et recentiores, sic Pariss. 8024, 8031, 8035, 8260, 8263, sic et Florent. et Egvian. et duo Badenii. Cæteri *concussa.* — *Sustine, infelix, manum.* De Heinsii et Bothei lectione vid. quæ notavimus p. 326.

1051. *Sceleris est aliquis modus?* Negat Botheus ea per interrogationem dici, sed nihil affert quo sententiam suam adfirmet. Interrogatio cum præcedentibus aptissime consonat, necnon cum sequentibus.

1052. *Sceleri modus debetur.* Philol. et Pariss. 6395, 8026, 8037, 8263, *sceleris modus dabitur.*

1054. *Ex vulnere.* Both. *et vulnere* tacita emendatione aut operarum incuria.

1055. *Diffundere.* Badenius substituit *defundere*, quod Nic. Heins. ex

Digitized by Google

codice Florent. notaverat ad Ovid. Heroid. VIII, 61. Vix tanti esse arbitramur.

1059. *Corpore exanimo amputans.* Undecim Pariss. et editt. Ægid. Philol. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. et Heins. *corpora exanima*, quod rescripsit Baden. explicans *circumcidens corpora exanima*, ut sup. v. 763, *vasa amputat:* sic quoque Gronovius. Sed neuter quidquam dixit de hac forma orationis *artus, corpora exanima amputans* pro *artus et corpora exanima amputans:* quod quum mihi suspectum sit, lectionem amplector quæ in Scriver. Fern. Thys. Bipont. Both. habetur necnon in Ascens. et MSS. 8055, 8261, et nonnullis Commelini, nisi quod *corpori exanimo* pro *corpore exanimo* in his postremis scribitur.

1061. *Demersi ahenis.* Paris. 6395, *divisi ahenis;* 8028, *dimisi.*

1062. *Stillare jussi.* Paris. 8032, *stillare vidi.*

1063. *Trajectas veru.* MSS. Commelini et plerique Delrionis libb. habebant *trajecto veru;* sic quoque undecim nostri et editt. Fern. Isoard. Philol. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. At *trajectas*, quod melius cum cæteris verbis quadrat, non solum in Ægid. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriver. Gronov. et recentioribus, sed et in Pariss. 6377, 8024, 8034, 8036, 8261.

1068. *Clusa.* Nonnulli, ut solet, *clausa* (Fern. Ascens. etc.)

1069. *Vos quoque audite hoc scelus* etc. Sic Gronov. et qui secuti sunt. Antea, alii *Vosque, dii, audite hoc scelus Quocunque diffugistis* (Philol. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Delr. et decem Pariss. nostri); alii *Vos, dii, audite hoc scelus Quocunque diffugistis* (Raphel. Commel. Grut. Heins. et Paris. 8037) etc. etc. Florentino adhærendum.

1075. *Eequid.* Fern. Isoard. Ægid. Philol. cum novem nostris *et quid.*

1076. *Pro me esse.* MS. 8026, *prodesse.* — *Prospicient.* Mogunt. Delr. *proficient.* Herbip. et duo ejusdem Venet. cum edit. Ægidii, *prospiciant.* Pariss. 8026 et 8261, *prospiciant.*

1077. *Ætheriæ.* Fern. Ægid. Philol. Ascens. *æthereæ.*

1080. *Committe.* Notavit Delr. (1594) in quatuor vett. impressis legi *commisce:* sic et Fern. Isoard. Ægid. et Pariss. 8055 et 8261: forsan melius et acrius quam quod vulgo receptum est.

1081. *Non qua* etc. Censebat Gronov. scripsisse Senecam, *non quæ tecta et immeritas domos Telo petit minore,* offensus duplici ablativo *qua* et *telo minore.* Sed ipse animadvertit duos sæpe ablativos misceri et adjungi.

1084. *Hæc arma.* Legi malebat Gruterus *hac arma*, quod penderet a *manu,* de qua supra mentio. Scaliger quoque *hæc* repudiabat: unde Fern. et Thys. *hac* in contextum receperunt, necnon Botheus qui vulgatam frigidissimam judicavit. Placuit contra *hæc* et Gronovio et Badenio, quippe quod opponatur *telo minori.* Eorum sententiæ suffragamur, vulgatam significantiorem etiam quam alteram lectionem rati, quamvis reperiamus *hac* in MS. 6395.

1085. *Torque.* In uno Commel. *torquens*, quod et in MSS. 6395, 8026 et 8037 inveniu. — *Amissum.* Fern. *admissum.*

Digitized by Google

1086. *Lumen ereptum.* Avant. Vian. Gryph. Petr. et nostri 6395, 8025, 8026, 8037, 8263, *lumen exemptum.* De re subita, ut recte adnotavit Badenius, melius *ereptum* dicitur.

1088. *Si minus.* Ascens. et Gryph. *sin minus.* — *Mala sit.* MS. 8035, *mala sint.*

1089. *Me pete; trisulco* etc. Fern. et Isoard. contra metri integritatem, *me pete trisulco telo: flammeam facem* etc.

1095. *Immensa.* Nic. Heins. *immersa,* vana conjectura. — *Scelera.* Phil. et sex Pariss. *sæcula,* quod respuit metrum. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. *sæcla,* quod tolerari queat.

1097. *Perdideram.* Paris 8260, *perdiderim.*

1099. *Reddi.* Rectius quam *reddo,* quod exhibent MSS. Pariss. quatuor et editt. Fern. Isoard. Avant. Vian. Gryph. et Petr.

1103. *Quid? conjugales?* Plerique libb. *quid conjugales?* cum Botheo putavi acriorem ironiam fore si Atreus sciscitetur an Thyestes, dum præsides piorum deos testatur, conjugales intelligat. Attamen Baden. ex Nic. Heinsii et Gronovii judicio emendavit *Quin conjugales:* sed Thyestes in deorum numero qui piis invigilant conjugales deos potuit complecti. Amoveo igitur inutilem, immo et pravam castigationem. —*Pensat.* Ascens. *penset.*

1104. *Prærepto.* Nervosius dictum quam quod substitui volebat Nic. Heinsius, *præcepto.*

1105. *Tangit.* Sic plerique libb. nec mutandum, quamvis Both. et Baden. ex Etrusco codice *angit* scripserint, notantes futurorum et perfectorum subjunctivi personas secundas singularis numeri extrema syllaba longa ante vocalem inveniri; ideoque *hauseris, angit* non metro contradicere. Mihi manifestum est librarium qui Florent. codicem exaravit, vulgatam pro languida respuisse, et *angit,* ut multo validius, accersivisse. At vis est quandoque maxima verbi *tangere* et pro *vehementer commovere, perturbare* usurpatur. Ovid. de Art. am. III, 541: «*Nec nos ambitio, nec amor hos tangit habendi.*» Valer. Flacc. VIII, 198: «*et te, fidissime rector, Haud vani tetigere metus.*» Add. Nostr. Phœniss. v. 301.

Digitized by Google

Digitized by Google

PHOENISSAE.

Digitized by Google

DRAMATIS PERSONÆ.

OEDIPUS.
ANTIGONE.
NUNTIUS.
JOCASTA.
POLYNICES.

ARGUMENTUM.

OEdipus, postquam sibi ipse oculos effodit, et ultro abiit in exsilium (vid. Nostri OEdipum), victus malis, necem sibi inferre statuit: sed piis Antigones filiæ precibus exoratus, se vitam toleraturum pollicetur. Interea filios ejus, Eteoclem et Polynicem, impia moventes arma, quia Eteocles regnum fratri ex fœdere tradere abnuerat, Jocasta in gratiam reducere incassum molitur.... Hic interciditur Senecæ fabula; nec igitur narratur quomodo fratres alter ab altero confossi ceciderint, quod supplent Euripides et Statius.

Digitized by Google

L. ANNÆI SENECÆ

PHOENISSAE.

ACTUS PRIMUS.

OEDIPUS, ANTIGONE.

OEDIP. Cæci parentis regimen, ac fessi unicum
Lateris levamen, nata, quam tanti est mihi
Genuisse vel sic, desere infaustum patrem.
In recta quid deflectis errantem gradum?
Permitte labi : melius inveniam viam, 5

1. *Cæci parentis regimen.* Stat. Theb. IV, 536 : « O nostræ regimen viresque senectæ. »

2. *Quam tanti*, etc. Quæ pietate tua efficis, ut te genuisse gaudeam, quamvis per incestum genuerim. Non dissimiliter Stat. Theb. VII, 515 : « Nupsi equidem, peperique nefas, sed diligo tales. » Add. Agam. 233. Locum non intellexit Gallicus interpres recentior, qui sic reddit : *Ma fille, à qui je n'ai donné le jour que par un crime, crois-moi, abandonne un malheureux*, etc.

3. *Desere infaustum. Racine, Andromaque*, act. III, scen. 1 :

Mais toi, par quelle erreur veux-tu toujours sur toi
Détourner un courroux qui ne cherche que moi ?
Assez et trop long-temps mon amitié t'accable :
Evite un malheureux ; abandonne un coupable.

4. *In recta.* Quid recto itinere errabundos et incertos gradus deducis? Hipp. 137 : « Ad recta flecti regius nolit tumor. »

5. *Permitte labi.* Hoc mihi pro beneficio erit, si cadere detur et

Digitized by Google

Quam quæro, solus, quæ me ab hac vita extrahat,
Et hoc nefandi capitis aspectu levet
Cælum atque terras. Quantulum hac egi manu!
Non video noxæ conscium nostræ diem;
Sed videor. Hinc jam solve inhærentem manum, 10
Et patere cæcum, qua volet, ferri pedem.
Ibo, ibo, qua prærupta protendit juga
Meus Cithæron; qua peragrato celer
Per saxa monte jacuit Actæon, suis
Nova præda canibus; qua per obscurum nemus, 15
Silvamque opacæ vallis instinctas deo

saxis frangi, aut in præceps devehi. — *Melius*, etc. Solus et duce orbatus, in pericula incidam, e quibus me invitum abstrahis. Cf. Herc. fur. 1245.

7. *Et hoc nefandi*, etc. Sceleratorum enim conspectus deos hominesque polluere credebatur. Vid. Herc. fur. 1240. — *Levet*. Liberet. Virg. Bucol. IX, 65 : « Ego hoc te fasce levabo. »

8. *Quantulum*, etc. Hac ipsa dextra, qua me excæcavi, parum profeci, siquidem quos non conspicio, iidem conspectu meo terrentur.

10. *Hinc jam solve*, etc. A me solve manum. Ipsa Antigone inf. v. 51 : « Vis nulla, genitor, a tuo nostram manum Corpore resolvet. »

11. *Cæcum... pedem*. Cæci pedem.

13. *Meus Cithæron*. Hunc montem Œdipus suum appellat, quia ibi expositus fuerat, feris avibusque lacerandus infans. Sic Stat. Theb. XI, 747 : « Habeant te lustra, tuusque Cithæron. » — *Qua*, etc. Actæon, Aristæi et Autonoes filius, venationi deditus, forte in Dianam incidit, quæ sese gelido fonte lavabat : irata dea juvenem aqua conspersit et in cervum mutavit; unde ille a suis canibus laceratus est in Cithærone. Vid. Ovid. Metam. III, 138 et seqq. Apollod. III, 4. — *Peragrato celer*. Non quum venaretur, sed quum cervinis curreret pedibus. Ovid. Metam. III, 198 : « Fugit Autoneius heros, Et se tam celerem cursu miratur in ipso. »

15. *Nova præda*. Insolita et insuetata. — *Qua per obscurum nemus*, etc. Designat cædem Penthei, Thebanorum regis, qui spreto Bacchi numine, quum orgiis profanus intervenisset, ab ipsa matre Agave matrisque sororibus Ino et Autonoe laceratus periit. Vid. Apollod. III, 5. Eurip. Bacch. Theocrit. Idyll. XXVI. Ovid. Metam. III, 701 et seqq. Lactant. III, 10.

16. *Silvamque*, etc. Sic Euripid. Bacch, 1049 : « Ἦν δ' ἄγκος ἀμφίκρημνον ὕδασι διάβροχον, Πεύκαισι συσκιάζον, ἔνθα Μαινάδες Κάθηντ', ἔχουσαι, etc. » — *Instinctas deo*. Bacchico furore correptas.

Digitized by Google

Egit sorores mater, et gaudens malo,
Vibrante fixum prætulit thyrso caput;
Vel qua cucurrit corpus invisum trahens
Zethi juvencus, qua per horrentes rubos 20
Tauri ferocis sanguis ostentat fugas;
Vel qua alta maria vertice immenso premit
Inoa rupes, qua scelus fugiens sui,
Novumque faciens, mater insiluit freto
Mersura natum seque. Felices, quibus 25

17. *Egit sorores*, etc. Mater enim Agave Pentheum prima et conspexit et percussit. Theocrit. Idyll. XXVI, 12 : « Αὐτονόα πρώτα νιν ἀνέκραγε δεινὸν ἰδοῦσα. » Euripid. Bacch. 1112 : « Πρώτη δὲ μήτηρ ἦρξεν ἱέρεια φόνου, etc. » Ovid. Met. 711 : « Prima videt, prima est insano concita motu; Prima suum misso violavit Penthea thyrso Mater. » — *Gaudens malo.* Vid. in Eurip. Bacch. ad vers. 1167 quantum gaudeat et superbiat Agave, quod prima filium percusserit.

18. *Vibrante*, etc. Thyrsus erat hasta pampinis implicata, qua armatæ bacchabantur Mænades. Raptum igitur ex humeris filii caput Agave thyrso suo infixit. Conf. Euripid. Bacch. 1137.

19. *Vel qua*, etc. De supplicio Dirces, ad tauri furentis caudam alligatæ, vid. not. ad Herc. fur. 916.

20. *Zethi.* De quo vid. not. ad Herc. fur. 916. « Zethi, inquit Delrio, potius quam Amphionis meminit, quia Amphion, utpote humanior, a tali crudelitate alienior videtur. » — *Horrentes rubos.* Conf. Virg. Georg. III, 315.

21. *Sanguis.* Nam quacumque furens taurus fuerat vagatus, iter suum Dirces cruore descripserat, cujus corpus caputque saxis et dumis discissa sanguine stillabant.

22. *Premit.* Ponto imminet. Vid. Thyest. 643.

23. *Inoa rupes.* Rupes unde se præcipitem dedit Ino cum Melicerta filio, ut Athamantis mariti furorem effugeret, qui jam Learchum, alterum filium, saxo fregerat. Ovid. Metam. IV, 524 : « Imminet æquoribus scopulus : pars ima cavatur Fluctibus, et tectas defendit ab imbribus undas : Summa riget, frontemque in apertum porrigit æquor. Occupat hunc (vires insania fecerat) Ino, Seque super pontum, nullo tardata timore, Misit onusque suum. » Add. Apollod. I, 9, etc. — *Scelus fugiens sui.* Fugiens furore percitum Athamantem, qui jam, ut nuper notavi, ex filiis suis alterum necaverat. — *Sui.* Pro *conjugis sui.* Ovid. remed. am. 492 : « Frigidior glacie fac videare tuæ. »

24. *Novumque faciens.* Dum sibi filioque suo vitam vult adimere.

25. *Felices*, etc. Utinam et ego matrem habuissem quæ me interficeret, sicut Agave Pentheum, Ino Melicertam! Futura enim scelera,

Digitized by Google

Fortuna melior tam bonas matres dedit!
Est alius istis noster in silvis locus,
Qui me reposcit; hunc petam cursu incito;
Non hæsitabit gressus; huc omni duce
Spoliatus ibo. Quid moror sedes meas? 30
Montem, Cithæron, redde, et hospitium mihi
Illud meum restitue, ut exspirem senex,
Ubi debui infans. Recipe supplicium vetus

parricidium incestumque, moriendo effugissem.

27. *Alius... locus.* Postquam locos Actæonis, Dirces, Penthei, Inus cladibus famosos memoravit, hunc locum designat sibi proprium ubi olim derelictus fuerat; quo vel sine duce perventurum sese confidit.

30. *Quid moror,* etc. Cur moror sedes meas repetere? similiter Hor. III, od. 27, v. 50: « Impudens Orcum moror », pro « ad Orcum moror descendere. » *Lo fo aspettare, differendo il morire*, inquit Forcellinus, hunc Horatii locum explicans in lexic. ad verb. *morari.*

31. *Montem, Cithæron, redde.* Montem mihi redde, Cithæron; mihi redde tua juga, in quibus expositus fui (vid. sup. v. 13). De hac dicendi forma, *montem redde, Cithæron*, vid. Animadvv. nostras. *Coupé*, et, ad illius imitationem, *Lævée, Cithæron* et *montem* non distinguenda censuerunt, sic interpretati: *Rends-moi donc le mont Cythéron;* quasi Antigonem compellaret Œdipus. Sed quis credat *Cithæron* pro *Cithæronem* posse adhiberi?

33. *Ubi debui.* Intellige, non ubi infans exspiraturus eram, sed ubi infans melius exspirassem, quam nunc calamitatibus sceleribusque obrutus senex. — *Recipe supplicium,* etc. Ita interpretare: « O mons semper cruente, sæve, crudelis, ferox, qui sanguine et suppliciis hominum gaudes, recupera supplicium illud vetus, quod tibi ereptum est, quum ego, tuo quondam jugo expositus, morti subductus fui. » Male igitur interpres Gallic. recentior.: *O montagne toujours sanglante, toujours cruelle....., termine enfin le supplice qui m'est réservé.* In Senecæ versu proprie et pro vocabuli compositione usurpatur *recipere.* Sic Liv. III, 63: *Ibi.... res suas Romanus populationibus agrorum amissas recipit;* i. e. rursus in suarum rerum possessionem venit. Recte igitur Florens Christianus magno et plus quam Iberico loquendi fastu usos ait, qui urbis arces nunquam antea amissas *receptas* scripserunt: recipi enim, quæ bello amissa postea recuperamus. Sed idem ille languide locum Senecæ interpretatus est, et sua ipse explicatione male usus est, qui *recipi* dici putat pro *iterum accipi.* Hic *recipere* non aliter sonat quam *recuperare, rursus potiri*, ut in Liv. exemplo nuper allato, et in Cic. de Senect. 4: *Q. Maximus,*

Digitized by Google

Semper cruente, sæve, crudelis, ferox,
Quum occidis, et quum parcis : olim jam tuum 35
Est hoc cadaver : perage mandatum patris,
Jam et matris : animus gestit antiqua exsequi
Supplicia. Quid me, nata, pestifero tenes
Amore vinctum? quid tenes? genitor vocat.
Sequor, sequor : jam parce.... Sanguineum gerens 40

qui Tarentum recepit. Cum hoc sensu conspirant sequentia : « Olim jam tuum Est hoc cadaver. »

35. *Quum occidis, et quum parcis.* Æque crudelis fuisti, o Cithæron, et quum Actæona, Pentheum, Dircenque morte affecisti, et quum mihi vitam condonasti, tot sceleribus et malis reservatam. Med. 431 : « O dura fata semper et sortem asperam, Quum sævit et quum parcit, ex æquo malam. » — *Olim jam tuum*, etc. Jus habes in hoc corpus ex quo tua te præda fraudavit Phorbas, qui me arbori suspensum abstulit. Vid. sup. v. 33. *Olim* pro *jamdudum, jam pridem.* Plin. VIII, epist. 9 : *Olim non librum in manus, non stilum sumpsi : olim nescio quid sit otium, quid quies.* Add. Juvenal. VI, 346. Lucan. V, 769. Suet. in August. 30. Senec. epist. 77, etc.

36. *Cadaver.* Cadaver pro corpore dicit, quia prope occisus infans, et malis annisque fractus, magnam insuper mortis partem se excæcando præoccupasse videtur. Cf. inf. v. 94. — *Mandatum patris.* Qui me letho destinaverat.

37. *Jam et matris.* Reddidit *Levée : Accomplis les vœux de mon père et de ma mère.* Et de eodem loco Flor. Christianus : « Hoc dicit, quia recens natum Œdipum jusserat Laius pater exponi Cithærone absumendum obviis feris. Sed quia non est credibile idem fuisse mandatum matris (nam vel teste Menandro, *patre mater liberorum est amantior*), fortassis non distinguendum post *matris*, ut *matris animus* sit ipsa mater, quam aiunt suspendio vitam finisse. » Nec interpres Gallicus nec Flor. Christ. *jam et matris* mihi videntur intellexisse. Innuit Poeta, Jocasta matre, quæ filio quondam pepercit, nunc scelera ejus et in primis incestum noscente, debere Œdipum et ab ipsa jam letho voveri. — *Exsequi.* Assignatas puero pœnas implere.

38. *Pestifero.* Vita enim, quam amor tuus vetat abrumpere, maxima mihi et gravissima pestis est. — *Tenes.* Quid retines lethum quærere cupientem? *Tenes* autem proprie dicitur : vid. sup. v. 10.

39. *Vinctum.* Tibull. I, eleg. 1, v. 55 : « Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ. » — *Genitor vocat.* Ecce Laius a me occisus interfectorem suum vocat ad inferos.

40. *Jam parce.* Ne sævias in me propter necem tuam : nam miserrimus sum, neque mori recuso. — *Sanguineum gerens*, etc. Videre sibi videtur Laii diadema cæde, quam

Digitized by Google

Insigne regni Laius rapti furit;
Et ecce inanes manibus infestis petit
Foditque vultus. Nata, genitorem vides?
Ego video.... Tandem spiritum inimicum exspue,
Desertor anime, fortis in partem tui; 45
Omitte pœnas languidas longæ moræ,
Mortemque totam recipe. Quid segnis traho
Quod vivo? nullum facere jam possum scelus....

ipse patravit, cruentatum. Cf. Stat. Theb. I, 82.

41. *Regni...*, *rapti*. Gerit Laius insigne summæ potestatis qua illum spoliavi.

41. *Inanes*. Vultus suos Œdipus *inanes* appellat propter effossos oculos.

43. *Nata*, *genitorem*, etc. Sumptum ab Æschyl. Choeph. 1061: « Ἡμεῖς μὲν οὐχ ἑῶντα τάσδ', ἐγὼ δ' ὁρῶ. »

44. *Tandem spiritum*, etc. Ad se ipsum: Exspira, inquit, invisam istam et gravem animam. Jam in Thyeste, v. 245, vidimus: « Spiritum inimicum exspuat. »

45. *Desertor anime*. Dicitur animus pro ipso homine, ut sæpe in scriptt. latinis. « Mollis et semivir, inquit, et in partem tantum tui fortis, etc. » *Desertor*, i. e. qui te ipsum deseris ac prodis, nec audes quod inchoasti perficere. Verbum insolenter nec pro consuetudine adhibitum; sed nihil aliud editt. et MSS. præferunt. Vid. nostras Animadverss. — *Fortis*, etc. Animosus in evellendis oculorum orbibus, segnis autem et ignavus ad projiciendam vitam.

46. *Pœnas languidas*, etc. Pœnæ quæ ex longioris vitæ et miseriæ mora oriuntur; quæ quidem *languidæ*, i. e. molles et turpes viro, Œdipo videntur. Vid. in Animadvv. aliam interpretationem. Si quidem nimium offenderit his junctum sine intermissione substantivo adjectivum nomen, possit et legi non mutato sensu: *Omitte pœnas languidæ longas moræ*.

47. *Mortemque totam*. Jam enim magna ex parte exstinctus sibi videtur. Vid. sup. v. 36. Stat. Theb. XI, 579: « Sævoque e limine profert Mortem imperfectam. » — *Quid segnis*, etc. cur traho hoc, quod mihi superest, vitæ? cur diutius his in terris immoror, exhaustis ad quæ natus eram sceleribus?

48. *Quod vivo*. I. e. partem vitæ quæ mihi relicta est. Vid. not. sup. v. 47. Sic infra, ait Gronovius, v. 113: « et in cineres dabo Hoc quidquid in me vivit. » Et v. 170: « nec me redemi parte, membratim tibi Volui perire. » Hæc adjicit aptissime exempla Badenius: Plaut. Merc. III, scen. 2, v. 9: « Demum igitur quum senex sis, tunc in otium Te conloces, dum potestur: id jam luero est Quod vivis. » Pers. V, 152: « Indulge genio, carpamus dulcia: nostrum est Quod

Possum miser! prædico, discede a patre;
Discede, virgo : timeo post matrem omnia. 50
ANT. Vis nulla, genitor, a tuo nostram manum
Corpore resolvet : nemo me comitem tibi
Eripiet unquam. Labdaci claram domum,
Opulenta ferro regna germani petant;
Pars summa magni patris e regno mea est 55
Pater ipse : non hunc auferet frater mihi,
Thebana rapto sceptra qui regno tenet;
Non hunc catervas alter Argolicas agens.

vivis; cinis et manes et fabula fies. » Eamdem sententiam sic explicat Lucret. III, 403 : « Manet in vita, cui mens animusque remansit; Quamvis est cæsis circum lacer undique membris, Truncus, adempta anima circum, membrisque remotis, Vivit, et ætherias vitales suscipit auras. Si non omnimodis, at magna parte animaï Privatus, tamen in vita contatur et hæret. »

49. *Possum miser!* Sed quid ego? fallor certe, si nullum jam nefas admitti posse puto. Patrem interfeci; cum matre conjugium inivi; restat ut filiam meam stupro violem. — *Prædico*, etc. Moneo ut a me recedas, ne te virginem temerare possim, ne mihi supremi sceleris materia fias.

50. *Post matrem.* Subaudi pollutam connubio nostro : num de filia securus esse queo, qui matrem stupravi?

53. *Labdaci*, etc. Qui pater Laii fuit. — Certent Eteocles et Polynices de summa potestate, quam habuit pater : ego nihil ipso patre pretiosius duco. Pari affectu noster *Ducis*, *Œdipe chez Admète*, act. III, scen. 2 :

Vos ennuis sont les miens, ma douleur est la vôtre :
Nous seuls nous nous restons, consolés l'un par l'autre.
L'univers nous oublie; ah! recevons du moins,
Moi, vos tristes soupirs, et vous, mes tendres soins.
Que Thèbe à vos deux fils offre un trône en partage :
Vous suivre et vous aimer, voilà mon héritage.

55. *Pars*, etc. E regno magni patris summa et optima pars mea est, quum patrem ipsum habeam.

57. *Thebana*, etc. Eteocles qui, contra pacti fœderis legem, summam potestatem ultra annum perjurus retinuit. Ad hunc locum Flor. Christianus : « Antigona, immo jus bonum, plus videtur adjuvare Polynicen quam Eteoclem, ut videre etiam est apud Græcos tragicos. Itaque hic regnum rapuisse, imperium occupasse, fœdus læsisse et fidem; ille vero Argivos quidem duxisse, sed fœderis icti testes deos invocare, et hic et alibi traditur. »

58. *Alter*, etc. Polynices, qui socerum Adrastum, Argivorum

Digitized by Google

Non si revulso Jupiter mundo tonet,
Mediumque nostros fulmen in nexus cadat, 60
Manum hanc remittam : prohibeas, genitor, licet,
Regam abnuentem; dirigam inviti gradum.
In plana tendis? vado : prærupta appetis?
Non obsto, sed præcedo : quovis utere
Duce me; duobus omnis eligitur via. 65
Perire sine me non potes; mecum potes.
Hic alta rupes arduo surgit jugo,
Spectatque longe spatia subjecti maris.
Vis hanc petamus? Nudus hic pendet silex;
Hic scissa tellus faucibus ruptis hiat : 70

regem, in ultionem suæ injuriæ compulit.

59. *Non si revulso*, etc. Etiamsi Jupiter tam violento fulmine intonet, ut mundus, id est, sicut pridem monui, cælum, concutiatur et prope revellatur.

60. *Mediumque*, etc. Nequicquam velit Jupiter telis suis te a meo complexu dividere : usque tibi adhærebo, et vita prius mihi eripietur, quam genitor. Similiter pervicaciam suam testatur Philoct. in Sophocl. 1197 : « Οὐδέποτ', οὐδέποτ' (ἴσθι τόδ' ἔμπεδον) οὐδ' εἰ πυρφόρος ἀστεροπητὴς, etc. »

61. *Manum hanc.* Tuam, quam teneo. Errasse mihi videtur Forcell. qui in lexic. ad vocem *remitto*, locum explicat quasi de manu sua loquatur Antigone.

63. *In plana*, etc. Si in plano gradiaris, ubi tutum iter tibi patet, assidua comes ero : at si horridos montium apices, loca formidolosa et periculo plena persequaris, tuæ quidem voluntati non per vim obstabo, sed antecedam, ut quidquid discriminis subeundum sit, prior subeam.

64. *Quovis utere*, etc. Accipe *quovis duce* pro *duce ad quemvis locum*, quæ te comitetur in plano, te vero in prærupta præcedat, tecum aut victura, aut peritura.

65. *Duobus*, etc. Dummodo juncti iter faciamus, quamlibet viam elige : nullam, quantumvis periculosa sit, ambobus recuso.— *Eligitur.* Pro *eligi potest.*

67. *Hic alta rupes*, etc. Postquam patri eligendæ cujuslibet viæ potestatem dedit, ea conditione ut electam ambo ingrediantur, circumstantes locos describit ubi necem invenire queant, et Œdipum suadet profari, quonam deduci velit.

68. *Subjecti.* Cui rupes desuper imminet.

69. *Nudus.* Nullis fructibus vestitus. Virg. Bucol. I, 15, *silice in nuda.* — *Pendet.* Quasi ruinam minetur et in præceps casurus videatur, propter hiatum scissæ telluris.

70. *Scissa.* Mart. XII, 63 : « Scissa humus ad Manes. » — *Tellus.*

Digitized by Google

Vis hanc petamus? Hic rapax torrens cadit,
Partesque lapsi montis exesas rotat;
In hunc ruamus, Dum prior, quo vis, eo.
Non deprecor, non hortor. Exstingui cupis,
Votumque, genitor, maximum mors est tibi? 75
Si moreris, antecedo : si vivis, sequor.
Sed flecte mentem; pectus antiquum advoca,
Victasque magno robore ærumnas doma.
Resiste : tantis in malis vinci malum est.
ŒDIP. Unde in nefanda specimen egregium domo? 80
Unde ista generi virgo dissimilis suo?
Fortuna, credis? aliquis est ex me pius?
Non esset unquam (fata bene novi mea),
Nisi ut noceret. Ipsa se in leges novas

Rectius, inquit Delrio, tellurem dixit notandæ hiatus profunditati : nam *terra* proprie ipsa superficies, a terendo; *tellus* interior et penitior pars, quæ arborum radices sinu suo fovet et amplectitur juxta quosdam.—*Faucibus ruptis.* Aperto gurgite. — *Hiat.* Sallust. in Fragm. apud Non. IV, 228 : *Atque hiavit humus multa, vasta et profunda.*

71. *Rapax torrens.* Lucret. I, 17, *fluviosque rapaces.*

72. *Partesque* etc. Senec. quæst. natur. III, 27 : *Devolutus torrens altissimis montibus rapit silvas male hærentes, et saxa revolutis remissa compagibus rotat.* Et inferius : *Danubius.... juga ipsa sollicitat, ferens secum madefacta montium latera.* — *Exesas.* Undarum enim proprium est quælibet sensim corrodere. Curt. IV, 2 : *Nec ulla tam firma moles est, quam non exedant undæ per nexus operum manantes.*

74. *Non deprecor* etc. Neque exstimulo te, neque deterreo : in tua manu est vitam an mortem nobis decernas.

77. *Pectus antiquum.* Antiquam virtutem.

79. *Malum est.* Nisi mala fortiter tuleris, malum aliud ex eo ipso oritur, quod ea ferre non potueris : probrum enim miseriæ additur. Vid. Animadv. nostras.

80. *Unde*, etc. Miratur quod tantæ pietatis ac virtutis possit esse filia, quæ incestum patrem et adeo scelestos fratres habeat.—*Specimen.* De ipsa Antigone dictum, ut in Cic. de natur. deor. III, 32 : *Temperantiæ prudentiæque specimen Q. Scævola.*

83. *Non esset*, etc. Mea quidem filia pia est : sed quum hoc fatis decretum sit, ut mihi nihil non infaustum accidat, illam ipsam pietatem mihi detrimento fore præsentio : quin et jam nocet Antigone, dum me invitum servat.

84. *Ipsa*, etc. Tanta est in me deorum sævitia, ut, si illis desint

Digitized by Google

Natura vertet, regeret in fontem citas 85
Revolutus undas amnis, et noctem afferet
Phœbea lampas, Hesperus faciet diem.
Ut ad miserias aliquid accedat meas,
Pii quoque erimus. Unica Œdipodæ est salus,
Non esse salvum. Liceat ulcisci patrem 90
Adhuc inultum. Dextra quid cessas iners
Exigere pœnas? quidquid exactum est adhuc,

naturales causæ, unde mihi novas calamitates suscitent, ipsius naturæ leges ad me torquendum subversuros esse non dubitem. Cf. Herc. fur. 372, et Thyest. 476.

85. *Regeret in fontem*, etc. Amnes in fontem refluent. Sic Ovid. Heroid. V, 30: «Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.» Et id. in Trist. I, eleg. 7, v. 1: «In caput ante suum labentur ab æquore retro Flumina, etc.»

87. *Phœbea lampas*. Virgil. Æn. III, 637: «Phœbeæ lampadis instar.» — *Hesperus*. Stella noctis prænuntia.

89. *Pii quoque erimus*. Hic Farnabius: «Omnia præpostera fient; et, quod omnium maxime naturæ contrarium est, ego ipse quoque pius ero, ut miserior sim et nocentior.» Pariter interpretes Gallici: *Œdipe lui-même serait pieux*. Recte quidem animadvertit Farnab. hoc, *pii quoque erimus*, ut naturæ maxime contrarium, ab Œdipo afferri: postquam enim, ut fati sui tenacitatem exprimeret, relapsuros, si opus sit, fluviôs, etc. unde sua sibi crescerent mala, affirmavit, addit quod maximum monstrum haberi debeat, nempe *nos quoque pii erimus*. Sed male Farnab. et interpretes pluralem numerum per singularem explicant, *ego quoque pius ero*: ad totam domum suam, et præcipue ad pietatem Antigones respicit Œdipus: «Quomodo, inquit, fieri potest, ut in tam nefanda domo tantæ pietatis specimen elucescat?... sed ad perniciem tantum meam id monstri editum est: nam, ut aliquid ad meas miserias accedat, leges etiam suas natura dediscet; refluent amnes in fontem, sol noctem afferet, et Hesperus diem, et, quod cætera superat, nos, scelestum genus, pii erimus.» Cur autem hæc Antigones pietas sortem Œdipi pejorem faciat? Explicant sequentia: quia mori ea demum est Œdipi salus, et sua illi filia salutem adimit, dum moriendi facultatem denegat. — *Unica Œdipodæ*, etc. Forsan ex Virgil. Æn. II, 354: «Una salus victis, nullam sperare salutem.» Sic quoque *Ducis*, *Œdipe chez Admète*, act. III, scen. 2:

Ma vie est un supplice, et pour me secourir
Il ne me reste plus que l'espoir de mourir.

92. *Quidquid exactum est*, etc. Quum me excæcavi, admissum cum matre incestum tantummodo expiavi: restat ut vitam exspirem, parricidii piaculum. Conf. Nostri

Digitized by Google

Matri dedisti. Mitte genitoris manum,
Animosa virgo : funus extendis meum,
Longasque vivi ducis exsequias patris. 95
Aliquando terra corpus invisum tege.
Peccas honesta mente : pietatem vocas,
Patrem insepultum trahere. Qui cogit mori
Nolentem, in æquo est, quique properantem impedit.
Occidere est, vetare cupientem mori. 100
Nec tamen in æquo est : alterum gravius reor :

OEdip. 938 : « Moreris ? hoc patri sat est, etc. »

93. *Matri dedisti.* Stat. Theb. I, 72 : « miseraque oculos in matre reliqui. »

94. *Funus extendis meum.* Stat. Theb. I, 47 : « Merserat æterna damnatum nocte pudorem OEdipodes, longaque animam sub morte trahebat. » Add. IV, 614, et XI, 693. Male Farnabius : *Illo enim die nocens moritur quo peccat :* mortem appellat OEdipus vitam languidam et annis, malis cruciatuque tum corporis tum animi miseram. Sic Noster in OEdip. 949 : « Mors eligatur longa : quæratur via, Qua nec sepultis mixtus, et vivis tamen Exemptus erres : morere, sed citra patrem. » Sic quoque Ovidius, ærumnis consumptus, se jam defunctum vocat, Trist. III, eleg. 11, vers. 25 : « Non sum ego quod fueram. Quid inanem proteris umbram ? Quid cinerem saxis bustaque nostra petis ? ... Quid simulacra, ferox, dictis incessis amaris ? Parce, precor, manes sollicitare meos. »

95. *Longas.* Diuturnas. — *Ducis exsequias.* Solemne verbum. Vid. Plin. VIII, 42. Curt. X, 5. Sil. XVI, 306. Eamdem prope sententiam expresserat Cic. pro Quintio, 15 : *Huic acerbissimum vivo videntique funus ducitur.*

98. *Patrem insepultum*, etc. Potuit quidem OEdipus doloris impetu raptus se terræ debitum et jam exstinctum dicere ; sed quis ferat hanc hyperbolen ita torqueri, ut defunctus ille OEdipus filiæ exprobret, quod cadaver patris insepultum trahat ? Quis non videt enervari sententiam, dum ita producitur ? Est modus in rebus. — *Qui cogit mori*, etc. Peccas, o filia : nam non minore ipsius malo servatur invitus aliquis, quam occiditur. Hanc sententiam antea adhibuerat Hor. in Art. poet. v. 467 : « Invitum qui servat, idem facit occidenti. » *Racine*, Theb. act. V, scen. 7 :

Ah ! c'est m'assassiner que me sauver la vie !

Add. Senec. epist. 78.

99. *In æquo est.* Vid. Liv. XXXIX, 37, et Senec. consolat. ad Polyb. 32.

101. *Nec tamen*, etc. Immo gravius duco, si nex cupienti negetur, quam si inferatur timenti. Hoc enim ex præcedentibus et sequentibus sententiis intelligendum abunde patet. Unde miror quosdam interpretes

Digitized by Google

Malo imperari, quam eripi mortem mihi.
Desiste cœpto, virgo: jus vitæ ac necis
Meæ penes me est. Regna deserui libens;
Regnum mei retineo. Si fida es comes, 105
Ensem parenti trade, sed notum nece
Ensem paterna. Tradis? an nati tenent
Cum regno et illum? faciet, ubicunque est, scelus.
Ibi sit; relinquo: natus hunc habeat meus,
Sed uterque. Flammas potius et vastum aggerem 110
Compone: in altos ipse me immittam rogos.
Erectam ad ignes funebrem escendam struem,

eo usque erravisse, ut existimaverint Senecam dicere « plus peccare eum qui invitum occidit, quam qui nolentem servat. » Locum quoque non satis diligenter reddidit *Levée: Retenir la main de celui qui désire la mort, c'est le tuer. C'est pis encore que de le tuer: je sens que le poids de l'existence est mille fois plus affreux que son terme.* Omittuntur verba *imperari* et *eripi*, in quibus tota prope vertitur sententia: iteratur enim oppositio *cogere mori nolentem, properantem impedire.* Mihi, inquit Œdipus, non tam iniquum videretur mortem nolenti imperari, quam optanti moriendi facultatem adimi.

102. *Eripi mortem.* Senec. de Provident. 3: *Æquiore animo passus est se patriæ eripi, quam sibi exsilium.*

105. *Regnum*, etc. Exui potestatem in cætera omnia, non in voluntatem: « Stoicum, inquit Delrio: nam hæc secta nihil homini proprium censebat, præter animum et voluntatem; membra, corpus, vitam aliena esse prorsus. Qua de re et imperio sui, pulcherrime Epictetus apud Arrianum lib. II, cap. 22, et 29, et lib. III, cap. ultim. »

106. *Sed notum*, etc. Da mihi gladium illum Laii cæde infamem; optimum enim hic erit pœnæ instrumentum, qui sceleris fuit.

108. *Faciet*, etc. Si gladium, Laii sanguine imbutum, mihi non potes tradere, quis illum habent cum regno nati mei, id mihi solatio est, quod in eorum manu haud inutilis futurus sit; quippe quo utentur ad mutuam perniciem.

109. *Ibi sit.* Apud natum.

110. *Sed uterque.* Alter in alterum hunc ensem stringat. Quo voto Œdipus vaticinari videtur mutuam germanorum cædem.

112. *Erectam ad ignes*, etc. Hoc barbarum et sensu cassum judicat Botheus, et ante illum Gruter. versum supervacuum esse pronuntiaverat, quia, postquam Œdipus sese immiserit in rogos, non ascendet rursus in funebrem struem. Sed falsi sunt qui in poeta rerum ordinem tam rigide ad calculos vocant,

Digitized by Google

Pectusque solvam durum, et in cineres dabo
Hoc quidquid in me vivit. Ubi sævum est mare?
Duc, ubi sit altis prorutum saxis jugum, 115
Ubi torta rapidus ducat Ismenos vada:
Duc, ubi feræ sint, ubi fretum, ubi præceps locus,
Si dux es. Illuc ire morituro placet,
Ubi sedit alta rupe semifero dolos

præsertim in Seneca qui multa congerere et miscere solet, prout cogitanti occurrunt. Immo etiam potest Nostri versus ita intelligi, ut minime intercidi sermo, nec corrumpi legitimus sententiarum tenor videatur. Generaliter primum dicit Œdipus, *in rogos me immittam :* mox singula recenset, ad initia rei, ut plerumque fit, revolutus : *escendam struem, ad efficiendos ignes exstructam, et solvam flammis hoc pectus, et in cineres vertam quidquid in me vivit.*

113. *Pectus... durum.* Cor illud meum, quod tantis calamitatibus superfuit.

114. *Ubi sævum est mare?* Nota illam animi perturbationem, qua Œdipus modo flammas rogat, modo undas; mori cupit, nec interest qua ratione.

115. *Prorutum saxis.* Projectum et præruptum saxis; ita prominens, protentum, et procurrens in auras ut ruiturum videatur; eodem sensu quo Virg. Æn. III, 699 : « projectaque saxa Pachyni Radimus »; et Cic. Verr. IV, 10 : *Urbs erat ejusmodi loco, atque ita projecta in altum, ut et exeuntes e Cilicia prædones sæpe ad eam necessario devenirent.*

116. *Torta... vada.* Id est vada violento abrepta impetu, ut in Thyest. 1018, *tortas arenas.* Virg. Æn. VII, 567 : « Dat sonitum saxis, et torto vortice torrens. » Horat. I, od. 2, v. 13 : « Vidimus flavum Tiberim retortis Litore Etrusco violenter undis. » — *Ismenos.* Thebanus amnis, sic dictus ab Ismeno Pelasgi filio.

119. *Semifero dolos*, etc. Sphinx fuit monstrum quoddam, quod vultus virgineos, leoninum corpus, aquilinas alas habuisse fertur. Quum a Junone in Thebanos immissum fuisset, montem vicinum insedit, ibique solvendum ænigma proponebat, et si quis victum se profiteretur, hunc vorabat. Porro nuntiaveret oraculum non ante civitatem a Sphinge liberam fore, quam sensus ænigmatis ab aliquo expediretur. Jamque multi occubuerant, quum Œdipus aleam adire et rem aggredi ausus est. Hoc autem evolvendum illi fuit, quodnam animal mane quadrupes, meridie bipes, vespere tripes esset. Œdipus hominem significari intellexit, qui infans manibus pedibusque se protrahit, vir pedibus tantum graditur, senex infirmos gradus baculo adjuvat. Sphinx continuo ex arce præcipitem se dedit, victorque Œdipus Thebarum ditionem et Jocastæ conjugium mercedem accepit. Vid. Apollod. III, 5. Hygin. fab. 67.

Digitized by Google

Sphinx ore nectens : dirige huc gressus pedum, 120
Hic siste patrem : dira ne sedes vacet,
Monstrum repone majus. Hoc saxum insidens
Obscura nostræ verba fortunæ loquar,
Quæ nemo solvat. Quisquis Assyrio loca
Possessa regi scindis, et Cadmi nemus 125
Serpente notum, sacra quo Dirce latet,

122. *Monstrum repone majus.* Suum monti monstrum, et Sphinge quidem majus, redde. Se ipsum designat Œdipus, quem Sphinge immaniorem propter admissa scelera profitetur.

123. *Obscura nostræ*, etc. Meam ipse fortunam adeo obscuris verbis narrabo, ut nemo hoc meum ænigma solvat. Quæ quidem omnia intempestiva sunt et quam pessime ingeniosa.

124. *Quisquis*, etc. Finitimas omnes gentes convocat, ut ænigmati attendant. — *Assyrio.* Cadmo; qui quidem non proprie ex *Assyria*, sed ex Phœnicia in Bœotiam pervenit. Jam autem alibi notatum est poetas nomina vicinarum inter se gentium confundere solitos, et aliud pro alio usurpare. Vid. Herc. fur. 539.

125. *Scindis.* Arando sulcas. Vid. Virg. Georg. I, 50, et Claudian. de laudib Stilic. I, 134. — *Cadmi nemus*, etc. Silvam illam in qua Martium anguem Cadmus interfecit. Vid. Herc. fur. 261.

126. *Sacra quo Dirce*, etc. De Dirce in fontem mutata vide quæ notavimus Herc. fur. ad vers. 916 : «Lycus Dircen in matrimonium duxit, inquit Hygin. fab. 7; cui suspicio incidit virum suum clam cum Antiopa concubuisse. Itaque imperavit famulis, ut eam in tenebris vinctam clauderent... Zetus et Amphion, Antiopæ filii, Dircen ad taurum indomitum deligatam vita privarunt. Ex cujus corpore in monte Citherone fons est natus, qui Dircæus est appellatus, beneficio Liberi, quod ejus baccha fuerat.» Dirce autem dicitur *sacra*, non ut quæ Antiopam inclementer habuerit, i. e. *exsecrabilis*, quod ita interpretandum primo Delrioni placuerat. *Sacra* pro *divina* adhibetur, non tantum quia omnes fontes ex occulta origine habebantur divini, sed quoniam colebatur Dirce apud Thebanos, sive Bacchi nutrix fuerit, ut innuit Statius, I, Silv. 4, v. 21 : «Aut mitem Tegeæ, Dircesve hortabor alumnum»; sive Bacchus illi faverit quod *baccha*, ut ait Hyginus, fuisset, et Bacchanalium observantissima, cujus certe mortem deus ultus est, immisso Zeti et Amphionis matri furore, quo vaga per totam Græciam acta est. (Vid. Pausan. IX, 17.) Inde illa apud Thebanos, religiosissimos Bacchici numinis cultores, Dirces veneratio; ita ut Dircæus fons pro sacerrimo et præcipuo Bœotiæ loco habitus sit, et sæpe pro Thebis ipsis usurpatus. Sic in Virg. Bucol. II, 24, *Amphion Dircæus*; in Horat. IV, od. 2, v. 25,

Digitized by Google

Supplex adoras, quisquis Eurotam bibis,
Spartenque fratre nobilem gemino colis,
Quique Elin et Parnason, et Bœotios
Colonus agros uberis tondes soli, 130
Adverte mentem : sæva Thebarum lues
Luctifica cæcis verba committens modis,
Quid simile posuit? quid tam inextricabile?
Avi gener, patrisque rivalis sui,

Dircæus cycnus, i. e. Thebanus Pindarus; in Stat. Theb. II, 142, *Dircæus heros*, i. e. rex Thebarum Polynices; in Nostro, Œdip. 531, *Dircæa loca*, ibid. 588, *catervæ dente Dircæo satæ;* Herc. Œt. 140, *Dircæa mœnia*, etc. — *Latet.* Quod intelligi queat de occulto fontis ortu. Attamen et aliter interpretari possis: refert enim Plutarchus (de Dæmon. Socrat. 9) sepulturam Dirces nulli Thebanorum notam, excepto equitum duce, qui, postquam munus hoc suum suscepit, ab illo in cujus successit vicem, ad locum in quo sepulta est Dirce ducitur noctu: ibi quædam sacra in tenebris et sine ignibus peragunt, et mox, sublatis sacrificii vestigiis indiciisque, abeunt diversi.

127. *Eurotam.* Fluvium Laconiæ.

128. *Fratre nobilem gemino.* Castore et Polluce. Vid. Thyest. 627.

129. *Elin.* Regionem Peloponnesi, inter Arcadiam et Achaiam et mare Ionium. — *Parnason.* Montem Phocidos, qui frequentius *Parnassus* græce scribitur.

130. *Tondes.* Metis. Virg. Georg. I, 289: « Nocte leves melius stipulæ, nocte arida prata Tondentur. » Hanc vocem, inquit Delrio, Latini tralatione ad agros traxerunt, sicut apud Virgilium et Ovidium videre est, Græcos secuti, qui κείρω non hominibus modo aut pecoribus, sed et civitatibus, arboribus, fruticibus ac agris accommodarunt. Pindarus etiam longe alia in re: Ἐκ λεχέων κεῖρεν μελιηδέα ποίαν.

131. *Adverte mentem.* Virg. Æn. VIII, 440: « huc advertite mentem. » — *Sæva... lues.* Sphinx. Sic Val. Flacc. de Harpyis, IV, 431: « spes una seni, quod pellere sævam Quondam fata luem dederunt Aquilone creatis. »

132. *Luctifica*, etc. Ita committens, id est, miscens funesta et lethalia verba, ut cæcas, i. e. obscuras, eorum ambages nemo solvere possit.

134. *Avi gener.* Nam avi sui Labdaci Œdipus nurum Jocastam in matrimonium duxit. — *Patrisque rivalis.* Dicebantur *rivales* qui de communi *rivo* aquam hauriebant. Ulpian. Dig. l. XLIII, tit. XIX, leg. 1: « Si inter rivales, i. e. qui per eumdem rivum aquam ducunt, sit contentio de aquæ usu, etc. » Unde vocabulum ad amatores eamdem mulierem procantes translatum est. Miratus est Heinsius Œdipum rivalem defuncti Laii appellari: « An quemadmodum defuncti est

Digitized by Google

Frater suorum liberûm, et fratrum parens; 135
Uno avia partu liberos peperit viro,
Sibi et nepotes. Monstra quis tanta explicet?
Ego ipse, victæ spolia qui Sphingis tuli,
Hærebo, fati tardus interpres mei.
Quid perdis ultra verba? quid pectus ferum 140
Mollire tentas precibus? hoc animo sedet,

gener, inquit, qui illius filiam ducit, ita qui viduam ab eo derelictam, est rivalis? Ergo Messala Corvinus, qui Terentiam duxit Ciceronis, post obitum illius, rivalis ejus fuit. Græce magis absurditas apparet, qui ἀντεραστὴν dicunt. » Respondit Pontanus Œdipum, non simpliciter defuncto, sed occiso patre, matrem duxisse : atque eo præcipue aspectu eleganter hic *rivalem* et quasi ἀντεραστὴν appellari. Notavit quoque Gronovius κατάχρησιν haud illi disparem apud Lucanum esse, lib. III, ubi Julia in somnis ad Pompeium : « Innupsit tepido pellex Cornelia busto » ; et lib. VIII, ubi ipsa Cornelia ad Juliam : « placataque pellice cæsa Magno parce tuo. »

135. *Frater suorum*, etc. Huic Nostri loco similia sunt sequentia. Euripid. Phœnis. 1604 : « Παῖδάς τ' ἀδελφοὺς ἔτεκον. » Sophocl. Œdip. Tyran. 460 : « Ἀδελφὸς αὐτὸς καὶ πατὴρ, κἀξ ἧς ἔφυ Γυναικὸς υἱὸς καὶ πόσις, καὶ τοῦ πατρὸς Ὁμόσπορός τε καὶ φονεύς. » Ovid. Metam. X, 348, de Myrrha : « Tune soror gnati, genitrixque vocabere fratris? » Refert Delrio illa in marmore Italico inventa : « Hersilus hic jaceo, mecum Marulla quiescit, Quæ soror et genitrix, quæ mihi sponsa fuit. Vera negas, frontemque trahens, ænigmata Sphingis Credis? sunt Pythio vera magis tripode. Me pater e nata genuit, mihi jungitur illa. Sic soror et conjux, sic fuit illa parens. » Recentiores qui Œdipi fabulam in scenam traduxerant, hæc quasi tragœdiæ majestate indigna omisere. Attamen *Corneille*, *Œdipe*, act. V, scen. 5 :

Elle fait voir en moi, par un mélange infame,
Le frère de mes fils et le fils de ma femme.

136. *Avia*, etc. Jocasta, quæ sibi nepotes genuisse dici potest.

139. *Hærebo*, etc. Confusas istas scelerum ambages non statim expediam. *Corneille*, *Œdipe*, act. III, scen. 4 :

Moi-même en cet état je ne puis me comprendre,
Et l'énigme du Sphinx fut moins obscur pour moi,
Que le fond de mon cœur ne l'est dans cet effroi.

140. *Quid perdis ultra verba?* Quid verba frustra fundis? Ad filiam dictum. *Ultra*, i. e. amplius.

141. *Hoc animo sedet.* Certum et decretum stat. Virg. Æn. IV, 15 : « Si mihi non animo fixum immotumque sederet. » — De *animo* et *anima*, quæ in hac eadem sententia sociantur, Delr. hæc affert Attii : « Sapimus animo, fruimur anima,

Digitized by Google

Effundere hanc cum morte luctantem diu
Animam, et tenebras petere : nam sceleri hæc meo
Parum alta nox est. Tartaro condi juvat,
Et si quid ultra Tartarum est. Tandem libet, 145
Quod olim oportet. Morte prohiberi haud queo.
Ferrum negabis? noxias lapso vias
Cludes? et arctis colla laqueis inseri
Prohibebis? herbas, quæ ferunt letum, auferes?
Quid ista tandem cura proficiet tua? 150
Ubique mors est. Optime hoc cavit deus.
Eripere vitam nemo non homini potest;
At nemo mortem : mille ad hanc aditus patent.
Nil quæro : dextra noster et nuda solet

etc. » et Nonii : « Animus est quo sapimus, anima qua vivimus. »

142. *Effundere.* Vid. Virg. Æn. I, 102. — *Cum morte luctantem*, etc. Vid. Nostri Œdip. 949. Stat. Theb. I, 46 : « Impia jam merita scrutatus lumina dextra, Merserat æterna damnatum nocte pudorem Œdipodes, longaque animam sub morte tenebat. »

145. *Et si quid*, etc. Cf. Herc. fur. 1223. — *Tandem*, etc. Tandem animus est facere quod jamdudum fieri decuisset, nempe vitam abrumpere.

146. *Olim oportet.* Jampridem, jamdudum oportet. Vid. sup. v. 35, et quod ad hunc versum notavimus.

147. *Noxias lapso.* Per quas lapsus mortem inveniam. Intellige præcipitem ex montium jugis saltum, ut supra non semel.

148. *Colla laqueis inseri.* Cicer. Verr. lib. VI, orat. 9, c. 37 : *Homini collum in laqueum inserenti subvenisti.*

149. *Herbas*, etc. Venenosas fruges. — *Ferunt... auferes.* Quid sibi vult in tali re verborum ludus?

151. *Optime hoc cavit*, etc. Senec. epist. 12 : *Malum est in necessitate vivere ; sed in necessitate vivere, necessitas nulla est. Quidni nulla sit? patent undique ad libertatem viæ multæ, breves, faciles. Agamus deo gratias, quod nemo in vita teneri potest.* Id. de Provident. 6, ubi deus ipse loquitur : *Ante omnia cavi, ne quis vos teneret invitos : patet exitus. Si pugnare non vultis, licet fugere. Ideoque ex omnibus rebus, quas esse vobis necessarias volui, nihil feci facilius, quam mori.* Martial. I, 43 : « Conjugis audisset fatum quum Porcia Bruti, Et subtracta sibi quæreret arma dolor : Nondum scitis, ait, mortem non posse negari? Credideram satis hoc vos docuisse patrem. Dixit, et ardentes avido bibit ore favillas : I nunc, et ferrum turba molesta nega. »

154. *Nil quæro.* Non jam arma

Digitized by Google

Bene animus uti. Dextra, nunc toto impetu, 155
Toto dolore, viribus totis veni.
Non destino unum vulneri nostro locum.
Totus nocens sum : qua voles, mortem exige.
Effringe corpus, corque tot scelerum capax
Evelle; totos viscerum nuda sinus. 160
Fractum incitatis ictibus guttur sonet;
Laceræve fixis unguibus venæ fluant.
Aut dirige iras, quo soles : hæc vulnera
Rescissa multo sanguine ac tabe irriga.
Hac extrahe animam, duram, inexpugnabilem. 165
Et tu, parens, ubicunque pœnarum arbiter
Adstas mearum (non ego hoc tantum scelus
Ulla expiari credidi pœna satis

flagito : non jam peto, ut me ad mare vel ad gurgitem deducas. — *Et nuda.* Vel inermis. — *Solet.* Quippe hac dextra oculos meos effodi.

156. *Toto dolore.* Animi dolor dextræ poetice tribuitur. — *Veni.* Quæ, agenda decrevi, exsequere.

157. *Non destino*, etc. Non hanc vel illam corporis partem tibi feriendam lacerandamve adsigno, ut in oculis eruendis.

158. *Totus nocens*, etc. Argutiæ! Longe aliter veri affectus loquuntur. — *Exige.* Adige. Senec. de consol. ad Marc. 16, *exigere tela in aliquem.*

159. *Tot scelerum capax.* Quod tot scelera capere, continere potuit.

160. *Nuda.* Disrupto pectore quo teguntur. — *Sinus.* Secretas, intimas viscerum partes.

163. *Quo soles.* In illam sedem unde oculos eruisti. — *Hæc vulnera*, etc. Rescinde cicatrices, sanguinemque ac tabem cie.

165. *Hac extrahe*, etc. Senec. epist. 70 : *Qui, quam ferro non emiserat, animam manu extraxit.* — *Inexpugnabilem.* Quam ex corpore pellere hactenus non potui.

166. *Parens*, etc. Laium evocat, ultioni, ut opinatur, intentum. — *Arbiter.* Non testis solum, sed exactor; quippe quem, scelere filii interemptum, sceleri pœnas statuere et ab insonte ipsum repetere decet.

167. *Tantum scelus.* Parricidium.

168. *Ulla expiari*, etc. « Non credidi posse me, dum viverem, neci tuæ ulla pœna satisfacere. Oculos etiam quum mihi eruerem, quamvis mors quædam possit cæcitas appellari, hanc tamen levius esse malum existimabam, quam ut ad expiandum parricidium sufficeret. Partem corporis mei exstinguendo, membratim perire volebam; sed

Digitized by Google

Unquam, nec ista morte contentus fui,
Nec me redemi parte : membratim tibi
Volui perire), debitum tandem exige :
Nunc solvo pœnas; tunc tibi inferias dedi.
Ades, atque inertem dexteram introrsus preme,
Magisque merge : timida tum parvo caput

unius partis amissione tantum scelus male purgari sciebam. Inferias tantum tibi, genitor, dedi, quum mihi lucem ademi; nunc vero moriar totus oportet, ut tandem debitas solvam pœnas. » Hic ordo, hæc connexio sententiarum; quæ cum antecedentibus et sequentibus aptissime congruit.

169. *Ista morte.* Nempe, cæcitate; pro qua *mortem* posse dici ut approbaret Badenius, hæc Statii peropportune attulit, Theb. I, 47 : « Impia jam merita scrutatus lumina dextra, Merserat æterna damnatum nocte pudorem Œdipodes, longaque animam sub morte tenebat. » Ibid. IV, 614 : « ... jacet ille in funere longo Quem premis, et junctæ sentit confinia mortis, Obsitus exhaustos pædore et sanguine vultus, Ejectusque die. » Ibid. XI, 580 : « At genitor, sceleris comperto fine, profundis Erepsit tenebris, sævoque e limine profert Mortem imperfectam. »

170. *Nec me redemi parte.* Non ignorabam parte mei corporis non redimi quidquid atrociter patraveram. — *Membratim*, etc. Singula membra amittendo. Senec. epist. 101 : *Invenitur aliquis, qui malit inter supplicia tabescere, et perire membratim, et toties per stillicidia amittere animam, quam semel exhalare?*

172. *Nunc solvo*, etc. Nunc primum justas pœnas moriendo persolvo : nam, quum oculos evelli, tibi nil nisi inferias me facere æstimabam : porro inferiæ istæ tibi debebantur, ejusque generis sacra ne innocentes quidem omittunt; pœna igitur mea tota et integra restat, quam morte explebo. — *Inferias.* Sacrificia et libationes, quæ manibus fiebant. Vid. Cic. de nat. deor. III, 16. Sueton. Calig. 15. Virg. Æn. IX, 15, etc. etc. Ovid. Fast. V, 422 : « Inferias tacitis manibus illa dabunt. »

173. *Ades*, etc. Dextræ suæ non fidit in nece sibi inferenda, quippe quam infirmam et ægre animo suo parentem in evellendis oculis expertus fuerit. Genitorem igitur arcessit, ut illius ope altius manum adigere queat. — *Preme.* Stat. Theb. XI, 542 : « alte ensem germani in corpore pressit. »

174. *Magis.* Quam ego, dum mihi oculos eruerem. — *Timida.* Dextera. — *Tum.* Quum me excæcavi. — *Parvo caput Libavit*, etc. Dextræ enim suæ veluti libandi sanguinis curam delegaverat : caput pro patera fuit, cruor pro liquore, et ipsa dextra Œdipi libationem in honorem Laii faciebat, quemadmodum sacrificantes lacte, vino vel aqua libabant. Œdipus autem queritur quod ma-

Digitized by Google

Libavit haustu, vixque cupientes sequi 175
Eduxit oculos. Hæret etiam nunc mihi
Ille animus, hæret, quum recusantem manum
Pressere vultus. Audies verum, Œdipe :
Minus eruisti lumina audacter tua,
Quam præstitisti. Nunc manum cerebro indue. 180
Hac parte mortem perage, qua cœpit mori.
ANT. Pauca, o parens magnanime, miserandæ precor
Ut verba natæ mente placata audias.
Non te ut reducam veteris ad specimen domus,
Habitumque regni flore pollentem inclito, 185

nus sua parum sanguinis præ ignavia fuderit.

175. *Vixque*. Referendum *vix*, non ad *cupientes*, sed ad *eduxit*. Vix eduxit oculos, quanquam ipsi ultro manum insequebantur. Sic Stat. Theb. I, 71 : « Mox avidus pœnæ digitis cedentibus ultro Incubui. » — *Cupientes sequi*. Sententiam explicant sequentia Œdipi, v. 959 : « Oculique vix se sedibus retinent suis »; et v. 962 : « contra truces Oculi steterunt, et suam intenti manum Ultro insequuntur; vulneri occurrunt suo. »

178. *Pressere*, etc. Neque enim dextra ori, sed os dextræ occurrebat. Lucan. IV, 561 : « percussum est pectore ferrum, Et jugulis pressere manum. » — *Audies verum*. Ad se ipsum loquitur : « Verum tibi dicam. Animosius oculi sese eruendi præbuerunt, quam dextra munere suo functa est. »

180. *Præstitisti*. Præbuisti. Senec. epist. 4 : *C. Cæsar jussit Lepidum Dextro tribuno præbere cervicem : ipse Chæreæ præstitit*. Luc. V, 770 : « tantæque ruinæ Absentem præstare caput. » — *Cer. indue*. Injice, infige.

181. *Hac parte*, etc. Jam mors vacuam luminum sedem occupasse videri potest : eam altius et usque in cerebrum immitte; qua mors cœpit, mors peragatur. — *Qua cœpit mori*. Ad hunc locum Badenius : « *Cœpit* impersonaliter dictum accipe, pro *cœptum est*, ut in hoc C. Nepotis Epamin. 10 : *Idem, postquam apud Cadmeam pugnari cum Lacedæmoniis cœpit, in primis stetit*. Potest quoque accipi *mori* pro *mors*, ut sæpe in Latinis auctt. Sic Plaut. in Curcul. act. I, scen. 1, vs. 28 : « Ita tuum conferto amare semper, si sapis, etc. » *Tuum amare* pro *tuum amorem*, etc. etc.

184. *Veteris ad specimen domus*, etc. Non rogo, ut ad avorum tuorum specimen, id est, similitudinem imaginemque redeas. « Aliud est quod dixit supra, inquit Flor. Christian. *specimen egregium domus* : hic videtur esse τὸ εἶδος. »

185. *Habitumque regni*. Qualem regnum decet esse. — *Flore*. Splendore et opibus. Cic. de nat. deor. III, 33, *in ipso Græciæ flore*.

Digitized by Google

Peto; ast ut iras, tempore aut ipsa mora
Fractas, remisso pectore ac placido feras.
Et hoc decebat roboris tanti virum,
Non esse sub dolore, nec victum malis
Dare terga. Non est, ut putas, virtus, pater, 190
Timere vitam, sed malis ingentibus
Obstare, nec se vertere, ac retro dare.
Qui fata proculcavit, ac vitæ bona
Projecit, atque abcidit, et casus suos
Oneravit ipse, cui deo nullo est opus, 195

186. *Iras.* Id est, mala : nam omnia OEdipi mala ex ejus ira et impotenti contra semet ipsum indignantis furore orta sunt.—*Tempore aut ipsa mora;* etc. Quas temporis mora solet frangere. Nulla adhiberi posse alia interpretatio mihi videtur; et tamen cum Botheo fatear similiora *tempus* et *mora* esse, quam quæ ita distinguantur. Quod autem addit vir acutissimus, *non magnum esse, fractas ipso tempore iras placide ferre*, me non ita movet, ut velim pro vulgata lectione aliam intrudere : nam sententia ita intelligi potest, ut res non de privato OEdipi dolore, sed generaliter de cujuscunque hominis mœrore dicatur.

189. *Non esse sub dolore.* Non jacere dolore afflictum et oppressum. Sic Columel. I, 2 : *sub hoc metu, cum familia villicus erit in officio.* — *Victum*, etc. Fuga, hoc est, morte, se malis insectantibus eripere.

190. *Non est*, etc. Senec. epist. 24 : *Vir fortis ac sapiens non fugere debet e vita, sed exire. Et ante omnia ille quoque vitetur affectus, qui multos occupavit, libido moriendi.* Epist. 30 : *Plus momenti apud me habent, qui ad mortem veniunt sine odio vitæ, et admittunt illam, non attrahunt.* Add. Arist. Ethic. III, 7, ad Nicomach. Euripid. Herc. fur. 1347 et seqq. *Rousseau* (*nouvelle Héloïse*, III, 22) : *Je sais mourir; car je sais vivre, souffrir en homme. J'ai vu la mort de près, et la regarde avec trop d'indifférence pour l'aller chercher.*

191. *Timere vitam.* Etenim qui se interficiunt, potius vitam timere, quam contemnere mortem, videntur.

194. *Projecit.* Plin. VII, epist. 27 : *Spem salutis, nullo suorum desperante, projecit.* Add. Virg. Æn. VI, 436.

195. *Oneravit ipse.* Sortem suam graviorem fecit et ultro exacerbavit. Hoc dicit Antigone propter cæcitatem patris, qui, quum multas calamitates a fortuna accepisset, hoc sponte addidit, ut luce careret. Ea est enim verbi *onerare* significatio. Tacit. Ann. I, 69 : *Accendebat hæc, onerabatque Sejanus*, etc. XVI, 30 : *Ne patrem quidem intuens, cujus onerasse pericula videbatur.* Hist. II, 52 : *Onerabat paventium curas ordo Mutinensis*, etc. etc. Quibus exemplis abunde responsum Lipsio in-

Digitized by Google

Quare ille mortem cupiat, aut quare petat?
Utrumque timidi est: nemo contemsit mori,
Qui concupivit. Cujus haud ultra mala
Exire possunt, in loco tuto est situs.
Quis jam deorum (velle fac) quidquam potest 200
Malis tuis adjicere? jam nec tu potes,
Nisi hoc, ut esse te putes dignum nece.
Non es; nec ulla pectus hoc culpa attigit.
Et hoc magis te, genitor, insontem voca,
Quod innocens es, diis quoque invitis. Quid est 205
Quod te efferarit, quod novos suffixerit

terroganti, quomodo intelligi queat *casus suos onerare*. — *Cui deo nullo est opus*. «Prava erat, inquit Gronovius, atque impia obstinatio Veterum, putantium in extremis malis atque extra spem positos nec diis nec votis indigere, idque pro ultimo solatio habentium.... Sic Cassandra in Agamemnone: *Equidem nec ulla cælites placo prece: Nec si velint sævire quo noceant, habent*. Sic in Troadibus Andromache respiciens Astyanacta: *cogit hic aliquid deos. Adhuc rogare*. Ergo, *cui deo nullo est opus*, est, qui nihil habet, quod roget deos, qui cum spe et votis transegit.»

197. *Utrumque timidi est*. Cupere vel petere mortem ignavi animi indicium est. P. Syrus: «Rebus in adversis facile est contemnere mortem: Fortius ille facit, qui miser esse potest.»—*Nemo contemsit*, etc. Ita Schræderus: «Is, qui malis prementibus impar mori exoptat, mortem ipsam, id quod viri fortis est, contemnere haud dici poterit. Quare si is velis haberi, pater, qui cuncta minora ducas tua virtute, mortemque adeo ipsam contemnas, cave igitur ne quid indignum tua persona admittas, concupiscendo mortem tam impatienter.»

198. *Cujus haud ultra*, etc. Non est cur mortem cupias, quum nulla tibi calamitas metuenda supersit, et exhausta sint quæcunque pati poteras. Sic Ovid. Met. XIV, 487: «quid habet Cythera, quod ultra (Velle puta) faciat? nam dum pejora timentur, Est locus in voto: sors autem ubi pessima rerum est, Sub pedibus timor est, securaque summa malorum.»

199. *Exire*. H. e. extendi. Senec. de brevit. vit. 6: *Vestra vita, licet supra mille annos exeat, in arctissimum contrahetur*.

200. *Quis jam deorum*, etc. Etiamsi dii malis tuis velint adjicere, quidquamne adjicere possint?

202. *Nisi hoc*, etc. Hoc tantum te penes est miseriis addere, nempe ut te putes dignum nece.

205. *Diis quoque invitis*. Qui tuæ innocentiæ toties insidiati sunt, et te in tanta flagitia, sed imprudentem, compulerunt.

Digitized by Google

Stimulos dolori? quid te ad infernas agit
Sedes? quid ex his pellit? ut careas die?
Cares; ut altis nobilem muris domum,
Patriamque fugias? patria tibi vivo periit. 210
Natos fugis, matremque? ab aspectu omnium
Fortuna te submovit, et quidquid potest
Auferre cuiquam mors, tibi hæc vita abstulit.
Regni tumultus, turba fortunæ prior
Abscessit a te jussa. Quem, genitor, fugis? 215
ŒDIP. Me fugio; fugio conscium scelerum omnium
Pectus, manumque hanc fugio, et hoc cælum, et deos:
Et dira fugio scelera, quæ feci nocens.
Ego hoc solum, frugifera quo surgit Ceres,
Premo? has ego auras ore pestifero traho? 220
Ego laticis haustu satior? aut ullo fruor

208. *Ex his pellit.* Ex his ipsis sedibus quas nunc obtines.

209. *Cares.* Quippe qui cæcus est. — *Altis nobilem*, etc. Arcem regiam.

212. *Et quidquid*, etc. Quidquid morientes amittere solent, lucem, patriam, familiam, vivus amisisti.

214. *Regni tumultus.* Curæ civiles, publica negotia et regiæ dignitatis apparatus. — *Turba fortunæ prior*, etc. Hoc est, ait Badenius, gregi aulicorum, cultui regio sponte valedixisti. Tacit. Ann. XI, 30: *Nec domum, servitia, et cæteros fortunæ paratus reposcere;* et XV, 52: *Creber eo ventitabat Cæsar, omissis excubiis, et fortunæ suæ mole.*

216. *Me fugio.* Acriter et splendide responsum. — *Fugio scelerum*, etc. Stat. Theb. I, 50, de eodem: « Illum indulgentem tenebris, imæque recessu Sedis, inaspectos cælo radiisque penates Servantem, tamen assiduis circumvolat alis Sæva dies animi, scelerumque in pectore diræ. »

217. *Manumque hanc.* Dextram meam parricidii ministram.

218. *Quæ feci nocens.* Se non expertem sceleris, qualemcunque excusationem afferat Antigone, pertinacius asserit. Vide Animadvers. nostras.

219. *Ego hoc solum*, etc. Indignum se judicat, qui ullis vitæ bonis fruatur. — *Ceres.* Id est, messis.

220. *Ore pestifero.* Quia nocentes tellurem, auras, hominesque aspectu suo et contactu inquinare credebantur. Ad Veterum imitationem hanc dicendi formam nostri vulgo usurpant poetæ. *Racine, Athalie*, act. III, scen. 5:

De quel front cet ennemi de Dieu
Vient-il infecter l'air qu'on respire en ce lieu?

221. *Ego laticis*, etc. Audeone

Digitized by Google

Almæ parentis munere? ego castam manum
Nefandus, incestificus, exsecrabilis
Attrecto? ego ullos aure concipio sonos,
Per quos parentis nomen, aut nati audiam? 225
Utinam quidem rescindere has quirem vias,
Manibusque adactis omne, qua voces meant,
Aditusque verbis tramite angusto patet,
Eruere possem, nata : jam sensum tui,
Quæ pars meorum es criminum, infelix pater 230
Fugissem. Inhæret ac recrudescit nefas
Subinde; et aures ingerunt, quidquid mihi
Donastis, oculi. Cur caput tenebris grave
Non mitto ad umbras Ditis æternas? quid hic

meam vitam potu (*haustu laticis*) ciboque (*ullo almæ parentis munere*) sustentare?

222. *Almæ parentis.* Telluris, quæ cuncta parit alitque. — *Castam manum.* Manum tuam, o nata, puram omni scelere. Cf. Herc. fur. 1318.

225. *Per quos parentis*, etc. Illa enim parentis et nati nomina, quæ cæteris grata esse solent, gravissima scelera mihi in memoriam revocant, qui parentem occiderim, natosque per incestum genuerim.

226. *Utinam quidem*, etc. Ut visum sibi abstulit, sic auditum quoque eripere velit.—*Has... vias.* Aurium organa et meatus. Lucret. iisdem verbis, sed alio sensu, II, 406 : « Proptereaque solere vias rescindere nostris Sensibus. » Videtur Seneca hos Sophoclis versus ante oculos habuisse et imitatione expressisse. Œdip. Tyr. 1384 : « Τοιάνδ' ἐγὼ κηλῖδα μηνύσας ἐμὴν Ὀρθοῖς ἔμελλον ὄμμασιν τούτους ὁρᾶν; Ἥκιστά γ'. Ἀλλ' εἰ τῆς ἀκουούσης ἔτ' ἦν Πηγῆς δι' ὤτων φραγμὸς, οὐκ ἂν ἐσχόμην Τὸ μὴ 'ποκλεῖσαι τοὐμὸν ἄθλιον δέμας, Ἵν' ἦν τυφλός τε καὶ κλύων μηδέν· τὸ γὰρ Τὴν φροντίδ' ἔξω τῶν κακῶν οἰκεῖν, γλυκύ. »

227. *Omne, qua voces meant.* Omnem aditum, per quem verba dicentium usque in audientium animos penetrant.

229. *Sensum tui.* Te sentire et mihi proximam intelligere, visu et auditu destitutus, desiissem.

230. *Pars meorum es criminum*, Quippe quæ per incestum Œdipi et Jocastæ nata sit.

232. *Ingerunt.* In animum trudunt. Senec. de Benef. I, 12 : *Oblivisci sui non sinit, sed auctorem suum ingerit et inculcat.*

233. *Donastis, oculi.* Aures mihi omnia reddunt mala, a quibus erepti oculi immunem fecisse videbantur. Eleganter adhibetur *donare* pro remittere, condonare : sic Justi-

Digitized by Google

Manes meos detineo? quid terram gravo? 235
Mixtusque superis erro? quid restat mali?
Regnum, parentes, liberi, virtus quoque,
Et ingenii solertis eximium decus
Periere : cuncta sors mihi infesta abstulit.
Lacrimæ supererant; has quoque eripuit mihi. 240
Absiste : nullas animus admittit preces,
Novamque pœnam sceleribus quærit parem.
Et esse par quæ poterit? Infanti quoque
Decreta mors est. Fata quis tam tristia
Sortitus unquam? videram nondum diem, 245
Uterique nondum solveram clusi moras;
Et jam timebar. Protinus quosdam editos
Nox occupavit, et novæ luci abstulit.

nus, XXXII, 2, *donare causam* pro remittere curam causæ dicendæ. Sil. Ital. I, 487 : « Nivalem Pyrenen Alpesque tibi mea dextera donat. » Id. II, 325 : « Quantum heu, Carthago, donat tibi sanguinis Hanno! » Valer. Flacc. I, 473 : « Donat et Iphiclo pelagus, juvenumque labores Æsonides. » Add. Lucan. IX, 1016. Ovid. de art. am. III, 85. Stat. Theb. VII, 556, etc. etc.

235. *Manes meos detineo.* Quia jam magna sui parte exstinctus et mortuus est. Vid. sup. 94.

236. *Mixtus superis.* Jam notavimus *superos* persæpe appellari qui in terra et inter homines versantur, si modo de inferis sermo habeatur. Vid. Vell. Paterc. II, 48. Virg. Æn. VI, 128. Val. Flacc. I, 792. Vid. Nostr. in Hipp. 145, et in Herc. fur. 48. — *Quid restat mali?* Subaudi *quod subeam.*

238. *Ingenii solertis.* Hoc de soluto Sphingis ænigmate dictum intellige.

239. *Periere.* Ex Euripide expressum, Phœniss. 1682 : « Ὁ δ' Οἰδίπους ποῦ, καὶ τὰ κλεῖν' αἰνίγματα; — Ὄλωλ'. Ἓν ἦμαρ μ' ὤδλισεν, ἓν δ' ἀπώλεσεν. »

241. *Absiste.* Antigonem alloquitur: proposito desiste. — *Admittit.* H. e. audit, excipit.

243. *Infanti quoque*, etc. Mors decreta erat OEdipo a Laio patre, cui prænuntiaverant oracula fore ut filii manu caderet. Vid. ad hæc et sequentia Euripid. Phœniss. 1589 et seqq.

247. *Jam timebar.* Futurus genitoris interfector. — *Protinus quosdam*, etc. Sunt qui vix nati moriuntur : at ego, graviore fato, nondum in lucem editus leto debebar : mortuus quodammodo eram, priusquam vixissem.

248. *Nox occupavit.* Terent. Andr.

Digitized by Google

Mors me antecessit. Aliquis intra viscera
Materna letum præcoquis fati tulit: 250
Sed numquid et peccavit? Abstrusum, abditum,
Dubiumque an essem, sceleris infandi reum
Deus egit. Illo teste damnavit parens,
Calidoque teneros transuit ferro pedes,
Et in alta nemora pabulum misit feris, 255
Avibusque sævis, quas Cithæron noxius

act. I, scen. 6, v. 62: « mors continuo ipsam occupat. » *Noctem* pro *morte* usurpare poetis usitatum. Horat. I, od. 28, vs. 15: « omnes una manet nox. » Id. od. 4, v. 16: « Jam te premet nox fabulæque manes », etc. etc.

249. *Me antecessit.* Senec. epist. 60: *Qui latitant et torpent, sic in domo sunt, tanquam in conditivo. Horum licet in limine ipso nomen marmori inscribas, mortem suam antecesserunt.* — *Aliquis*, etc. Sententiarum connexionem non sensit Farnabius, qui explicat: « Alii in utero moriuntur, an forte quia peccaturi, ut ego? » Quis non videat frigere hanc OEdipi conjecturam? Totus ad id conspirat Nostri locus, ut probetur neminem unquam diis tam sæve habitum, quam OEdipum, fuisse, *fata quis tam tristia sortitus unquam?* Rem sequentia confirmant. « Quosdam, ait OEdipus, statim ac prodierant in lucem, mors rapuit: me, antequam in lucem prodirem, fata morti destinaverant. At multi quoque in maternis visceribus perierunt, ante ortum enecati: sed aliquis invenietur qui jam in utero, ut ego, peccaverit? Hoc miseriam meam singularem facit, quod alii in maternis visceribus innocui saltem mortui sint; ego autem etiam ante partum scelestus et parricida dictus habitusque fuerim. »

250. *Præcoquis.* Præcocis. Vid. Columell. III, 2, 9; XII, 37 et 39, etc. *Letum præcocis fati* pro *fatum præcocis leti.*

251. *Abstrusum*, etc. Utero adhuc inclusum. Plin. Panegyr. 63: *Abstrusus atque abditus.*

253. *Deus.* Phœbus scilicet, quem Laius interrogaverat. Vid. Euripid. Phœniss. 15. — *Egit.* Solennis locutio. Vell. Paterc. II, 45: *Reus incesti P. Clodius.* Ovid. Metam. XV, 36: « Spretarumque agitur legum reus. » Ovid. Heroid. XIV, 120: « quid fiet sonti, quum rea laudis agar? » *Chénier, OEdip. à Colone*, act. I, scen. 2:

Ah! déclaré coupable avant que d'être né,
Songez-vous qu'en naissant je fus abandonné?

254. *Calidoque teneros*, etc. Infantem enim jusserat Laius ad arborem, trajectis ferro pedibus, suspendi: unde postea *OEdipus* dictus est ab *œdemate pedum.* Vid. Euripid. Phœniss. 26.

256. *Cithæron noxius.* Vid. sup. vs. 34.

Digitized by Google

Cruore sæpe regio tinctas alit.
Sed quem deus damnavit, abjecit pater,
Mors quoque refugit. Præstiti Delphis fidem :
Genitorem adortus impia stravi nece. 260
Hoc alia pietas redimet : occidi patrem,
Sed matrem amavi. Proloqui hymenæum pudet,
Tædasque nostras : has quoque invitum pati
Te coge pœnas; facinus ignotum, efferum,
Inusitatum effare, quod populi horreant, 265
Quod esse factum nulla non ætas neget,
Quod patricidam pudeat. In patrios toros
Tuli paterno sanguine aspersas manus,

257. *Cruore sæpe regio,* etc. Actæonis (sup. vs. 14), Penthei (18), Dirces (20).

258. *Quem deus damnavit, abjecit pater,* etc. Gallicus interpres: *Proscrit par les dieux, mon père me repousse loin de lui, et la mort même recule d'horreur à mon aspect.* Hæc perperam intellecta mihi videntur, et contra sensum rerumque connexionem : locum sic accipi Noster voluit : « Quis tam tristia unquam sortitus est? Adhuc utero inclusum deus me sceleris infandi reum egit : illo teste, me damnavit parens, et feris devorandum abjecit; sed quem deus reum egerat, quem abjecerat pater, mors quoque refugit. » Ante *abjecit pater* subaudiendum *quem;* nam toto hoc versu resumuntur tantum præcedentia, ut ab iis ad nova transeat oratio, nempe *OEdipum, quanquam a deo damnatum et expositum feris, non tamen periisse, et potuisse superstitem Delphicum oraculum implere, genitorem occidendo et amando matrem.*

259. *Mors quoque refugit.* Notum enim quomodo expositus OEdipus inventus fuerit et servatus a Phorbante, Polybi Corinthiorum regis pastore. — *Præstiti Delphis fidem.* Quidquid prædixerat Delphicum oraculum perfeci et absolvi : ea feci, quæ fidem Delphico oraculo adderent probarentque nonnisi vera ab eo prænuntiari.

260. *Genitorem adortus,* etc. Vid. OEdip. 768 et seqq.

261. *Hoc alia pietas,* etc. Ironice dictum : at, puto, inquit, interfecti genitoris facinus mea in matrem pietate eluetur. De alia interpretatione a Botheo proposita, vide nostras Animadversiones.

263. *Has quoque,* etc. Hoc etiam pro pœna tibi sit invito, admissum nefas palam profiteri : te ipsum, OEdipe, coge istud supplicii perferre : effare facinus, etc. Pariter in Ovid. Lucretia, Fast. II, 225 : « Hoc quoque Tarquinio debebimus, eloquar, inquit, Eloquar infelix dedecus ipsa meum. »

Digitized by Google

Scelerisque pretium majus accepi scelus.
Leve est paternum facinus : in thalamos meos 270
Deducta mater, ne parum scelerum foret,
Fœcunda. Nullum crimen hoc majus potest
Natura ferre. Si quod etiamnum est tamen,
Qui facere possent, dedimus : abjeci necis
Pretium paternæ sceptrum, et hoc iterum manus 275
Armavit alias. Optime regni mei
Fatum ipse novi : nemo sine sacro feret

269. *Scelerisque*. Parricidii. — *Majus... scelus*. Incestum. Sic *Voltaire, Mahomet*, act. IV, scen. 5 :

L'inceste était pour nous le prix du parricide.

270. *Paternum facinus*. Id est, *in patrem admissum*. Duplex est quorumdam nominum adjectivorum sensus, quæ vel active, vel passive adhiberi possunt. Virg. Georg. III, 518, *fraterna morte* pro *fratris morte ;* Virg. Æn. IV, 21, *fraterna cæde* pro *cæde a fratre patrata*. Corn. Nepos in Annib. 1, *paternum odium* pro *odium quo pater flagrabat ;* Ovid. Metam. IX, 274, *odium paternum* pro *odium quo patrem Eurystheus prosecutus erat*. In hac sensus ambiguitate, nonnisi ex rerum et sententiarum summa decerni potest.

272. *Fœcunda*. Jocasta enim ex Œdipo filio Eteoclem et Polynicem, Antigonam et Ismenem genuit. Vid. infr. not. ad vers. 274. Ovid. Metam. II, 471 : « Scilicet hoc unum restabat, adultera, dixit, Ut fœcunda fores. »

273. *Si quod etiamnum*, etc. Si tamen majus nefas potest fieri, ipsi filios procreavimus, qui hoc admittant. Regreditur tandem Œdipus ad argumentum hujus fabulæ. Maxima, inquit, scelera patravi ; et si quid majus superesset, Eteoclem et Polynicem genui, qui hoc ipsum audeant : omnia enim infanda facturos satis declarat præsens fratrum discordia.

274. *Qui facere possent*. Ad hunc locum Delrio : « De Eteocle et Polynice loquitur ; quos Euripides, Ovidius, Seneca, et Papinius Œdipi et Jocastæ filios fuisse scripserunt ; sed hoc refellit in Bœoticis Pausanias, fretus testimonio auctoris Œdipodiorum carminum, contenditque illos Œdipi ex Euryganea filios fuisse. »

276. *Optime*. Quam meo regno sortem fata adscripserint, scio : nemo sceptrum Thebanum feret, nisi sacro cruore sese resperserit : ego, priusquam regnarem, patrem occidi ; nec, nisi interfecto fratre, natorum alter sceptrum obtinebit. Cf. Herc. fur. 396.

277. *Sacro*. I. e. quem nonnisi exsecrando scelere fundere queas. Sic in Liv. I, 4, *nefando se respergere sanguine* pro *sanguine quo se respergere nefas est* scriptum jam supra notavimus. Notum autem omnibus *sacro* pro *exsecrando* sæpe

Digitized by Google

Illud cruore. Magna præsagit mala
Paternus animus. Jacta jam sunt semina
Cladis futuræ : spernitur pacti fides : 280
Hic occupato cedere imperio negat ;
Jus ille, et icti fœderis testes deos
Invocat, et Argos exsul atque urbes movet
Graias in arma. Non levis fessis venit
Ruina Thebis : tela, flammæ, vulnera 285
Instant, et istis si quod est majus malum,

in auctt. latin. et præcipue in poetis usurpari, ut Virg. Æn. III, 57, *auri sacra fames;* Catull. XIV, 12, *horribilem et sacrum libellum,* etc. etc. Ideo appellabantur *sacri* homines mali et improbi, quia Diti patri et inferis consecrata illorum corpora videbantur. « Homo sacer is est, ait Festus, quem populus judicabit ob maleficium : neque fas est eum immolari ; sed qui occidit, parricidii non damnatur. Nam lege Tribunicia prima cavetur, *si quis eum, qui eo plebiscito sacer sit, occiderit, parricida ne sit.* Ex quo quivis homo malus atque improbus, sacer appellari solet. » — *Feret.* Feret illud regnum, id est, consequetur, sibi vindicabit. Sic Cic. pro Rosc. Amer. 37 : *Qui ab eo partem prædæ tulerunt.* Liv. XXXIX, 51, *Victoriam ex inermi ferre.* Juvenal. XIII, 105 : « Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema », etc. etc.

278. *Magna præsagit mala,* etc. Ad hoc Delrio : « Parentum præsagia nec vana nec inania esse solere varii poetæ docuerunt ; exemplo Cereris, Claudian. in lib. de raptu ; Thetidis, Papin. in Achilleide ; Dædali, Ovid. in Metam. »

280. *Spernitur pacti fides.* Sanxerant enim sese alternis annis regnaturos. Vid. Argumentum et Euripid. Phœniss. v. 69 et seqq.

281. *Hic occupato,* etc. Eteocles, qui, anno suo exacto, datam fidem fefellit. Vid. Euripid. Phœniss. 74.

282. *Jus ille,* etc. Polynices. Vid. Euripid. Phœniss. 76 et seqq. — *Icti fœderis.* Ideo fœdera *icta* dicebantur, quia in iis jungendis consecrandisque *feriebatur* et immolabatur hostia.

284. *Fessis.* Scilicet quas propter necem Laii sævissima lues vastaverat. Vid. OEdip. v. 1 et seqq.

286. *Istis si quod,* etc. Errant qui *istis* referunt ad natos OEdipi, ut interpres Gallicus : *Le fer, le feu, les blessures cruelles, tous les fléaux enfin sont prêts à fondre sur mes fils.* Interpretare, *si quod majus est istis malis.* Omnes imminent et instant Thebis calamitates, tela, flammæ, vulnera, et si quid pejus est, ut Eteoclem et Polynicem ex me genitos omnibus liqueat ; quasi incesti patris filii nihil non sceleratum admittere queant. In Stat. Theb. I, 87, OEdipus ad Furiam : *mea pignora nosces.*

Digitized by Google

Ut esse genitos nemo non ex me sciat.
ANT. Si nulla, genitor, causa vivendi tibi est,
Hæc una abunde est, ut pater natos regas
Graviter furentes. Tu impii belli minas 290
Avertere unus, tuque vecordes potes
Inhibere juvenes, civibus pacem dare,
Patriæ quietem, fœderi læso fidem.
Vitam tibi ipse si negas, multis negas.
ŒDIP. Illis parentis ullus aut æqui est amor, 295
Avidis cruoris, imperii, armorum, doli,
Diris, scelestis, breviter ut dicam, meis?
Certant in omne facinus, et pensi nihil
Ducunt, ubi illos ira præcipites agat,
Nefasque nullum, per nefas nati, putant. 300

288. *Si nulla*, etc. Si nihil aliud est cur vivas, at sane hoc te a morte debet deterrere, quod natos furentes et ad scelus præcipites genitor retrahere possis. Vive cæteris, si non tibi.

293. *Fœderi læso fidem.* Per te efficiatur, ut fœderis de annuis regnandi vicibus serventur conditiones.

294. *Vitam tibi*, etc. Quum enim tibi in manu sit, ne odia ulterius progrediantur, eos omnes interfecisse videberis, qui in bello perituri sunt.

295. *Illis parentis*, etc. At certe, ut id possem, quod optas, efficere, nempe inhibere bellum, necesse esset aliqua pietatis et æquitatis religione filii mei tenerentur: sed avidi sunt cruoris, imperii, armorum, etc.

297. *Breviter ut dicam, meis.* Stat. Theb. XI, 611: «Crudeles, nimiumque mei.»

298. *Certant*, etc. Uter plura scelera admittat. — *Pensi nihil Ducunt.* Nec ullam sibi officii legem servandam putant, dum ira efferuntur. De hac loquendi forma, *pensi nihil habere, nihil ducere*, vid. Sallust. in Catil. 5, 12, 23, 52, in Jugurt. 4. Sueton. in Domit. 12. Valer. Max. II, 9, 3. Plaut. Trucul. IV, 2, 52, etc. etc.

299. *Ubi... præcipites agat.* Plerumque adhibetur *ubi* cum verbis quæ nullum ex aliqua sede in aliam sedem motum exprimunt: in alteram quoque partem nonnunquam usurpari, argumento sit tum hic Nostri locus, tum sequentia ex Tacit. Annal. I, 22, allata: *Responde, Blæse, ubi cadaver abjeceris.* Fatendum tamen vix tertium ejusdem rei exemplum in bonæ notæ scriptoribus posse deprehendi.

300. *Nefasque nullum*, etc. Ne pessima quidem facinora pro sceleribus habent, qui per incestum,

Digitized by Google

Non patris illos tangit afflicti pudor,
Non patria; regno pectus attonitum furit.
Scio, quo ferantur, quanta moliri parent;
Ideoque leti quæro maturi viam,
Morique propero, dum in domo nemo est mea 305
Nocentior me..... Nata, quid genibus meis

summum scelus, ipsi fuerint geniti.

301. *Non patris*, etc. Non moventur paternis malis, quippe quos hæc una cura sollicitat, uter regno potiatur. In eumdem fere modum *pudor* adhibuit Cic. de provinc. cons. 6 : *Homo, in quo aliquis si non famæ pudor, at supplicii timor est.* Terent. And. I, 6, 25 : « Tot me impediunt curæ,... Amor, hujus misericordia, ...Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc. » Add. Liv. V, 46.

302. *Attonitum.* Regnandi cupiditate concitatum et abreptum. Non solum dicitur *attonitus*, qui ex quacunque causa stupet et mente percellitur, ut ex morbo, metu, admiratione, sed etiam qui turbatur, incitatur, furit. Petron. in satyr. 82 : *Attonito vultu efferatoque, nil aliud quam cædem et sanguinem cogito.* — Albinovan. ad Liv. eleg. I, v. 317 : « Quo raperis laniata comas ? similisque furenti Quo ruis? attonita quid petis ora manu? » Virg. Æn. VII, 580 : « Attonitæ Baccho...matres, » etc.

303. *Quo ferantur.* Nempe ad fraternam cædem.

304. *Leti quæro maturi viam.* Mihi mortem accelero et maturo, *mori propero*, ut ipsis Nostri verbis utar. *Matura* sæpe dicuntur quæ longum tempus probavit, firmavit, aut etiam concoxit et fregit, ut in Suet. Calig. 44, *maturi centuriones*, i. e. qui stipendia jam compleverunt; in Justino, XLI, 5, *matura senectus*, et XI, 5, *Persis longa jam satis, et matura imperia contigisse*, i. e. quæ, longius exercitata, jam deponenda sint. Dicuntur et *matura* quæ debito fiunt tempore, nec citius, nec tardius, ut in Cic. de divinat. I, 18, *maturam mortem oppetere;* in Tibull. I, 1, 7, « Ipse seram teneras maturo tempore vites, » etc. etc. Sed Noster *maturi leti* pro *citioris leti* posuit, quod exemplis quoque non caret. Tibull. IV, 1, 205 : « Seu matura dies celerem properat mihi mortem. » Horat. II, od. 17, v. 6 : « Te meæ si partem animæ rapit Maturior vis. » Auct. ad Herenn. IV, 17 : *Adolescentes maxime castigant, ut, quibus virtutibus omnem vitam tueri possint, eas in ætate maturissima velint comparare.*

305. *Morique propero*, etc. Præclare dictum et sincero affectu, quod Senecæ non crebro contingit.

306. *Nocentior me.* Etenim quantacunque Œdipus facinora admiserit, longe nocentiores nati videri poterant, qui scientes et volentes in mutuam perniciem ruebant. — *Nata, quid genibus*, etc. Hic Antigone, quæ modo argumentis egit, ne genitor ultro et volens morti oc-

Digitized by Google

Fles advoluta? quid prece indomitum domas?
Unum hoc habet fortuna, quo possim capi,
Invictus aliis : sola tu affectus potes
Mollire duros, sola pietatem in domo 310
Docere nostra. Nil grave aut miserum est mihi,
Quod te sciam voluisse. Tu tantum impera.
Hic Œdipus Ægæa tranabit freta,
Jubente te, flammasque, quas Siculo vomit
De monte tellus igneos volvens globos, 315
Excipiet ore, seque serpenti offeret,
Quæ sæva furto nemoris Herculeo furit;

curreret, ubi obstinatum senis animum et verbis inexpugnabilem intelligit, ad pedes ejus provolvitur, cum lacrymis et ejulatione amplexa.

308. *Unum hoc habet*, etc. Nihil me flectere potest præter tuas preces; nec jam ulla esset in me fortunæ potestas, nisi illa foret tua pietas, qua nequeam non moveri.

310. *Sola*, etc. Antigone, patre impio genita, et fratribus tam infanda parantibus, sola in Œdipi domo, pietatem docere, pietatis exempla præbere potest.

311. *Nil grave aut miserum*, etc. Quodcunque fieri cupis, id miserum mihi non jam videtur : quodlibet opta, insequar.

313. *Hic Œdipus*. Qui adest, quem vides. — *Ægæa tranabit freta*. Mare quod Europam et Asiam interfluit, infestum navigantibus et periculosum; *Ægæum* dictum, quod Ægæus Thesei pater in illud sese præcipitem dederit, vel Ægæa Amazonum regina in eo perierit, vel crebræ in eo sint insulæ, quæ procul aspicientibus caprearum (αἰγῶν) speciem præbeant, vel (nam multiplex de nomine ejus opinio) quod valde lascivit fluctibus, caprino more, maxime circa Cyclades, ubi potissimum naves subvertit et αἰγίζει. De his et multis aliis quæ traduntur, vide Festum, Suidam, Varron. de ling. lat. VI, 2, Strabonem, Plin. IV, 11, Delrionem, etc. Horat. III, od. 29 : « Tutum per Ægæos tumultus Aura feret. » — Nemo non intelligit quam prava sit ea enumeratio, et affectibus, qui decent Œdipum, aliena. Sed omnia ista congessit Seneca, ut extremo verbo, *Jubente te, vel vivet*, locum et vim faceret. Mare, ignem, volucres, draconem patietur Œdipus, si nata jusserit; imo et vitam patietur, quo malo gravius nullum est.

314. *Siculo*, etc. Ætna. Vid. Herc. fur. v. 80.

316. *Seque serpenti offeret*, etc. Draconi occurret, qui hortos Hesperidum custodiebat, quique nunc furit propter aurea mala ab Hercule subrepta. Draconem adhuc vivere fingit Noster, quamvis vulgo

Digitized by Google

Jubente te, præbebit alitibus jecur;
Jubente te, vel vivet.....

tradatur eumdem ab Hercule interfectum. Vid. Herc. fur. 239.

318. *Præbebit alitibus jecur.* Ultro in hanc pœnam Œdipus incurret, quam Tityus patitur in inferis. Vid. Herc. fur. 756.

319. *Jubente te, vel vivet.* Hac sententia optime concluditur pars prima tragœdiæ: attamen nonnulla desiderantur verba, non quidem ut compleatur absolvaturque rerum series, verum ut versus constet integritas. Vide nostras Animadverss. Chorum, qui excidisse quoque videtur, supplevit Chifellius. Vid. quæ huic tragœdiæ, post annotatam lectionum varietatem, subjunximus.

Digitized by Google

ACTUS SECUNDUS.

NUNTIUS, ŒDIPUS, ANTIGONE.

NUNT. EXEMPLUM in ingens regia stirpe edite, 320
Thebæ, paventes arma fraterna, invocant,
Rogantque tectis arceas patriis faces.
Non sunt minæ : jam propius accessit malum.
Nam regna repetens frater, et pactas vices,
In bella cunctos Græciæ populos agit; 325
Septena muros castra Thebanos premunt.
Succurre; prohibe pariter et bellum et nefas.
ŒDIP. Ego ille sum, qui scelera committi vetem

320. *Exemplum in ingens*, etc. Est enim Œdipus fatorum et numinum potentiæ quasi specimen, splendidius quidem in regia domo. Electus fuerat inter homines, qui eos doceret ipsa rerum humanarum fastigia fato obnoxia esse, nec ullo sanguinis virtutisve præsidio vitari posse, quod cuique sors reservaverit. Euripid. Phœniss. 877 : « Αἱ θ' αἱματωποὶ δεργμάτων διαφθοραὶ Θεῶν σόφισμα, κἀπίδειξις Ἑλλάδι. » Justin. XXIII, 3: *Admirabilis utriusque rei casus in exemplum fuit.* Plin. XXIII, 1 : *Non est prætereundum in eo exemplum ingens.*

322. *Faces.* Quibus hostes urbem jamjam incensuri videntur.

323. *Non sunt minæ.* Non jam minis tantum petimur, sed manu, metumque periculi periculum ipsum excepit.

324. *Nam regna repetens.* Polynices. — *Pactas vices.* Fœdus quo inter fratres convenerat, ut singuli per vices regnum obtinerent. Vide Argumentum et supra verss. 58 et 282.

326. *Septena*, etc. Castra septem ducum, nempe Polynicis, Adrasti, Tydei, Capanei, Hippomedontis, Amphiarai, Parthenopæi, qui singuli singulas Thebarum portas sibi obsidendas sumpserunt. Vide, præter alios, Æschyl. Sept. ad Theb. et Stat. Theb.

327. *Nefas.* Fratricidium.

328. *Ego ille sum*, etc. Egone ad scelera aliorum compescenda deligor, qui tot et tanta ipse admisi !

Digitized by Google

Et abstinere sanguine a caro manus
Doceam? magister juris et amoris pii 330
Ego sum? Meorum facinorum exempla appetunt:
Me nunc sequuntur; laudo, et agnosco libens.
Exhortor, aliquid ut patre hoc dignum gerant.
Agite, o propago clara, generosam indolem
Probate factis; gloriam ac laudes meas 335
Superate, et aliquid facite, propter quod patrem
Adhuc juvet vixisse. Facietis, scio:
Sic estis orti. Scelere defungi haud levi,

329. *Abstinere... manus.* Vel *quempiam* subaudi, ut sic contexatur oratio: « Ego quempiam id doceam, ut manus abstineat a caro sanguine! » vel *manus* cum *abstinere* hoc societur modo: « Ego ullas manus doceam a caro sanguine abstinere. » Nam et active usurpatur *abstineo*, ut in Cic. de Orat. I, 43: *Ab alienis mentes, oculos, manus abstinere;* Liv. VII, 27: *Ab æde tantum Matris Matutæ abstinuere ignem;* et neutraliter, ut in Sueton. Tit. 7: *Abstinuit alieno, ut si quis unquam*, etc. etc.

330. *Juris et amoris pii.* Violavit enim jus, id est, quod per leges seu naturales seu scriptas licet, occidendo patrem; et pro amore pio, incesto et impio matris amore flagravit, ut ipse declaravit supra, v. 261: *Occidi patrem, sed matrem amavi.*

331. *Exempla appetunt.* Gestiunt illi, nempe filii mei, genitorem imitari, et mea æmulari scelera.

332. *Laudo, et agnosco libens.* Ironiam adhibet, qua in summis calamitatibus exprobrantis et indignantis animi acerbitas vehementissime proferri et exprimi solet: Laudo filios meos, inquit, quod mea sequantur vestigia; agnosco prolem scelera genitoris referentem, dignosque Eteoclem et Polynicem pronuntio, qui vitam ab Œdipo acceperint.

334. *Generosam indolem.* Nobili et præclaro genere dignam indolem; ironice, ut cætera, dictum. Ovid. Metam. XIV, 698: « Viderat a veteris generosam sanguine Teucri Iphis Anaxareten. » Vid. et Cic. de clar. orat. c. 58. Horat. I, sat. 6, v. 2. Sallust. in Jug. c. 85.

335. *Gloriam ac laudes meas Superate.* Racine, *les Frères ennemis*, act. IV, sc. 3:

Surpassez, s'il se peut, les crimes de vos pères.

336. *Et aliquid facite*, etc. In Stat. Theb. I, 83, Œdipus ad Tisiphonem: «... votisque instincta paternis I, media in fratres; generis consortia ferro Dissiliant: da, Tartarei regina barathri, Quod cupiam vidisse nefas; nec tarda sequetur Mens juvenum; modo digna veni, mea pignora nosces. »

338. *Sic estis orti.* Per scelus procreati estis ad scelera patranda. Supra, v. 300: *nefasque nullum*

Digitized by Google

Haud usitato, tanta nobilitas potest.
Ferte arma : facibus petite penetrales deos, 340
Frugemque flamma metite natalis soli.
Miscete cuncta : rapite in exitium omnia :
Disjicite passim mœnia, in planum date.
Templis deos obruite : maculatos lares
Conflate : ab imo tota considat domus: 345

per nefas nati putant. RACINE, *les Frères ennemis*, act. IV, sc. 3 :

Le plus grand des forfaits vous a donné le jour;
Il faut qu'un crime égal vous l'arrache à son tour.

339. *Tanta nobilitas.* Notavit Delrio « in malam et in bonam partem sumi posse *nobilitas*; hic vero in malam sumi »; immo etiam in bonam partem, sed ironice, ut supra, v. 334, *generosam.* Eteocles et Polynices tam præclaro, tam nobili patre geniti, scelere inusitato defungi possunt. *Nobilitas* pro *claritas generis* sæpenumero adhibetur. Cic. de clar. orat. c. 16 : *Ad memoriam laudum domesticarum, et ad illustrandam nobilitatem suam.* Add. Ovid. ex Pont. IV, ep. 16, v. 44, etc.

340. *Ferte arma*, etc. Euripid. Phœniss. 67 : « Ἀρὰς ἀρᾶται παισὶν ἀνοσιωτάτας, Θηκτῷ σιδήρῳ δῶμα διαλαχεῖν τόδε. » — *Penetrales deos*, i. e. Penates. Cic. de nat. deor. II, 27 : *Dii penates, sive a penu ducto nomine (est enim omne, quo vescuntur homines, penus), sive ab eo, quod penitus insident; ex quo etiam penetrales a poetis vocantur.* Id. de Arusp. respons. 27 : *Deorum ignes, solemnes mensas, abditos ac penetrales foces, occulta sacra inexpiabili scelere pervertit.* Vid. Nost. Œdip. 365.

341. *Frugemque flamma metite.* Cum Badenio arbitror *metere* hic pro vastare, populari, adhibitum, quod non ferri magis, quam ignis est. Aliter alii et proprio sensu ea verba *flamma petite* interpretati sunt, in quibus Gallicus vates, *Rotrou*, Nostri imitator, *Antigone*, act. IV, sc. 1 :

Qui fit avec le feu la moisson de ses blés.

343. *In planum date.* Sueton. August. 96 : *Aquila duos corvos afflixit, et ad terram dedit.*

344. *Maculatos.* Pollutos, temeratos. — *Lares.* Deorum domesticorum signa.

345. *Conflate.* H. e. flammis absumite. *Conflare*, primo sensu, idem est atque *simul flare.* Plaut. in Rud. act. III, scen. 4, vs. 59, *ignem conflandi copia*, et Plin. XXXVII, *puer ignem conflans.* Et quia conflando excitatur ignis, hinc *conflare* ponitur pro *accendere*; atque etiam, quod ignem follibus conflando metalla liquantur, usurpatur identidem *conflare* pro liquare et dissolvere. Plin. XXXIV, 16 : *Calculi conflati in album plumbum resolvuntur.* Sueton. in August. c. 52 : *Argenteas statuas olim sibi positas conflavit omnes.* — *Considat.* Virg. Æn. II, 624 : « omne mihi visum considere in ignes Ilium. » —

Digitized by Google

Urbs concremetur : primus a thalamis meis
Incipiat ignis. ANT. Mitte violentum impetum
Doloris, ac te publica exorent mala,
Auctorque placidæ liberis pacis veni.
ŒDIP. Vides modestæ deditum menti senem? 350
Placidæque amantem pacis ad partes vocas?
Tumet animus ira, fervet immensum dolor,
Majusque, quam quod casus et juvenum furor
Conatur, aliquid cupio. Non satis est adhuc
Civile bellum : frater in fratrem ruat. 355

Domus. Regia.—Locum omnem mirifice depravavit Gallicus interpres : *Abattez vos portes* (qua de re nihil Seneca) ; *anéantissez vos temples* (sic tollitur magna illa imago, qua dii suis ipsi templis obruti exhibentur) ; *mettez en pièces les images des divinités de vos pères, forgez-en des armes* (quasi *conflare lares* idem sit ac conflare tela ex larium imaginibus !) ; *ne laissez subsister aucun édifice* (scilicet interpres *tota* accepit, quasi *omnis* scriptum fuisset, neque sensit de regia tantum agi).

346. *A thalamis meis.* Thalamos nuptiales et incestos, mei sceleris partem, primus ignis absumat.

347. *Mitte*, etc. Desine violento impetu efferri. Cic. pro Muren. c. 15 : *Mitto prælia; prætereo oppugnationes oppidorum.* Add. Horat. I, od. ult. Ovid. Met. III, 614, etc. etc.

348. *Exorent.* Placent. Ovid. Trist. II, 22 : « Exorant magnos carmina sæpe deos. »

349. *Placidæ.... pacis.* Simili pleonasmo Virg. Æn. I, 253, et VIII, 325.

350. *Vides modestæ*, etc. Quum omnia scelera suis natis modo imprecatus fuerit OEdipus, iramque suam vehementissime significaverit, miratur sese ad reconciliandam pacem vocari, et Antigonen non sine ironia interrogat, an ei quieto et pacifico animo esse videatur, quali opus esset ad coercendum bellum, hostesque ad concordiam reducendos?

352. *Tumet animus ira.* Adeo non aptus suadendæ paci OEdipus est, ut contra omnes furore superet.—*Fervet immensum dolor.* Sic adverbii vice ponitur *immensum* in Ovid. Fast. V, 537, et Tacit. Ann. III, 30 et 52; IV, 40.

353. *Casus.* Fortuna vel fatum. Respicit ad v. 277, inquit Badenius, ubi idem OEdipus : « Optime regni mei fatum ipse novi : nemo sine sacro feret Illud cruore. » Eodem sensu vox adhibetur in Hercule furente, v. 328 : « Quem sæpe transit casus, aliquando invenit. »

355. *Civile bellum*, etc. Parum est cives cum civibus præliari, fratres ipsi congrediantur.—*Frater in fratrem ruat.* Delrio Nostri locum sic explicat : « Has diras a Sophocle

Digitized by Google

Nec hoc sat est : quod debet, ut fiat nefas
De more nostro, quod meos deceat toros,
Date arma patri. Nemo me ex his eruat

accepit ; quibus respondit eventus. Nam quum in fraterno duello Eteocles vulneratus corruisset, mortuum ratus Polynices, spolia lecturus ei incubuit; ille assurgens gladio excepit et transfodit. Sic in jacentem *frater fratrem ruit.* » Œdipus quidem, apud Sophoclem, vss. 1369 et 1383, Polynici prænuntiat eum fratri necem illaturum, vicissimque a fratre accepturum esse, sed ea Sophoclis non imitatur Seneca : non hic de alterna fratrum cæde, sed de fraterno tantum certamine agitur, nulla eventus facta prædictione. Eadem infra verba usurpat Jocasta, necdum ejus nati mutuis vulneribus ceciderunt, v. 549: « Fratresque (facinus quod novum et Thebis fuit) In se ruentes. »

356. *Quod debet, ut fiat nefas,* etc. Sic locum interpretare : « Quin etiam, ut nefas, quod debet fieri, nostro de more fiat, ut fiat nefas, quod meos deceat toros, date arma patri. » Hanc ellipsim *quod debet* exemplis tuetur Badenius. Senec. epist. 58 : *Quidni oporteat educere animum laborantem ? Et fortasse paulo ante, quam debet, faciendum est, ne, quum fieri debeat, facere non possis.* Cic. de Orat. I, 44 : *Si nos, id quod maxime debet, nostra patria delectat.*

358. *Date a. patri.* Hærebat hic Gronovius, aliquid subesse confessus, quod parum assequeretur : « Quid enim restat post mutuum fratrum parricidium, quo facinus illud augeatur, *si patri dent arma ?* aut qui dabunt, postquam ipsi perierunt ? Nam illud *frater in fratrem irruat*, non congressionem modo, sed duplicem etiam cædem complectitur. » Baden. licet de interpretatione loci et Gronovii argumentatione nihil disserat, tamen, quum Statii versus afferat, Theb. XI, 627, « paulatim sumserat iras Mortis, et occulte telum, ni nata vetaret, Quærebat, etc. » videtur Nostri sententiam accepisse, quasi Œdipus sibi ipsi mortem minetur. Sic quoque Gallici interpretes. Ego contra non sibi, sed filiis minari Œdipum arbitror, quod ex præcedentibus et universa rerum serie colligitur : « Vis, inquit Œdipus, furentes placem et ad concordiam revocem : sed ipse ira et dolore efferor, ita ut majus aliquid, quam quod conantur, cupiam. Civile bellum movent ; at ego frater in fratrem ruat, velim; velim (scelus Œdipo dignum !), velim mihi dari arma, quibus eos occidam. Hic est, quem ad pacem inter illos reconciliandam voces ! » Qua interpretatione nisi fallor, et omnia in planum deducuntur et confirmatur antiqua et vulgata lectio, a multis et in multiplicem modum sollicitata. Vide Animadv. nost. — *Nemo me ex his eruat.* Quomodo ea superioribus annectantur ut sentias, memento superiorum summam hisce contineri : « Non is sum qui furentes et effrenatos cohibere possim, furens ipse et dolore ferus. » Addit aptissime : « Nemo igitur me ex his eruat silvis. »

Digitized by Google

Silvis : latebo rupis exesæ cavo,
Aut sepe densa corpus abstrusum tegam. 360
Hinc aucupabor verba rumoris vagi,
Et sæva fratrum bella, quod possum, audiam.

* * *

359. *Latebo rupis exesæ cavo.* Cf. Herc. fur. 460, et in Herc. fur. Animadv. p. 180.

360. *Sepe densa.* Densis arborum ramis.

361. *Aucupabor.* Observabo, captabo, avida aure excipiam. Cic. in Pison. 24 : *Inanem aucupari rumorem, et omnes umbras etiam falsæ gloriæ consectari.*

362. *Quod possum, audiam.* Hic interciditur actus. Vide quæ ad Henrici Chifellii supplementum notavimus.

Digitized by Google

ACTUS TERTIUS.

Ἀκέφαλος.

JOCASTA, ANTIGONE, NUNTIUS.

JOC. FELIX Agave, facinus horrendum, manu
Qua fecerat, gestavit, et spolium tulit
Cruenta nati Mænas in partes dati. 365
Fecit scelus; sed misera non ultra suum
Scelus hoc cucurrit. Hoc leve est, quod sum nocens;
Feci nocentes. Hoc quoque etiamnum leve est;

363. *Jocasta.* Vivit Jocasta tertio post anno quam incestum filii agnovit: attamen in Œdipo, agnito facinore, statim sibi mortem consciscit. Hæc temporum confusio Nostro, ut jam notavi, usitatissima. — *Agave.* Penthei mater, quæ filium suum, juvantibus Bacchis, decerpsit. Vid. sup. v. 17. Cur dicatur *felix*, explicant sequentia: nam *non ultra scelus suum cucurrit*, etc.; felix est, si Jocastæ miseriori compáretur. — *Facinus..... gestavit.* I. e. caput Penthei recisum et affixum thyrso, quod fusius explanant addita verba *spolium tulit nati in partes dati.* Eurip. Bacch. v. 1137: «κρᾶτα δ' ἄθλιον, Ὅπερ λαβοῦσα τυγχάνει μήτηρ χεροῖν, Πήξασ' ἐπ' ἄκρον θύρσον, ὡς ὀρεσέρου Φέρει λέοντος διὰ Κιθαιρῶνος μέσου.» Persius, I, 100: «Et raptum vitulo caput ablatura superbo Bassaris, et lyncem Mænas flexura corymbis.» Add. Theocr. XXVI, 20.

365. *Mænas.* Dictæ Bacchæ *Mænades* a μαίνομαι.

367. *Cucurrit.* Progressa est. Scelere hoc suo contenta, nihil ultra admisit, quod ei exprobrari queat. Vide Anidmadv. nostras. — *Hoc leve est*, etc. Ego vero, Agave miserior, non tantummodo nocens fui, sed alios quoque in scelus meum traxi.

368. *Feci nocentes.* Sunt quos sceleri meo implicui. Hoc male interpreteris de Eteocle et Polynice, quum statim addat Seneca, *peperi nocentes*, nec possit *facere nocentes* pro *nocentes procreare* accipi. Nullum alium quam Œdipum Jocasta designat, quem matrimonio sibi adjunxit et infanda permistione sontem fecit. Itaque volebat Li-

Digitized by Google

Peperi nocentes. Deerat ærumnis meis,
Ut et hostem amarem. Bruma ter posuit nives, 370
Et tertia jam falce decubuit Ceres,
Ut exsul errat natus et patria caret,
Profugusque regum auxilia Graiorum rogat.
Gener est Adrasti, cujus imperio mare,
Quod cingit Isthmon, regitur : hic gentes suas, 375
Septemque secum regna ad auxilium trahit

psius reponi *feci nocentem*. Sed quoties in latinis scriptoribus, et præsertim in Nostro, pro singulari numero pluralis et eleganter quidem nec sine vi quadam usurpatur! Unde Heinsius : « Non assequor, quare vir optime de hoc auctore meritus, multum se sententiæ consulere existimet, quum *nocentem* reposuit. Quia de solo, ait, Œdipode est sermo. Atqui nihil ista numeri mutatione esse ἐνεργέστερον sciunt, qui vel unum auctorem legerunt, aut in istis aures leviter subactas habent. Itaque, si mutes, omnis vis perit..... Illustre est illud Sophoclis, quod rhetores notant : « κἀπεδείξατε Πατέρας, ἀδελφοὺς, παῖδας, αἷμ' ἐμφύλιον, Νύμφας, γυναῖκας, μητέρας. » Πατέρας de solo Œdipode, μητέρας de Jocasta. Nihil est tritius. Sed vis maxima est. Et hoc naturalis sermo nos docet. » Gruterus quoque notaverat *sæpe pluralem pro singulari poni*, ut in Troad. v. 981 ; « Quis tam impotens ac dirus, et iniquæ ferus Sortitor urnæ regibus reges dedit? » loquente Hecuba de se et Ulysse. Conf. Hercul. fur. v. 1284.

369. *Peperi nocentes*. Nempe Eteoclem et Polynicem.

370. *Ut et hostem amarem*. Polynicem, cui favet, quem amat mater, licet patriæ exitium minitantem. Stat. Theb. VII, 490 : « Heu quis monstraverit hostem, Quem peperi? » — *Bruma ter posuit nives*. Ter desiit hiems nives in terras diffundere. Sic enim *posuit* accipio, non, ut interpres Gallicus et ipse Botheus, tamquam scriberetur, *ter hiems nives demisit e cælo :* hoc sensu *posuit* mihi frigere videtur. *Ponere* pro *deponere* sæpe adhibetur. Virg. Æn. VII, 27 : *Quum venti posuere;* supple *vim, flatum*. Sil. Ital. IV, 397 : « Inque vicem erepta posuerunt prælia vita. »

371. *Et tertia jam falce*, etc. Tertia messis decisa est, id est, tertius effluxit annus. Troad. 73 : « Decies nivibus canuit Ide, Ide nostris nudata rogis, Et Sigeis trepidus campis Decumas secuit messor aristas, » etc. Solent poetæ *messem* metonymice pro *anno* usurpare. Vid. Mart. I, 102, IV, 79, XII, 34 ; Petron. in sat. 89, etc. etc.

372. *Ut exsul*, etc. Ex quo errat Polynices.

373. *Profugusque*, etc. Vid. sup. vv. 58 et 325.

376. *Septemque*, etc. Vid. sup. v. 326.

Digitized by Google

Generi. Quid optem, quidve decernam, haud scio.
Regnum reposcit : causa repetentis bona est;
Mala, sic petentis. Vota quæ faciam parens?
Utrimque natum video : nil possum pie 380
Pietate salva facere : quodcumque alteri
Optabo nato, fiet alterius malo.
Sed utrumque quamvis diligam affectu pari,
Quo causa melior, sorsque deterior trahit,
Inclinat animus, semper infirmo favens. 385
Miseros magis fortuna conciliat suis.
NUNT. Regina, dum tu flebiles questus cies,

379. *Sic petentis*. Nempe necem fratri, patriæ eversionem minitando. — *Vota quæ faciam*, etc. CORNEILLE, *les Horaces*, act. I, scen. 1 :

Quand je vois de tes murs leur armée et la nôtre,
Mes trois frères dans l'une, et mon mari dans l'autre,
Puis-je former des vœux, et sans impiété
Importuner le ciel pour ta félicité?

380. *Nil possum pie*, etc. Jubet pietas materna, ut sanguini meo faveam et fausta adprecer : sed quum pro neutra parte stare queam, quin alteram persequar et odisse videar, quod jubet hinc pietas, ipsa inde prohibet, nec quidquam pie, salva pietate, facere possum.

384. *Quo causa melior*, etc. Inclinat animus in Polynicis partes, quia et causa ejus melior, et ipse miseriore fortuna conflictatur. Stat. Theb. VIII, 614 : « Nutat utroque timor, quemnam hoc certamine victum, Quem vicisse velint : tacite præponderat exsul. » CORNEILLE, *les Horaces*, act. I, scen. 1 :

Je ne suis point pour Albe, et ne suis plus pour Rome;
Je crains pour l'une et l'autre en ce dernier effort,
Et serai du parti qu'affligera le sort, etc. etc.

385. *Semper infirmo favens*. Sen. epist. 66 : *Quoniam quidem etiam parentum amor magis in ea, quorum miseretur, inclinatur*.... Id. consolat. ad Helv. 17, sub finem : *Naturale est, manum sæpius ad id referre quod doleat*, etc. etc. Adde quæ citat Gronovius, ex Livii lib. XLII, et ex Quintilian. declam. 5.

386. *Miseros magis*, etc. Hoc efficit fortuna, dum calamitatibus nonnullos premit, ut sui eos parentes cæteris liberis cariores habeant. Sic enim accipiendum *suis* arbitror, nec interpreti Gallico auscultandum, qui sic locum vertit : *Ah! quand on est malheureux soi-même, on se déclare si aisément pour ceux qui le sont aussi!* Quæ ex Nostri verbis quomodo eruantur, plane non video, quum id tantum scribatur : « Qui miseri sunt, magis conciliantur suis », id est, suis propter ipsas miserias magis diliguntur.

Digitized by Google

Terisque tempus, tota nudatis stetit
Acies in armis : æra jam bellum cient,
Aquilaque pugnam signifer mota vocat. 390
Septena reges bella dispositi parant:
Animo pari Cadmea progenies subit:

388. *Nudatis... in armis.* Cornel. Nep. in Datam. cap. 11 : *Interim telum quod latebat protulit, nudatumque vagina veste texit.*

389. *Æra jam bellum cient.* Jam æreæ tubæ ad bellum viros concitant. Vid. Virg. Æn. VI, 165. Liv. V, 37. Vell. Paterc. II, 54. Tacit. Hist. III, 41, etc. etc.

390. *Aquilaque*, etc. Pugnam ciet signifer, aquilam movendo. Apud Græcos et Romanos extollebantur signa, ut pugnæ jam conserendæ milites admonerentur. (Thucyd. I, 49 et 63. Liv. III, 50, 54; VI, 28. Virg. Æn. XI, 19, etc.). Sed apud Romanos tantum, nec apud Græcos, videntur *aquilæ* pro signis habitæ. « In auguriis, ait Forcellinus, volatus aquilæ omnium prosperrimus a Romanis habitus est: quam ob causam aquilæ signum in exercitu ferre instituerunt. Itaque principem locum inter signa exercitus aquila obtinebat, quæ longæ infixa perticæ gestabatur, alis plerumque expansis, et in unguibus habens fulmina. » Sunt tamen qui memorant usum aquilæ a Persis apud Romanos inductum; unde colligunt et apud Græcos inferri potuisse (vide Farnabium et Delrionem). Sed si veteribus scriptoribus credas, Græcorum signa (σημεῖα) quorumdam animalium imagines quidem præferebant, alia sphingis (Corn. Nep. in Epamin. Plutarch. in Pelop.), alia bubonis (Plutarch. in Lysand.); nulla autem dicuntur aquilæ speciem exhibentia. Neque est quod ex hoc Nostri versu quidquam inferas, quasi ejus auctoritate aquilas pro signis apud Græcos adhibitas approbetur: namque jam antea, nec semel, notavimus consuetudines moresque Græcorum in Senecæ tragœdiis nusquam fere observatos, et Græca quidem nomina, sed res vere Romanas usurpari (vid. Herc. fur. v. 48, 166, et passim).

391. *Septena reges bella*, etc. Vid. sup. v. 326. Hic *bellum* pro *pugna*, *certamine*, ut aliquando in scriptoribus Latinis, in poetis præsertim, accipitur. Virg. Æn. II, 438: « Hic vero ingentem pugnam, seu cætera nusquam Bella forent, nulli tota morerentur in urbe. » Stat. Theb. III, 665 : « ventisque aut alite visa Bellorum proferre diem. » Just. II, 12 : *Artemisia inter primos duces bellum acerrime ciebat*, etc. etc. — *Dispositi.* Singuli ad singulas portas, ut jam dictum est ad v. 326.

392. *Animo pari*, etc. Cadmea progenies (i. e. Thebani, quorum urbem vocat Æschylus Κάδμου πόλιν, et exercitum ϛρατὸν Καδμογενῆ· sic et in Nostri Herc. fur. v. 268, *Cadmea proles*, et in Œdipo, vs. 626, *O Cadmi..... domus, vibrate thyrsos*), pari ardore mœnia subit ad resistendum.

Digitized by Google

Cursu citato miles hinc illinc ruit.
Vide, ut atra nubes pulvere abscondat diem,
Fumoque similes campus in cælum erigat 395
Nebulas, equestri fracta quas tellus pede
Submittit : et, si vera metuentes vident,
Infesta fulgent signa : subrectis adest
Frons prima telis : aurea clarum nota
Nomen ducum vexilla præscriptum ferunt. 400
I, redde amorem fratribus, pacem omnibus,
Et impia arma mater opposita impedi.
ANT. Perge, o parens, et concita celerem gradum;
Compesce tela, fratribus ferrum excute.
Nudum inter enses pectus infestos tene; 405
Aut solve bellum, mater, aut prima excipe.

394. *Atra nubes pulvere*, etc. Pulvis in atram nubem densatus.

395. *Erigat*, etc. Homer. Iliad. III, 13: «Ὡς ἄρα τῶν ὑπὸ ποσσὶ κονίσσαλος ὤρνυτ' ἀελλὴς Ἐρχομένων.» Virgil. Æn. IX, 239: «aterque ad sidera fumus Erigitur.»

397. *Submittit*. Dicuntur *submitti*, quæ ex terra in altum tolluntur. Lucret. VI, 818: «Sic et Averna loca alitibus submittere debent Mortiferam vim, de terra quæ surgit in auras.» — *Si vera metuentes vident*. Pavor enim metusque, ait Delrio, sic augent omnia, ut quæ, etsi non sunt, esse cogitas, aut ut sint vereris, quasi essent re vera, videre te putes.

398. *Infesta*. Hostilia.—*Subrectis*; etc. Stat prima frons hostium, jamjam tela vibrantium.

399. *Aurea clarum nota*, etc. Nomina ducum, literis aureis inscripta. In Æschyl. Sept. ad Theb. non ducis nomen tantum, sed et minas præferunt Capanei signa: «Ἔχει δὲ σῆμα, γυμνὸν ἄνδρα πυρφόρον, Φλέγει δὲ λαμπὰς διὰ χερῶν ὡπλισμένη· Χρυσοῖς δὲ φωνεῖ γράμμασι, πρήσω πόλιν.»

401. *Redde amorem fratribus*. Fraternum amorem in utriusque animum revoca: *redde*, nam fratrum proprius est amor.

402. *Et impia*, etc. Impedi impia arma te inter binos exercitus matrem opponendo. *Opposita mater* pro *matris oppositu*. Vid. Animadv.

406. *Solve bellum*. Bellum dirime, pugnantes separa, hinc atque illinc dimitte, ut Propert. IV, eleg. 4, v. 57, *solvere commissas acies*: aut, si hæc altera placet interpretatio, bellum discute, ut in Plin. VI, epist. 16: *Nox omnibus noctibus nigrior densiorque, quam tamen faces multæ variaque lumina solvebant*. Virg. Æn. IV, 55: «Spemque dedit dubiæ menti, solvitque pudorem,» etc. etc. — *Prima excipe*.

Digitized by Google

JOC. Ibo, ibo, et armis obvium opponam caput.
Stabo inter arma : petere qui fratrem volet,
Petat ante matrem : tela, qui fuerit pius,
Rogante ponat matre ; qui non est pius, 410
Incipiat a me. Fervidos juvenes anus
Tenebo : nullum teste me fiet nefas ;
Aut si aliquod et me teste committi potest,
Non fiet unum. ANT. Signa collatis micant
Vicina signis ; clamor hostilis fremit : 415
Scelus in propinquo est ; occupa, mater, preces.

Prima ictus belli excipe. Lucan. II, 309 : « Me geminæ figant acies, me barbara telis Rheni turba petat ; cunctis ego pervius hastis Excipiam medius totius vulnera belli. »

407. *Ibo, ibo*, etc. Stat. Theb. XI, 339 : « stabo ipsa in limine portæ Auspicium infelix, scelerumque immanis imago. Hæc tibi canities, hæc sunt calcanda, nefande, Ubera, perque uterum sonipes hic matris agendus. » RACINE, *les Frères ennemis*, act. I, scen. 1 :

Il faut courir, Olympe, après ces inhumains ;
Il les faut séparer, ou mourir par leurs mains.

Et scen. 2 :

Allons, chère Antigone, et courons de ce pas
Arrêter, s'il se peut, leurs parricides bras.
Allons leur faire voir ce qu'ils ont de plus tendre ;
Voyons si contre nous ils pourront se défendre,
Ou s'ils oseront bien, dans leur noire fureur,
Répandre notre sang pour attaquer le leur.

Opponam, etc. Transfigendum corpus objiciam. Liv. XXIII, 9 : *Et, alia auxilia desint, meipsum ferire, corpus meum opponentem pro corpore Annibalis, sustinebis ?*

412. *Tenebo*. Continebo, coercebo. Cic. Parad. V, 1, *tenere iracundiam, coercere avaritiam.*

413. *Et me teste*. Me licet teste.

414. *Non fiet unum*. Alter enim fratrum ab altero interfici non poterit, quin et me victor obviam gladio suo mox occidat. — *Signa collatis*, etc. Jam micant in vicino signa hostilia, et infesto cursu in nostra signa feruntur. *Signa micant collatis signis* pro *signa micant signis collata*, usitatissimo schemate. *Collata*, i. e. opposita, in adversum illata, congrediendi et pugnandi causa. Cæs. Bell. civ. III, 79 : *Habere castra collata castris hostium.* Ovid. Fast. I, 569 : « collata dextra movere prælia, » etc. Errant igitur interpretes Gallici, qui locum reddunt, quasi jam oppositæ concurrerint acies et facto impetu misceantur. Eodem sensu dicitur *signa micant collatis signis*, quo Lucan. I, 6 : « obvia signis Signa, pares aquilas et pila minantia pilis. »

416. *Scelus in propinquo*, etc. In eo sunt fratres, ut nefando scelere congrediantur. — *Occupa... preces.* Festina precari, antequam Eteocles et Polynices se mutuo petant. Sen. epist. 70 : *stultitia est timore mortis mori :... exspecta ; quid occupas ?* Cf.

Digitized by Google

Et ecce motos fletibus credas meis;
Sic agmen armis segne compositis venit.
Procedit acies tarda, sed properant duces.
JOC. Quis me procellæ turbine insanæ vehens 420
Volucer per auras ventus ætherias aget?
Quæ Sphinx, vel atra nube subtexens diem
Stymphalis, avidis præpetem pennis feret?
Aut quæ per altas aeris rapiet vias
Harpyia, sævi regis observans famem, 425
Et inter acies projiciet raptam duas?
NUNT. Vadit furenti similis, aut etiam furit.

et Nostri Herc. Œt. 435; Agam. 193; Thyest. 204, etc.

417. *Et ecce*, etc. Jamque fletibus meis hostes moti videntur: nam agmen segni nunc cursu procedit.

418. *Sic*. Adeo. Virg. Æn. XII, 280: « Hinc densi rursus inundant Troes Agyllinique, et pictis Arcades armis; Sic omnes amor unus habet decernere ferro. » — *Armis... compositis*. Armis demissis et inertibus. Ovid. de Arte Am. III, 259: « Qnum mare compositum est, securus navita cessat. » Horat. IV, od. 14: « arma composita. »

420. *Quis me procellæ*, etc. Quis ventus me procelloso turbine rapiens aget per auras? Placet Senecæ hæc inflata et turgida dicendi forma: jam supra in Thyest. 623, nuntius, insano magis quam vehementi affectu: « Quis me per auras turbo præcipitem vehet, » etc.

422. *Sphinx*. Vid. sup. v. 119. — *Vel atra nube subtexens diem*, etc. Cf. Herc. fur. vv. 243 et 244. Dicuntur vulgo nubes cælum subtexere, id est, operire, condere. Vid. Virg. Æn. III, 582. Lucan. VII, 519. Ovid. Met. XIV, 368. Lucret. V, 467, et VI, 481. Stat. Silv. III, 1, v. 127. Valer. Flacc. V, 414, et Nostr. Hipp. v. 956.

423. *Avidis...pennis*. Rapido volatu: nam aviditas volantibus celeritatem addit.

425. *Harpyia, sævi regis*, etc. Vid. Thyest. v. 154.—*Observans famem*. Phineum regem asservans, ne famem possit explere.

427. *Vadit*, etc. Ut possit nuntius quæ procul geruntur et videre et referre, *binas statim acies diduxit*, etc., putant interpretes eum, discedente Jocasta, vicinam conscendisse rupem, unde prospicitur campus et utraque acies et fratres sibi invicem minantes. — *Furenti similis*, *aut etiam furit*. Notavit Gronovius hanc usitatissimam Romanis scriptoribus esse *correctionis* formam. Sic Ovid. Met. VI, 667: « pennis pendere putares: Pendebant pennis. » Sil. Ital. XVI, 425: « nec frustra æquare videtur, Aut etiam æquavit juga præcedentia, » etc. etc.

Digitized by Google

Sagitta qualis Parthica velox manu
Excussa fertur; qualis insano ratis
Premente vento rapitur; aut qualis cadit 430
Delapsa cælo stella, quum stringens polum
Rectam citatis ignibus rumpit viam;
Attonita cursu fugit, et binas statim

428. *Sagitta..... Parthica velox manu.* Parthi sagittis maxime præliabantur, quas mira solertia et velocitate aversis equis in insectantes jaculabantur. Cf. Thyest. 384.

429. *Excussa.* Emissa. Tac. Ann. II, 20 : *Funditores libratoresque excutere tela et proturbare hostem jubet.* Curt. VIII, 13 : ... *Gravioribus telis, quam ut apte excuti possent.*

431. *Delapsa cælo stella*, etc. Opinabantur Epicurei stellas delabi cælo. Unde Lucret. II, 206 : « Nocturnasque faces cæli sublime volantes, Nonne vides longos flammarum ducere tractus, In quascumque dedit partes natura meatum? Non cadere in terram stellas et sidera cernis? » Hunc diluit errorem Plin. II, 8 : *Sidera nimio alimento tracti humoris igneam vim abundantius quum reddunt, decidere creduntur, ut apud nos quoque id, luminibus accensis, liquore olei notamus accidere. Cæterum æterna est cælestibus natura*, etc. Noster quoque, quum in hujus tragœdiæ versu poetice loquatur, verius in Quæst. nat. I, 1 : *Stultissimum est existimare, aut stellas decidere, aut transilire, aut aliquid illis auferri et abradi: nam, si hoc fuisset, jam defuissent; nulla enim nox est, qua non plurimæ ire, et in diversum videantur abduci. Atqui, quo solent, quæque inveniuntur loco, magnitudo sua singulis constat. Sequitur ergo, ut infra illas ista nascantur, et cito intercidant, quia sine fundamento sunt et sede certa.* Attamen poetæ speciem magis et imaginem secuti sunt, et sequentur. Virgil. Æn. II, 694 : « Stella facem ducens multa cum luce cucurrit; » Georg. I, 365 : « Sæpe etiam stellas, vento impendente, videbis Præcipites cælo labi, noctisque per umbram Flammarum longos a tergo albescere tractus. » Noster in Troad. 356 : « Et stella longa semitam flamma trahens, » etc. Propius tamen vero Ovid. Metam. II, 320 : « longoque per aera tractu Fertur, ut interdum de cælo stella sereno, Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri. » — *Quum stringens polum.* Stringens, id est, radens. Virg. Æn. V, 163 : « Litus ama, et lævas stringat sine palmula cautes. » Ovid. Amor. III, 2 : « Nunc stringam metas interiore rota. »

432. *Rumpit viam.* Viam multa vi sibi aperit. Virg. Æneid. X, 372 : ferro rumpenda per hostes Est via. » Stat. Thebaid. VIII, 468 : « turbabatque agmina Graium, Igne viam rumpens. » Add. Sil. Ital. VII, 568; IV, 196; XV, 782. Valer. Flac. I, 3, etc. etc.

433. *Attonita.* Non, ut voluere interpretes Gallici, *attonita* et *cursu* sensu conjungenda sunt, *étonnée*

Digitized by Google

Diduxit acies. Victa materna prece
Hæsere bella, jamque in alternam necem 435
Illinc et hinc miscere cupientes manum,
Librata dextra tela suspensa tenent.
Paci favetur: omnium ferrum latet
Cessatque tectum; vibrat in fratrum manu.
Laniata canas mater ostendit comas; 440
Rogat abnuentes: irrigat fletu genas.
Negare matri, qui diu dubitat, potest.

elle-même de l'agilité de sa course: fugit præcipiti cursu, turbata et furens; sæpe enim adhibetur *attonitus* pro furens. Vid. sup. v. 302. Adde quod *cursu* sine adjectivo soleat usurpari, pro *cursim*, *festinanter*. Liv. XXXIII, 33: *Ludis dimissis, cursu prope omnes tendere ad imperatorem.* Silius Italic. XI, 136: « divisque propinquas Transierit cursu rupes. »

437. *Librata*, etc. Eteocles et Polynices jam tela, sublata manu, vibrabant, quibus se invicem peterent: adveniente et preces fundente Jocasta, utriusque manus hæret suspensa, telum tenens nequicquam paratum libratumque. Apte hunc Nostri locum confert Baden. cum sequentibus: Lucan. VII, 467: « gelidusque in viscera sanguis Percussa pietate coit, totæque cohortes Pila parata diu tensis tenuere lacertis. » Stat. Theb. VII, 505: « dum castra silent, suspensaque bellum Horrescit pietas. » Sil. Ital. IV, 470: « attonitæ tanta ad spectacula turmæ Tela tenent, coeditque loco Libys asper, et omnis Late cedit Iber; pietasque insignis et ætas Belligeris fecit miranda silentia campis. »

439. *Vibrat.* Micat. Absolute enim dicitur *vibrare* pro *coruscare, vibrari.* Ovid. Metam. III, 34: « Tresque vibrant linguæ; triplici stant ordine dentes. » Sil. Ital. I, 540: « Ultrix injusti vibravit lancea belli. » Senec. de Provid. III: *Inter multa magnifica Demetrii nostri, et hæc vox est, a qua recens sum: sonat adhuc et vibrat in auribus meis*, etc. etc. Nostri sententia in hac oppositione tota vertitur: « Dum ensis omnium cessat vagina reconditus, fratrum etiam nunc gladius coruscat et minatur. »

442. *Negare*, etc. Qui adeo ferus et inhumanus est, ut diu dubitet maternis cedere precibus, iste et poterit omnino, quæ flagitat mater, denegare. His innuit Noster vanas fore Jocastæ preces; fratresque, nequicquam lacrymis ejus tentatos, mox aggressuros parricidalem pugnam.

Digitized by Google

ACTUS QUARTUS.

JOCASTA, POLYNICES, ETEOCLES.

JOC. In me arma et ignes vertite : in me omnis ruat
Unam juventus, quæque ab Inachio venit
Animosa muro, quæque Thebana ferox 445
Descendit arce : civis atque hostis simul
Hunc petite ventrem, qui dedit fratres viro.
Mea membra passim spargite ac divellite :
Ego utrumque peperi. Ponitis ferrum ocius?

443. *In me arma*, etc. Rotrou, *Antigone*, act. II, scen. 4 :

Plongez, plongez, cruels, vos armes dans mon sein ;
Déployez contre moi votre aveugle colère,
Contre moi qui donnais des frères à leur père.

444. *Juventus*. Milites ; *juventus* enim à *juvando* dicitur. — *Inachio... muro*. Argis, Inacho quondam regnatis.

445. *Quæque Thebana*, etc. Argivos et Thebanos memorat Jocasta, id est, utrumque exercitum, alterum ab Adrasto, Argivorum rege, alterum ab Eteocle comparatum ; quod sequentibus confirmatur, *civis atque hostis*.

447. *Dedit fratres viro*. Filios eosdem et fratres Œdipi.

449. *Ego utrumque peperi*. Digna sum cujus membra divellatis, quum duos filios pepererim, arma et mortem sibi invicem minantes. — *Ponitis ferrum*, etc. Non statim ad hæc mea verba ferrum deponitis !.... Nonne satis est me dixisse utrumque a me genitum? num exspectatis donec addam a quo fueritis geniti, nempe ab ipso filio meo? Quod non intellexisse videntur interpretes Gallici. « Déchirez, mettez en pièces mes membres coupables, puisque je suis la mère de ces deux grands criminels qui vous divisent..... O mes enfans ! que ne mettez-vous bas les armes ! N'est-ce pas moi qui vous parle, et ne devriez-vous pas avoir déja obéi à ma voix ? » Unam tantummodo sententiæ partem versibus expressit Rotrou, loco nuper citato :

Quoi ! nul de vous encor n'a mis les armes bas?
Je parle, et de vos mains elles ne tombent pas?

Digitized by Google

An dico, et ex quo? Dexteras matri date : 450
Date, dum piæ sunt. Error invitos adhuc
Fecit nocentes : omne Fortunæ fuit
Peccantis in nos crimen : hoc primum nefas
Inter scientes geritur. In vestra manu est,
Utrum velitis. Sancta si pietas placet, 455
Donate matrem pace : si placuit scelus,
Majus paratum est : media se opponit parens.
Proinde bellum tollite, aut belli moram.
Sollicita nunc cui mater alterna prece
Verba admovebo? misera quem amplectar prius? 460
In utramque partem ducor affectu pari.
Hic abfuit : sed pacta si fratrum valent,

452. *Omne Fortunæ*, etc. Quæ hactenus peccata sunt, vel a me, vel a patre vestro, Fortunæ imputanda sunt : hoc autem, quod aggredimini, nefas, inter scientes geritur, et nullo modo excusari potèrit. Ducis, *Œdipe chez Admète*, act. III, sc. 3 :

Ce n'est pas son forfait, c'est celui du destin.

453. *Peccantis in nos*. In totum nostrum genus.

455. *Sancta si pietas placet*, etc. Racine, *les Frères ennemis*, act. IV, scen. 3 :

Si la vertu vous plait, si l'honneur vous anime,
Barbares, rougissez de commettre un tel crime ;
Ou si le crime enfin vous plait tant à chacun,
Barbares, rougissez de n'en commettre qu'un.

Ad Nostri similitudinem propius imitatione accessit Rotrou, act. II, scen. 4 :

Si quelque piété règne chez vous encore,
Consentez à la paix que votre mère implore.
Si le crime vous plait, un plus grand s'offre à vous ;
Ce flanc dont vous sortez est en butte à vos coups.
Cessez donc cette guerre, ou cessez-en la trève, etc.

457. *Majus paratum est*. Nempe interficienda parens, quæ se mediam interponit.

458. *Proinde bellum*, etc. Aut bello finem facite, aut matrem interficite, quæ bellum moratur.

459. *Sollicita nunc*, etc. Cui primum preces admoveam, ad alterum mox easdem versura? sic enim intelligendum *alterna prece*. Rotrou, act. II, scen. 4 :

A qui s'adresseront mes premières caresses?
Tous deux également partagent mes tendresses :
Celui-là fut absent ; mais si le pacte tient,
Celui-ci le sera, puisque l'autre revient.
Ainsi je perds l'espoir de vous revoir ensemble,
Si ce n'est que la guerre encore vous assemble.

460. *Quem amplectar prius?* Stat. Theb. III, 154 : « Quæ prius ora premam? vosne illa potentia matris? » etc.

Digitized by Google

Nunc alter aberit. Ergo jam numquam duos,
Nisi sic, videbo? junge complexus prior,
Qui tot labores totque perpessus mala, 465
Longo parentem fessus exsilio vides.
Accede propius : clude vagina impium
Ensem, et trementem jamque cupientem excuti
Hastam solo defige : maternum tuo
Coire pectus pectori clypeus vetat ; 470
Hunc quoque repone. Vinculo frontem exue,
Tegimenque capitis triste belligeri leva,

463. *Nunc alter aberit.* Si fœdus valet, quo inter fratres convenerat regnum per annuas vices unicuique cessurum, altero redeunte, alter abeat necesse est.

464. *Nisi sic.* Nempe bellum gerentes. «De exsilio fratrum per vices, inquit Schrœderus, accipit Farnabius τὸ *sic*, quod de congressu hostili intelligendum esse recte adnotant Ascensius et Galetanus.» Vide supra interpretationem Gallici vatis Rotrou, quæ cum Ascensii, Galetani et Schrœderi sententia consonat. — *Junge complexus prior.* In Phœnissis quoque Euripidis, Jocasta priores loquendi partes Polynici attribuit, v. 468 : «Λόγος μὲν οὖν σὸς πρόσθεν, Πολύνεικες τέκνον.»

465. *Qui tot labores*, etc. Quoniam miserior es, te priorem amplectar mater.

468. *Trementem jamque cupientem excuti.* Ut *impium* Polynicis ensem, sic et hastam ejus *trementem*, dicit Jocasta, id est, impatientem moræ et jamjam evolaturam : vibratur enim tremitque hasta, antequam immittatur. *Cupientem excuti* pro *cupientem vibrari.* Curt. V, 3 : *Fundis excussi lapides et sagittæ ingerebantur.* Petron. satyr. c. 22 : *Excussum forte altius poculum ancillæ caput fregit.*

469. *Maternum tuo*, etc. Euripid. Phœniss. 313 : «Ἀμφίβαλλε μαστὸν ὠλέναισι ματρὸς,» etc. Sed acutius Noster et argutius, ut solet, vetare clypeum scribit, ne coeat pectori Polynicis maternum pectus. Quod Stat. videtur imitatione expressisse, Theb. VII, 499 : «Invisamque teris ferrato pectore matrem.»

470. *Clypeus.* Ad hoc Delrio : «Servius Honoratus inter *clypeum* et *scutum* hoc discrimem agnoscit, ut clypeus fuerit peditum, scutum vero equitum... Scutum oblongum, clypeum rotundum fuisse, docent Crinitus, lib. XVI de honest. discip. c. 3, et Turnebus, Advers. lib. XI, cap. 27. Clypeorum usum primi invenere Acrisius et Prœtus, teste Apollodoro, Biblioth. lib. II. Vid. Plin. XXXV, 3.»

471. *Vinculo frontem exue.* Vinculo, id est, casside caput solve, quod sequenti versu iteratur, *tegimen capitis leva.*

472. *Tegimenque... leva.* Galeam detrahe. Virg. Æn. II, 146 : «Ipse

Digitized by Google

Et ora matri redde. Quo vultus refers,
Acieque pavida fratris observas manum?
Affusa totum corpus amplexu tegam: 475
Tuo cruori per meum fiet via.
Quid dubius hæres? an times matris fidem?
POL. Timeo: nihil jam jura naturæ valent.
Post ista fratrum exempla, ne matri quidem
Fides habenda est. JOC. Redde jam capulo manum, 480
Adstringe galeam, læva se clypeo ingerat;
Dum frater exarmatur, armatus mane.

viro primus manicas atque arcta levari Vincla jubet Priamus.»

473. *Ora matri redde.* Nuda redde matri ora, quæ latent contecta casside. — *Quo vultus refers*, etc. Sic in Euripid. Phœniss. v. 272, Polynices: « δμμα πανταχῇ διοιστέον, Κάκεῖσε καὶ τὸ δεῦρο, μὴ δόλος τις ᾖ.»

474. *Fratris observas manum.* ROTROU, *Antigone*, act. II, scen. 4:

Pourquoi sur votre frère attachez-vous les yeux?
Je vous couvrirai tout; et pour vous faire outrage,
Il faudrait que par moi son fer se fît passage.

475. *Affusa*, etc. In te complexu reclinata. Flor. IV, 2: *Cleopatra affusa genibus Cæsaris.* Ovid. Met. VIII, 540: « Affusæque jacent tumulo.» Id. Met. IX, 605: « Amplectique pedes affusaque poscere vitam.» Stat. Theb. III, 686: «Utque fores iniit, magnoque affusa parenti est.»

476. *Tuo cruori*, etc. Non tuum poterit peti pectus, nisi meum prius transfossum fuerit.

477. *An times matris fidem?* etc. Stat. Theb. VII, 511: « Anne times, ne forte doli, et te conscia mater Decipiam?» Confer. tom. III, pag. 57 editionis nostræ.

478. *Timeo*, etc. Euripid. Phœn. 279: « Πέποιθα μέν τοι ματρὶ, κοὐ πέποιθ' ἅμα,» etc. ROTROU, *Antigone*, act. II, scen. 4:

La nature n'a plus d'inviolables droits.

480. *Redde jam capulo manum.* Ensi manum admove, paratus ad vim vi repellendam, quoniam suspecta tibi est et fratris et matris fides. Petron. in satyr. c. 82: *Frequentiusque manum ad capulum, quem devoveram, refero.* Tacit. Ann. II, 21: *Miles, cui scutum pectori appressum et insidens capulo manus.*

481. *Adstringe galeam.* Galeæ retinacula rursus colliga. Loris enim cassis quandoque continebatur: Homer. in Iliad. III, 371: Ἄγχι δέ μιν πολύκεστος ἱμὰς ἁπαλὴν ὑπὸ δειρήν.» Valer. Flacc. VI, 364: «hinc tenet ardens Colla viri et molles galeæ Gesander habenas.» Id. VII, 626: «Et galeæ nexus ac vincula dissipat imæ.» — *Se clypeo ingerat.* Aptetur læva clypeus.

Digitized by Google

Tu pone ferrum, causa qui es ferri prior.
Si pacis odium est, furere si bello placet,
Inducias te mater exiguas rogat, 485
Ferat ut reverso post fugam nato oscula,
Vel prima, vel suprema. Dum pacem peto,
Aùdite inermes : ille te, tu illum times :
Ego utrumque; sed pro utroque. Quid strictum abnuis
Recondere ensem? qualibet gaude mora; 490
Id gerere bellum cupitis, in quo est optimum
Vinci : vereris fratris infesti dolos?
Quoties necesse est fallere, aut falli a suis,
Patiare potius ipse, quam facias, scelus.
Sed ne verere : mater insidias et hinc, 495
Et rursus illinc abiget. Exoro, an patri

483. *Tu pone ferrum*, etc. Tu, Eteocles, qui initium bello fecisti, abnuendo potestatem regiam, post annum exactum, ut convenerat, deponere, arma prior exue. ROTROU, *Antigone*, act. II, scen. 4 :

Approchez, Etéocle, et mettez bas les armes, etc.

484. *Si pacis odium est*, etc. RACINE, *les Frères ennemis*, act. I, scen. 3 :

Si la paix à ce prix vous paraît impossible,
Et si le diadême a pour vous tant d'attraits,
Au moins consolez-moi de quelque heure de paix.

487. *Vel prima*, *vel suprema*. Prima, si pax inter vos reconcilietur, et meus mihi reddatur filius; suprema, si bellum ultra gerere placet, et occumbat Polynices.

489. *Ego utrumque ; sed pro utroque*. Timeo utrumque, non mihi quidem ; sed ne Polynices in Eteoclem, Eteocles in Polynicem ferrum vertat. — Hæc omnia, a versu 484, sic inter se connexa mihi videntur : « Si placet bellum, inducias saltem matri concedite, et verba ejus inermes audite : ponite arma, dum vos mater alloquitur ; nam utrumque armatum uterque timet, ne inter maternas preces fraterno gladio petatur : timet ipsa, ne alter alterum ferro invadat. » — *Quid strictum abnuis*, etc. Quid, Eteocles, ensem non vagina recondis?

490. *Qualibet gaude mora*. Gaude moram bello fieri. In hoc nefario, quod gerere cupitis, bello, satius est vinci, quam vincere.

494. *Patiare potius ipse*, etc. Si cui alterutrum eligendum est, utrum fallat suos, an a suis fallatur, pati potius debet, quam facere, scelus.

495. *Insidias et hinc*, etc. Intercedet mater, ne hinc aut illinc fiant insidiæ, ne Polynices Eteoclem, aut Eteocles Polynicem petat.

496. *Exoro, an patri*, etc. Mihi vos

Digitized by Google

Invideo vestro? veni, ut arcerem nefas,
An ut viderem propius? hic ferrum abdidit
Reclinis hastæ, et arma defixa incubat.
Ad te preces nunc, nate, maternas feram, 500
Sed ante lacrimas. Teneo longo tempore
Petita votis ora. Te, profugum solo
Patrio, penates regis externi tegunt:
Te maria tot diversa, tot casus vagum
Egere: non te duxit in thalamos parens 505

exorare dabitur? an, coacta filios meos inter se pugnantes videre, patri vestro invidebo, qui, effossis oculis, tantum scelus saltem aspicere nequeat?

498. *Hic.* Eteocles.

499. *Reclinis hastæ.* Ut solent milites, quum, pugnæ securi, nullo instante periculo, arma velut otiari sinunt. Sic Homer. Iliad. XXII, 225, de Achille: « Στῆ δ' ἄρ' ἐπὶ μελίης χαλκογλώχινος ἐρεισθείς. » Virgil. Æneid. IX, 229: « Stant longis adnixi hastis, et scuta tenentes. » — *Arma defixa incubat.* Innititur defixis armis. Idem et unum significant *reclinis hastæ* et *arma defixa incubat.* Recondito enim ferro, quibus armis, præter hastam, inniti et incubare dici potest Eteocles? Si quis miretur *incubare* cum accusativo usurpari, et scribi *incubat arma* pro *incubat armis*, hæc meminerit: Sall. in fragm. Histor. III: *Ut sustinere corpora plerique nequeuntes, fessi, arma sua quisque stantes incumberent.* Stat. Theb. VI, 575: « tunc Palladios non inscius haustus Incubuit. » Plaut. Casin. act. II, sc. 4, v. 28: « Gladium faciam culcitam, Eumque incumbam, » etc.

500. *Ad te preces nunc*, etc. Nunc ad te, Polynices, postquam frater precibus maternis motus arma deposuit, preces meas et lacrimas feram.

501. *Sed ante lacrimas.* Antequam adhibeam preces, oculos in lacrimas effusos vides, quæ sine verbis luctus meos testentur. — *Teneo l. tempore*, etc. Hæc videntur ex Eurip. Phœn. expressa, v. 311: « Ἰὼ τέκνον, χρόνῳ Σὸν ὄμμα μυρίαις τ' ἐν ἁμέραις προσεῖδον, etc. » Add. eumdem, vv. 170 et 302. Noster in Herc. fur. 622: « O nate,... Teneone in auras editum, » etc.

502. *Te profugum solo*, etc. Stat. Theb. II, 401 et seqq.

503. *Regis externi.* Adrasti.

504. *Te maria.* Non sine jure interrogavit Botheus, quænam maria, et quidem diversa, egerunt Polynicem, qui exsul Argos statim se contulit duxitque Adrasti regis filiam? Vide Animad.

505. *Non te duxit*, etc. Sponsos in thalamum ducere et nuptam in lecto collocare solebat mater. Euripid. in Phœniss. v. 346: « Ἐγὼ δ' οὔτε σοι πυρὸς ἀνῆψα φῶς Νόμιμον ἐν γάμοις, ὡς πρέπει ματρὶ μακαρίᾳ. Ἀνυμέναια δ' Ἰσμηνὸς ἐκηδεύθη Λουτρο-

Digitized by Google

Comitata primos, nec sua festas manu
Ornavit ædes, nec sua lætas faces
Vitta revinxit: dona non auro graves
Gazas socer, non arva, non urbes dedit;
Dotale bellum est. Hostium es factus gener, 510
Patria remotus, hospes alieni laris,
Externa consecutus, expulsus tuis,
Sine crimine exsul. Ne quid e fatis tibi
Deesset paternis, hoc quoque ex illis habes,
Errasse thalamis. Nate, post multos mihi 515

φόρου χλιδᾶς. » Rotrou, *Antigone*, act. II, scen. 4 :

Mais qui dans votre lit conduisit votre épouse ?
C'est un droit qu'on m'ôtait, et dont je suis jalouse.

506. *Nec sua festas*, etc. « Domus ornabatur, ait Delrio, maxime postes januarum : « testis Juvenal. sat. VI. Claudian. de Nuptiis Honor. et Mariæ : « Hi nostra nitidos postes obducere myrto Contendant : pars nectareis aspergere tecta Fontibus, et flamma lucos adolere Sabæos. » Iidem oleo inungebantur, et lanea vitta circumdabantur apud Romanos, teste D. Isidoro, Orig. lib. IX, cap. ult.

507. *Nec sua lætas faces*, etc. Ad hæc Farnabius : « Sponsa primum ad mariti limen veniens postes laneis vittis ornabat, eosque adipe suillo ungebat, unde *unxor* dicta. Pronuba autem ut plurimum sponsæ mater ademptas nupturæ virginales vittas facibus urendas implicuit, sponsamque matronalibus vittis redimibat. »

508. *Dona*, etc. Non gazas, arva, urbes socer pro nuptiali dote dedit. *Dona* per appositionem cum *gazas*, *arva*, *urbes* usurpatum, ut in Herc. OEt. 409 : « Famula illa trahitur interim donum tibi. » Cf. et infr. Phœniss. 595, et OEdip. 853. — *Auro graves*. Sic Virg. Æn. I, 728 : « Hic regina gravem gemmis auroque poposcit Implevitque mero pateram. »

510. *Dotale bellum*. Virg. Æneid. VII, 318 : « Sanguine Trojano et Rutulo dotabere, virgo. »

512. *Externa consecutus*, etc. Alieni regni hereditatem consecutus, e regno proprio pulsus.

513. *Ne q. e fatis*, etc. Ut OEdipus pater, exsulavit et Polynices sine culpa, oraculo uxorem accepit, triste funestumque conjugium temere inivit, quod arma bellumque dotale secuta sunt, ut paternas nuptias secuta fuerat pestis.

515. *Errasse thalamis*. In eligenda uxore erravisse. Nempe uxorem externi hostilisque sanguinis Polynices duxit. — *Post multos*, etc. Nate, qui mihi post multos dies tandem redderis, quem mihi remittit redonatque fortuna.

Digitized by Google

Remisse soles, nate, sollicitæ metus
Et spes parentis, cujus aspectum deos
Semper rogavi, quum tuus reditus mihi
Tantum esset erepturus adventu tuo,
Quantum daturus, quando pro te desinam, 520
Dixi, timere? dixit irridens deus,
Ipsum timebis. Nempe, nisi bellum foret,
Ego te carerem : nempe, si tu non fores,
Bello carerem. Triste conspectus datur
Pretium tui durumque; sed matri placet. 525
Hinc modo recedant arma, dum nullum nefas
Mars sævus audet. Hoc quoque est magnum nefas,
Tam prope fuisse. Stupeo, et exsanguis tremo,

516. *Soles.* Dies. Virg. Æn. III, 203. Sil. III, 554, etc.

518. *Quum tuus reditus*, etc. Malo interpretes Gallici : *Ce retour, qui me devait faire tant de plaisir et me causer tant d'alarmes.* Aliud innuunt *erepturus* et *daturus*, quod alioquin cum cætera sententia mire congruit. Sic intellige : « O nate, cujus aspectum semper optavi, quamvis, te recepto, altero me carituram filio viderem, adventusque tuus, ut Polynicem mihi daturus, sic Eteoclem esset erepturus. »

520. *Quando pro te*, etc. Interrogavi oraculum, quando pro te formidare desinerem : respondit deus, me te ipsum formidaturam. Hæc omnia in interpp. Gall. corrupta et perperam intellecta : *Quand tu cesseras de le craindre lui-même.* Noster contra aptius et acutius indicat, tum demum Jocastam pro Polynice nihil formidaturam, quum Polynicem ipsum formidabit : quod explicant sequentia : « Nisi bellum foret, ego te carerem : si tu non fores, carerem bello. »

522. *Nisi bellum foret.* Rotrou, *Antigone*, act. II, scen. 4 :

Enfin sans vous, mon fils, je n'aurais pas la guerre ;
Mais sans la guerre aussi je ne vous aurais pas.

524. *Triste conspectus*, etc. Triste mihi datur conspectus tui pretium, quum te nonnisi exardescente bello videre potuerim.

525. *Sed matri placet.* Similiter Stat. Theb. VII, 514 : « sed diligo tales, Ah ! dolor, et vestros etiamnum excuso furores. »

526. *Hinc modo*, etc. Ponite arma, nondum peracto scelere.

528. *Tam prope fuisse.* Subaudi *nefas.* Scelus est, fratres ad id prope devenisse, ut nefario scelere alter cum altero confligeret. Videntur interp. Gall. hunc locum secus intellexisse : *Vous êtes déja trop coupables*

Digitized by Google

Quum stare fratres hinc et hinc video duos
Sceleris sub ictu : membra quassantur metu. 530
Quam pæne mater majus aspexi nefas,
Quam quod miser videre non potuit pater!
Licet timore facinoris tanti vacem,
Videamque jam nil tale, sum infelix tamen,
Quod pæne vidi. Per decem mensium graves 535

d'avoir osé venir, comme ennemis, en présence l'un de l'autre. Non satis ad latina verba accommodatum, quibus ultro et pro arbitrio suo nonnulla interpretes, nempe *comme ennemis*, addiderunt.

530. *Sceleris sub ictu.* Hoc imminente periculo, ne tanto scelere se commaculare audeant. Nostro usitatum est *sub ictu* translate adhibere. De consolat. ad Marc. c. 9, sub finem : *Ille damnatus est, et tua innocentia sub ictu est.* De Benef. II, 29 : *Cogita... quam nihil sit mortale non sub ictu nostro positum.*

531. *Quam pæne*, etc. Rursus lapsi sunt interpp. Gallici, in hoc intelligendo loco : *Qu'il s'en est peu fallu que je n'aie été témoin de la plus abominable horreur, qu'Œdipe du moins aurait eu le bonheur de ne pas voir !* Neutiquam redduntur verba poetæ, *quam quod miser videre non potuit pater.* Sensus est : « Quam parum abfuit, quin mater viderem pejus aliquid, quam hoc ipsum propter quod Œdipus sibi oculos effodit ! » Ne scelus videret suum Œdipus, nempe susceptos ex matre liberos, sibi lucem eripuit : parum autem abfuit, quin Jocasta, mater, et ideo mollioris animi quam Œdipus, majus facinus aspicere coge-retur, nempe filios mortem sibi invicem inferentes.

533. *Licet... timore vacem*, etc. Quamvis jam non timeam, ne tanto scelere mei violentur oculi, sum tamen infelix, quoniam id pæne vidi.

535. *Per decem mensium*, etc. Ita loqui solent latini poetæ, quasi maturitatem gignendi decimus prægnationis mensis afferat. Terent. Adelph. act. III, scen. 5, vers. 28 : « Virgo ex eo Compressu gravida facta est ; mensis hic decimus est. » Virg. Bucol. IV, 61 : « Matri longa decem tulerunt fastidia menses. » Ovid. Fast. III, 121 : « Annus erat, decimum quum luna repleverat orbem ; Hic nostris magno tunc in honore fuit ; Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus ; Seu quia bis quino femina mense parit. » Id. Her. XI, 45 : « Jam novies erat orta soror pulcherrima Phœbi, Denaque luciferos Luna movebat equos. Nescia quæ faceret subitos mihi causa dolores, Et rudis ad partus, et nova miles eram. » Turnebus, Advers. lib. IV, cap. 15, putat veteres hac in re decimum ideo mensem posuisse, quia breviores erant veterum menses, quam nostri, quum ad lunæ cursum eos metirentur, non

Digitized by Google

Uteri labores, perque pietate inclitas
Precor sorores, et per irati sibi
Genas parentis, scelere quas nullo nocens,
Erroris a se dira supplicia exigens,
Hausit, nefandas mœnibus patriis faces 540
Averte; signa bellici retro agminis
Flecte. Ut recedas, magna pars sceleris tamen
Vestri peracta est: vidit hostili grege
Campos repleri patria, fulgentes procul
Armis catervas: vidit equitatu levi 545
Cadmea frangi prata, et excelsos rotis
Volitare proceres; igne flagrantes trabes
Fumare, cineri quæ petunt nostras domos;

solis, idque ex Hippocratis lib. de fœtu se colligere, et sic poetarum de decimo mense testimonia intelligenda. Addit Delrio, non huic sententiæ refragari D. Augustini interpretationem, qui lib. Evangel. quæst. I, cap. 5: *Quod dicuntur decem menses prægnantis, novem sunt pleni: sed initium decimi pro toto accipitur.*

536. *Uteri labores.* Puerperii dolores. Virg. Georg. IV, 340: « Primos Lucinæ experta labores. » Claud. de Laud. Stilic. II, 342: « Et sacri Mariæ partus Lucina labores Solatur. »

537. *Sorores.* Antigonen et Ismenen, pietate pares. Vid. Sophocl. Antigon. — *Et per irati sibi*, etc. Per oculos patris, quos sibi iratus eripuit, nullum ob scelus admissum, sed ut errorem plecteret. *Genas* pro *oculos.* Herc. fur. v. 767.

540. *Hausit.* Perfodit. Liv. VII, 10: *Uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina hausit.* Add. Virg. Æn. X, 314.

541. *Signa bellici*, etc. Vexilla exercitus tui retro flecte.

542. *Ut recedas.* Etiam si recedas, quamvis recedas. Ovid. ex Pont. III, ep. 4, v. 79: « Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas. »

543. *Vidit hostili grege*, etc. Vidit patria campos hostium multitudine repleri. *Grex* pro *turba*, contemptim. Horat. I, od. 37, v. 9: « Contaminatus grex turpium virorum. »

546. *Cadmea... prata.* Thebanos agros. Vid. Herc. fur. v. 268. — *Et excelsos rotis*, etc. Et proceres sublimes in curribus unde pugnare veteres solebant.

547. *Volitare proceres.* Discurrere hac et illac duces. — *Igne flagrantes trabes.* Faces. Cf. Herc. fur. v. 103, et Med. 962.

548. *Cineri quæ petunt*, etc. Quæ petunt nostras domos, eas in cinerem versuræ. *Cineri* pro *excidio*, et *petere*

Digitized by Google

Fratresque (facinus quod novum et Thebis fuit)
In se ruentes. Totus hoc exercitus, 550
Et populus omnis, et utraque hoc vidit soror,
Genitrixque vidit : nam pater debet sibi,
Quod ista non spectavit. Occurrat tibi
Nunc OEdipus, quo judice, erroris quoque
Pœnæ petuntur. Ne, precor, ferro erue 555
Patriam ac penates; neve, quas regere expetis,
Everte Thebas. Quis tenet mentem furor?
Patriam petendo perdis : ut fiat tua,
Vis esse nullam? Quin tuæ causæ nocet
Ipsum hoc, quod armis uris infestis solum, 560

excidio pro *petere in excidium*. Sic Virg. Æneid. I, 26 : « venturum excidio Libyæ ; » et, quod ad Nostri verba propius accedit, Georg. II, 505 : « Hic petit excidiis urbem miserosque penates. » Add. Æneid. VI, 395 : «Tartareum ille manu custodem in vincla petivit. »

551. *Utraque... s.* Vid. sup. v. 537.

552. *Nam pater debet sibi*, etc. Stat. Theb. XI, 333 : « O diri conjugis olim Felices tenebræ ! datis, improba lumina, pœnas! Hæc spectanda dies ! » -

553. *Occurrat tibi*, etc. Adsit OEdipus, qui vel ipsum errorem tantis plectendum pœnis judicat, quippe qui sibi ipse, propter non voluntarium facinus, tanta mala intulit; et te doceat quæ mereatur scelus supplicia, quod sciens volensque admiseris.

556. *Neve, quas regere expetis*, etc. Racine, *les Frères ennemis*, act. IV, scen. 3 :

Le trône vous est dû, je n'en saurais douter;
Mais vous le renversez, en voulant y monter.
Ne vous lassez-vous point de cette affreuse guerre ?
Voulez-vous sans pitié désoler cette terre,
Détruire cet empire, afin de le gagner ?
Est-ce donc sur des morts que vous voulez régner?

558. *Patriam petendo perdis*. Dum patriæ imperare cupis, illam evertis et aboles.

560. *Armis uris infestis*. Devastas bello. *Urere* translate usurpatur, et eleganter quidem, pro populari, premere, fatigare. Livius, X, 17 : *Hæc eos molientes bellum domi urebat*. Id. XXVII, 39 : *Bellum, quo duodecimum annum Italia urebatur*. Id. X, 47 : *Pestilentia urens urbem simul atque agros*. Id. XXXVI, 23 : *Ætolos propter paucitatem eosdem dies noctesque assiduo labore urente*. Vell. Paterc. II, 77 : *Populum gravis urebat infesto mari annona*. Hæc enim omnia, bellum, pestilentia, labor, fames, incendii instar, urunt absumuntque. Expende quoque alia quæ attulit exempla Gronovius.

Digitized by Google

Segetesque adultas sternis, et totos fugam
Edis per agros: nemo sic vastat sua.
Quæ corripi igne, quæ meti gladio jubes,
Aliena credis? Rex sit e vobis uter,
Manente regno, quærite. Hæc telis petes 565
Flammisque tecta? poteris has Amphionis

561. *Segetesque adultas.* Segetes maturas. Herc. fur. 699: «Nec adulta leni fluctuat zephyro seges.» Horat. Epod. II, 9: «Adulta vitium propagine.» Cf. et Colum. II, 9.— *Fugam... Edis.* Fugas omnia, agros populatus. Sic in Cic. pro Dom. cap. 25, *facere fugam* pro *in fugam impellere.*

564. *Rex sit e vobis*, etc. Si meis precibus flecti non potueritis, uter regnet, decernite; sed maneat saltem regnum, quod alteruter habeat, nec aboleantur Thebæ, dum temere de imperio invadendo contenditis. Euripid. Phœniss. 562: «Ἄγ', ἢν σ' ἔρωμαι δύο λόγους προθεῖσ' ἅμα, Πότερα τυραννεῖν, ἢ πόλιν σῶσαι θέλεις;»

566. *Has Amphionis*, etc. Cf. Herc. fur. 262. Euripid. Phœniss. 829: «Ἁρμονίας δέ ποτ' εἰς ὑμεναίους Ἦλθον οὐρανίδαι. Φόρμιγγί τε τείχεα Θήβας, Τᾶς Ἀμφιονίας τε λύρας ὕπο, πύργος ἀνέςα Διδύμων ποταμῶν», etc. Offendit Heinsium ista vanæ fabulæ, in tanta materni affectus vehementia, commemoratio: «Malum, inquit, Euripidis discipulum in tota hac oratione se præbuit. Nam Jocasta nihil est minus quam sophistica: cujus iste non minus reliquas virtutes quam brevitatem conspurcavit. Vide autem insignem περιεργίαν et stultitiam. Poetæ fingunt, muros Thebarum lyra Amphionis fuisse structos: hoc ille in re seria valere vult, ad misericordiam movendam. Neque videt contrarium affectum excitari, risum aut contemptum, propter τὸ ἀπίθανον καὶ ψυχρόν.» Ad hæc respondebat Gronovius, non sine quodam argumentorum pondere, «fabulam apud veteres non ingenii tantummodo lusum, sed deorum historiam et honorem fuisse: proinde, non finxisse modo poetas, sed et τῶν θεολογουμένων auctores pro vero tradidisse muros Thebarum Amphionis lyra structos; hæc antiquitatis fata venerari solitum vulgus, ut de religionibus aliquod caput; itaque τὸ ἀπίθανον καὶ ψυχρὸν hujus loci, quod nullum est, nemini movere risum aut contemptum debere; utique Thebanis, apud quos pro impio habebatur et hoste publico, si quis obtrectaret: denique hodie, in tanta luce veri, plerasque nationes fabulosarum de majorum monumentis et locorum miraculis narrationum esse tenacissimas, ut odio, vi, malo plectant diffidentes.» Assentimur Gronovio. Neminem quidem nunc latet, qualia fuerint hæc heroicæ antiquitatis prodigia, ad consecrandam urbium originem reperta, aut eloquentiæ et artium miracula symbolice exprimenda; quod et ipsi intellexerant Romani, quum Horatius, ut unum ex multis afferam, aperte doceat *Orpheum et Amphiona ob hoc dictos*

Digitized by Google

Quassare moles? nulla quas struxit manus,
Stridente tardum machina ducens onus;
Sed convocatus vocis et citharæ sono
Per se ipse turres venit in summas lapis. 570
Hæc saxa franges victor? hinc spolia auferes,
Vinctosque duces patris æquales tui?
Matres ab ipso conjugum raptas sinu
Sævus catena miles imposita trahet?
Ut adulta virgo mixta captivo gregi 575
Thebana nuribus munus Argolicis eat?
An et ipsa palmas vincta post tergum datas

tigres leniisse et Thebanæ arcis saxa testudine movisse, quod sylvestres homines cædibus et fœdo victu deterruerint (Hor. Art. Poet. v. 389). Sed apud Græcos, præsertim Jocastæ temporibus, ista pro veris et sacris commenta habebantur; et si quis ingenio supra cæteros elatus, quid falsi in talibus narratiunculis lateret perspiciebat, iis nihilominus *et in re seria et ad misericordiam movendam* utebatur, ut vulgo acceptis et ad afficiendos animos aptioribus. Inaudita quoque et stupenda de urbis suæ initiis narrabant Romani, Græcarum fabularum derisores; et qui Orphei et Amphionis miracula pro fictis accipi jubebat Horatius, ipse Romulum Marte genitum, et ancilia, imperii pignora, et æternos Vestæ ignes lyricis efferebat versibus.

568. *Stridente... machinâ.* Propter lapidum molem ægre in altum sublatam.

570. *Turres venit in summas lapis.* Stat. Theb. VIII, 232: « alii Tyriam reptantia saxa Ad chelyn, et duras animantem Amphiona cautes. » Sil. Ital XI, 444: « chelys, lapidem testudine felix Ducere, et in muros posuisse volantia saxa. Hæc Amphionio vallavit pectine Thebas, Ac, silice aggeribus per se scandente vocatis, Jussit in immensum cantatas surgere turres. » Propert. III, eleg. 2, v. 3: « Saxa Citharonis Thebas agitata per artem Sponte sua in muri membra coisse ferunt, » etc.

571. *Hinc spolia*, etc. Cum his et quæ sequuntur confer Euripid. Phœniss. 575 et seqq. Æschyl. Sept. ad Theb. 327 et seqq.

572. *Patris æquales tui.* Coævos Œdipi, id est, senes.

575. *Ut adulta*, etc. Ellipsis. Hoc paras, quo efficiatur, ut adulta virgo eat munus Argolicis nuribus. — *Captivo gregi.* Captivorum turbæ.

576. *Nuribus*, etc. Sit Thebana virgo Argolicis mulieribus, præda belli, pro munere data.

577. *An et ipsa*, etc. Ipsa ego mater, palmis post tergum revinctis, præda triumphi vehar. Sic Stat. Theb. VII, 517: « Religa captas in

Digitized by Google

Mater triumphi præda fraterni vehar?
Potesne cives lætus exitio datos
Videre passim? mœnibus caris potes 580
Hostem admovere? sanguine et flamma potes
Implere Thebas? tam ferum et durum geris
Sævumque in iras pectus, et nondum imperas!
Quid sceptra facient? pone vesanos, precor,
Animi tumores, teque pietati refer. 585
POL. Ut profugus errem semper? ut patria arcear,
Opemque gentis hospes externæ sequar?
Quid paterer aliud, si fefellissem fidem,
Si pejerassem? fraudis alienæ dabo

terga sorores; Injice vincla mihi.»

578. *Triumphi... fraterni.* Triumphi de fratre acti.

583. *Et nondum imperas!* Licet nondum imperes, tam sævum geris pectus! quid, quum regnabis? RACINE, *les Frères ennemis*, act. IV, scen. 3 :

Dieux! si devenant grand, souvent on devient pire,
Si la vertu se perd quand on gagne l'empire,
Lorsque vous régnerez, que serez-vous, hélas!
Si vous êtes cruel, quand vous ne régnez pas?

585. *Animi tumores.* Iras. Vid. Thyest. 519. Euripid. Phœn. 457 : «Σχάσον δὲ δεινὸν ὄμμα, καὶ θυμοῦ πνοάς.» —*Teque pietati refer.* Vulgo adhibetur *se referre* cum accusativo, pro *redire*, *reverti*, ut in Cic. Offic. II, 1 : *Si me ad philosophiam retulissem.* Sed nonnunquam *referre* cum dativo usurpatur, eodem sensu quo *reddere*. Sil. Ital. VII, 508 : «Clausurum jam castra ducem, rursusque referri Vaginæ jussurum enses.»

586. *Ut profugus*, etc. Petis, mater, ut abstineam discordiis et bello; sed, quum non possim abstinere bello, nisi regnum relinquam fratri et mea in perpetuum jura deseram, fraternoque regno, ut ante, excedam, petis igitur, ut errem semper profugus, etc. Hæc et sequentia imitatus est RACINE, loco nuper citato :

Faut-il que de ma main je couronne ce traître,
Et que de cour en cour j'aille chercher un maître?
Qu'errant et vagabond je quitte mes états,
Pour observer des lois qu'il ne respecte pas?
De ses propres forfaits serai-je la victime?
Le diadême est-il le partage du crime?
Quel droit ou quel devoir n'a-t-il point violé?
Et cependant il règne, et je suis exilé!

587. *Sequar.* Expetam. Propert. II, eleg. 16, v. 11 : «Cynthia non sequitur fasces, non quærit honores.» Ovid. Metamorph. XIV, 364: «Spemque sequens vanam,» etc. Add. Cæsar. Bell. Civ. I, 1; Bell. Gall. IV, 21. Corn. Nep. in Epam. 6. Plin. in Procem. lib. XXXV, etc. Cf. sup. v. 511 et seqq. *hospes alienilaris, Externa consecutus*, etc.

589. *Si pejerassem.* Ut frater Eteo

Digitized by Google

Pœnas; at ille præmium scelerum feret? 590
Jubes abire: matris imperio obsequor;
Da, quo revertar. Regia frater mea
Habitet superbus; parva me abscondat casa:
Hanc da repulso: liceat exiguo lare
Pensare regnum. Conjugi donum datus 595
Arbitria thalami dura felicis feram,
Humilisque socerum lixa dominantem sequar?

cles, quem vis regno tamen securum frui.

591. *Jubes abire*, etc. «Matris imperio obsequar, quæ me jubet abire et debitum mihi regnum fratri tradere; sed dummodo habeam exsul, quo confugiam: casula mihi satis erit, si libero saltem et securo in ea degere licuerit. At servitutem ferre non possum, quæ me manet solio Thebano dejectum; privatum enim fastidient, et superbissimo prement imperio et socer et uxor, rex alter, filia regis altera.» Hæc loquitur Polynices, quasi non regnandi libidine duceretur, sed metu servitutis. Dolore et precibus matris turbatus, causam furoris fingit, et scelus in alios transfert. Mox apertius, crescente ira, et Jocasta Eteocli mala portendente, quæ Cadmus, et Laius, et OEdipus passi sunt: « Et est tanti mihi Cum regibus jacere. »

594. *Hanc da repulso*. Casam saltem da mihi, qui patria et regno expellor.

595. *Conjugi donum datus*, etc. Conjugi meæ traditus, quasi servus, quasi mancipium quoddam, et illius arbitrio adstrictus. Non multum dissidet, ait Delrio, ab his Menandri: « Ὅταν πένης ὢν, καὶ γαμεῖν τις ἑλόμενος, Τὰ μετὰ γυναικὸς ἐπιδέχηται χρήματα, Αὐτὸν δίδωσιν, οὐκ ἐκείνην λαμβάνει. »

596. *Thalami... felicis*. Opulentæ et regiæ conjugis. Ad hæc Delrio: « Qui enim ditiorem uxorem ducit, dominam ducit cui serviat, teste Aristotele, lib. VIII, Ethic. cap. 10, unde Euripides in Menal. Ὅσοι γαμοῦσι δ' ἢ γένει κρείσσους γάμους, Ἢ πολλὰ χρήματ', οὐκ ἐπίστανται γαμεῖν. Τὰ τῆς γυναικὸς γὰρ κρατοῦντ' ἐν δώμασι Δουλοῖ τὸν ἄνδρα, κοὐκ ἔτι ἑς' ἐλεύθερος. Anaxandrides: Ἢν γὰρ πένης ὢν, τὴν γυναῖκα χρήματα Λαβὼν, ἔχει δέσποιναν, οὐ γυναῖκ' ἔτι, Ἧς ἐςὶ δοῦλος καὶ πένης. » Idem sentiunt Plautus in Menæchmis, in Milite glorioso, in Aulularia, et in Asinaria.» His adde Martial. VIII, 12: « Uxorem quare locupletem ducere nolim, Quæritis? uxori nubere nolo meæ. Inferior matrona suo sit, Prisce, marito: Non aliter fuerint femina virque pares. »

597. *Lixa*. Servus. Lixarum hoc proprium munus fuisse arbitratur Nonius (c. 1, n. 309), ut militibus aquam subveherent, et eorum nomen a *lixa* ductum, quo vocabulo veteres aquam appellaverint. Hoc

Digitized by Google

In servitutem cadere de regno, grave est.
JOC. Si regna quæris, nec potest sceptro manus
Vacare sævo, multa, quæ possunt peti 600
In orbe toto, quælibet tellus dabit.
Hinc nota Baccho Tmolus attollit juga,
Qua lata terris spatia frugiferis jacent,
Et qua trahens opulenta Pactolus vada
Inundat auro rura: nec lætis minus 605

quidem sensu de lixis mentionem fecisse videri possunt et Liv. I, 39, et Valer. Maxim. II, 7, et Hirt. de Bell. Afric. 75, et Sil. Ital. V, 32. Sed Justin. XXXVIII, 10: *Luxuriæ non minor apparatus, quam militiæ, fuit: nam LXXX millia armatorum secuta sunt CCC millia lixarum; ex quibus coquorum, pistorum, scenicorumque major numerus fuit.* Ex quo patet pistores quoque et scenicos lixarum nomine designatos. Videtur Apul. Metamorph. lib. I, *lixam* pro ministro et servo magistratus accepisse: *Nam lixas, et virgas, et habitum prorsus magistratui congruentem in te video.* Unde facile colligitur *lixam* pro *servo*, nulla officii attributione, identidem adhiberi, ut apud nos *domestique, valet.*

598. *In servitutem cadere de regno*, etc. Quia, ut ait Xenophon: οὐ τὸ μὴ λαβεῖν τὰ ἀγαθὰ, οὕτω χαλεπὸν, ὥσπερ τὸν λαβόντα ςερηθῆναι λυπηρόν.

599. *Nec potest*, etc. Si regno carere non sustineas, et sceptrum tibi placeat etiam per vim et scelus quæsitum, multa sunt in orbe toto quæ armis queas parare.

600. *Sævo.* Recte Badenius: « Heinsius, vim epitheti non assecutus, varie tentavit *manus læva*, *sceptro avito*, *servo.* Nequidquam omnia: *sævum sceptrum* dicitur, ut *sævus tridens*, Virgil. Æneid. I, 138: « Non illi imperium pelagi sævumque tridentem, Sed mihi sorte datum. » Scilicet quum *sævus* proprie ad iram, furorem ac vehementiam spectet, pro communi epitheto, sæpe tantum in ornatum, adhibetur in omnibus rebus, quæ ad bella, pugnas, virtutem, ad imperia, regna, jussa, ad mare, ventos, tempestates pertinent. Quod pulchre animadvertit Heynius ad versum 99 hujus lib. Virg. t. II, p. 75, ed. nost.

602. *Nota Baccho Tmolus*, etc. Tmolus vel Timolus, mons Phrygiæ Magnæ, in confin. Lydiæ, notus Baccho, vel quia vitibus abundat, vel quod eum superaverit Bacchus. Ovid. Metam. VI, 15: « Deseruere sui Nymphæ vineta Timoli. »

604. *Pactolus.* Fluvius Lydiæ, ex Tmolo monte profluens, qui, propter flavas arenas, aurum volvere dicebatur. Cf. Hygin. fabul. 191. Plin. V, 29. Ovid. Metam. XI, 142. Horat. epod. 15, vs. 20. Propert. I, eleg. 14, vs. 12, et III, eleg. 18, vs. 28. Lucan. III, 210. Varr. apud Non. c. 4, n. 27. Add. Nostri Œdip. 467.

Digitized by Google

Mæandros arvis flectit errantes aquas,
Rapidusque campos fertiles Hebrus secat.
Hinc grata Cereri Gargara, et dives solum
Quod Xanthus ambit nivibus Idæis tumens:
Hinc, qua relinquit nomen, Ionii maris 610
Fauces Abydo Sestos opposita premit;

606. *Mæandros*. Mæandros, vel Mæander, Phrygiæ fluvius. Vide Herc. Fur. 684.

607. *Hebrus*. Miratus est Gronovius Hebrum, Thraciæ fluvium, hic memorari, quum Asiæ sint cæetera, quæ Noster describit loca. Unde conjiciebat *Hermus* pro *Hebrus*. Sed jam antea, nec semel, adnotavimus, multa in his tragœdiis confusa, permixta, male sociata reperiri, quæ in melius mutari non expediat, si ingenio Senecæ consentanea, et vera potius, quam recta, quærimus. Quid? si sana tantum in Nostro placeant et servanda videantur, nonne hæc omnia, a versu 602 ad versum 613, delere velit paulo severioris judicii censor, quum parentem neutiquam deceat, dolori et maternis affectibus intentam, quæ regna armis peti possint, enumerare, nec perspicere sit expeditum, cur ea potius regna, quam alia, Jocasta meminerit? Sed in Nostro bona semper malis ita admixta occurrunt, ut neque laudari neque vituperari sine modo debeat. Quod in ipsa Jocastæ obsecratione, ut in cæteris, facile deprehendas, quum multa in multiplici ejus oratione sincera et genuina et mire naturæ accommodata eluceant (pleraque a vs. 443 ad vs. 525 expende, et ea potissimum quæ ab Euripide expressit), multa autem argutiora, aut fusius evoluta et sæpius recantata, aut male connexa, aut intempestivo verborum tumore corrupta reperiantur.

608. *Grata Cereri Gargara*. Gargara, montis Idæ, in Troade, cacumina, grata Cereri dicuntur, quia frumento feracissima traduntur. Virg. Georg. I, 103: « Ipsa suas mirantur Gargara messes.» Cf. Plin. V, 30. Stat. Theb. I, 549. Macrob. Saturn. V, 20.

609. *Quod Xanthus*, etc. Quod Xanthus, Troadis rivus, ex Ida decurrens, et ideo dictus nivibus Ideis tumescere.

610. *Hinc, qua relinquit*, etc. Hinc, Sestos et Abydos oppositæ premunt Ionii maris fauces, qua Ionium mare nomen relinquit, id est, mutat nomen. Pars enim maris quæ Sesto Abydoque interjacet *Hellespontus* vocatur.

611. *Fauces Abydo*, etc. Dicuntur Sestos et Abydos oppida maris fauces premere, quod in ora Hellesponti ponuntur, altera in Europa, altera in Asia, angusto maris freto intercedente. Simili sensu Noster jam in Thyeste, v. 628: « maris gemini premens Fauces Corinthos.» De Sesto et Abydo, vid. Virg. Georg. I, 207. Ovid. Heroid. XVIII, 127, et XIX, 30. Id. Trist. I, eleg. 9,

Digitized by Google

Aut, qua latus jam propius Orienti dedit,
Tutamque crebris portubus Lyciam videt:
Hæc regna ferro quære: in hos populos ferat
Socer arma fortis: has paret sceptro tuo 615
Tradatque gentes. Hoc adhuc regnum puta
Tenere patrem. Melius exsilium est tibi,
Quam reditus iste: crimine alieno exsulas,
Tuo redibis. Melius istis viribus
Nova regna nullo scelere maculata appetes. 620
Quin ipse frater, arma comitatus tua,
Tibi militabit. Vade, et id bellum gere,
In quo pater materque pugnanti tibi
Favere possint: regna cum scelere omnibus
Sunt exsiliis graviora. Nunc belli mala 625

v. 28. Lucan. II, 674, et VI, 55. Plin. IV, 11, et V, cap. ult.

612. *Qua latus*, etc. Qua mare Ionium dat latus Orienti, id est, ad Orientem vergit et extenditur. Flectit enim se mare Ionium, circa Cnidum Rhodumque, et Lyciam alluit, et largo sinu Asiæ admovetur.

614. *Hæc regna ferro quære*, etc. Hunc Nostri locum adornavit Racine, *les Frères ennemis*, act. IV, scen. 3:

Faites plus, tenez tout de votre grand courage:
Que votre bras tout seul fasse votre partage.
.....
Cherchez à ce grand cœur, que rien ne peut dompter,
Quelque trône où vous seul ayez droit de monter.
Mille sceptres nouveaux s'offrent à votre épée,
Sans que d'un sang si cher nous la voyions trempée.
Vos triomphes pour moi n'auront rien que de doux,
Et votre frère même ira vaincre avec vous.

616. *Hoc adhuc regnum*, etc. Abstine Thebano regno, quasi hoc adhuc teneret pater.

618. *Quam reditus iste*. Turpius est tibi sic redire, id est, vi armorum in patriam restitui, quam exsulare: scelus enim alienum est, si exsulas; tuum, si regnum armis hostilibus invaseris.

619. *Istis viribus*. Satius est tibi tot militibus ducibusque nova regna quærere, quæ nullo scelere consequaris.

624. *Regna cum scelere*, etc. Regna scelere parta. Racine, *les Frères ennemis*, act. I, scen. 3:

La couronne pour vous a-t-elle tant de charmes?
Si par un parricide il la fallait gagner,
Ah! mon fils, à ce prix voudriez-vous régner?

625. *Nunc belli mala*, etc. Nunc autem tibi ante oculos propone et belli mala et semper incertam pugnarum aleam.

Digitized by Google

Propone, dubias Martis incerti vices.
Licet omne tecum Græciæ robur trahas,
Licet arma longe miles ac late explicet,
Fortuna belli semper ancipiti in loco est,
Quodcumque Mars decernit : exæquat duos, 630
Licet impares sint, gladius; et spes et metus
Fors cæca versat. Præmium incertum petis,
Certum scelus. Favisse fac votis deos
Omnes tuis : cessere, et aversi fugam

626. *Martis incerti.* Ideo, inquit Delrio, Mars a Latinis *communis deus*, a Græcis κοινὸς Ἄρης, vocatur.

628. *Licet arma longe*, etc. Licet longus latusque militum ordo arma sua explicet. Stat. Theb. VII, 501 : « longe tua jussa cohortes Exspectant. »

629. *Fortuna belli*, etc. Quodcumque prælio dijudicatur et decernitur, anceps est et in alea positum : unde passim occurrit in latin. scriptt. *fortuna belli.* Sallust. in Catilin. 57 : *Optimum factum ratus in tali refortunam belli tentare.* Id. in Orat. Lepid. *Quos fortuna belli consumpserat.* Cic. pro Marcell. cap. 5 : *Quum esset incertus exitus, et anceps fortuna belli.* Adde Ovid. Metam. VIII, 12 : « Pendebat adhuc belli fortuna, » etc. etc.—*Ancipiti in loco.* Cic. ad Attic. XI, 13 : *Meliore loco res erant nostræ.* Terent. Adelph. act. III, scen. 2, v. 46 : « Pejore res loco non potis est esse, quam in hoc, quo nunc sita est. » Tacit. Ann. I, 36 : *In ancipiti est respublica.*

630. *Quodcumque Mars decernit.* Ubi armis agitur, nec ratione et colloquio. *Decernere* pro *decidere*, *dirimere*, ut in Liv. V, c. ult. *Haud magna vis certaminis fuit : primus clamor atque impetus rem decrevit.* — *Exæquat duos*, etc. Claudian. de Bell. Gildon. 386 : « Qui stetit, æquatur campo. »

631. *Licet impares sint.* Quamvis impares sint viribus, ea tamen belli fortuna est, ut nonnumquam potentiorem infirmior vincat. Liv. XXVIII, 19 : *Ubi Mars communis et victum sæpe erigeret, et affligeret victorem.* His cognata, Homeri sequentia, Iliad. XVIII, v. 309 : « Ξυνὸς Ἐνυάλιος, καί τε κτανέοντα κατέκτα. »

632. *Fors cæca*, etc. Fortuna spes et metus versat, dum eos, qui propter vires sperare posse videbantur, interdum prosternit, erigit autem et extollit quos metus periculi conscios angebat. — *Præmium incertum*, etc. Incerta est victoria, quæ tibi Thebanum regnum vindicet ; certum est scelus, quum tuus in patriam et fratrem distringatur gladius.

634. *Cessere*, etc. Etiamsi votis tuis faverent dei, victoriamque tuarum esse partium juberent, cesserint cives, fugam petierint, jacuerint funesta clade, et agros

Digitized by Google

Petiere cives : clade funesta jacent : 635
Obtexit agros miles. Exsultes licet,
Victorque fratris spolia dejecti geras,
Frangenda palma est. Quale tu id bellum putas,
In quo exsecrandum victor admittit nefas,
Si gaudet? Hunc, quem vincere infelix cupis, 640
Quum viceris, lugebis. Infaustas, age,
Dimitte pugnas : libera patriam metu,
Luctu parentes. POL. Sceleris et fraudis suæ
Pœnas nefandus frater ut nullas ferat?
JOC. Ne metue : pœnas, et quidem solvet graves; 645

obtexerint corporibus, quem fructum victoriæ habebis? Tibi lugendum erit, tibi incumbet scelus, te exercebit admissi sceleris conscientia.

636. *Obtexit agros miles.* Milites per agros jacent perempti.

638. *Frangenda palma est.* Detestanda victoria est. *Palma* enim pro victoria sæpe ponitur, quia palma donabatur victor. Liv. X, cap. ult. *Eodem anno coronati primum, ob res bello bene gestas, ludos romanos spectaverunt; palmæque tum primum, translato e Græcia more, victoribus datæ.* Trita est Nostri sententia et in poetis non semel occurrit. Claudian. de VI consul. Honor. v. 401 : « Namque inter socias acies cognataque signa Ut vinci miserum, numquam vicisse decorum. »

639. *In quo*, etc. Quale id bellum esse putas, in quo victoria gaudere non possis, quin exsecrandum admittas scelus?

642. *Dimitte pugnas.* Desine pugnare. Sic Virg. Æn. XI, 706, *dimittere fugam;* Valer. Flacc. VIII, 105, *dimittere moras;* Suet. in Cæs. c. 18, *dimittere triumphum*, etc. etc.

645. *Pœnas*, etc. Imitatus est Euripidem, mutata dicendi forma. Phœn. 554 : « Περιβλέπεσθαι τίμιον; κενὸν μὲν οὖν. Ἢ πολλὰ μοχθεῖν, πολλ' ἔχων ἐν δώμασι Βούλει; τί δ' ἔστι τὸ πλέον; ὄνομ' ἔχει μόνον, » etc. RACINE, *les Frères ennemis*, act. IV, scen. 8 :

Si vous lui souhaitez, en effet, tant de mal,
Élevez-le vous-même à ce trône fatal.
Ce trône fut toujours un dangereux abîme :
La foudre l'environne aussi bien que le crime;
Votre père et les rois qui vous ont dévancés,
Sitôt qu'ils y montaient, s'en sont vus renversés.

Sed hæc ultima potius ad sequentes Nostri versus referenda sunt, *sceptra Thebarum fuit impune nulli gerere.* Illa autem sententia, *pœnas solvet graves; regnabit*, de omnibus generaliter accipienda qui regnandi suscipiunt onus, quasi in omni ditione molestum aliquid et acerbum sublateat. Quod quidem tum a scriptoribus vitæ instituendæ magistris, tum a dramaticis vatibus recantatum passim reperias. Sic Hippolytus in Eurip. Hipp. vs. 1013

Digitized by Google

Regnabit. POL. Hæcne est pœna? JOC. Si dubitas, avo
Patrique crede : Cadmus hoc dicet tibi,
Cadmique proles. Sceptra Thebarum fuit
Impune nulli gerere; nec quisquam fide
Rupta tenebat illa. Jam numeres, licet, 650
Fratrem inter istos. POL. Numero : et est tanti mihi
Cum regibus jacere. ETEOCL. Te turbæ exsulum

et seqq. Sic Creon in Soph. OEd. tyr. 584 et seqq. Sic Thyestes in Nostri Thyest. v. 446 et seqq. Sic Augustus in Gallica tragœdia, cui titulus *Cinna*, act. II, scen. 1, et Phocas, in tragœdia quæ *Heraclius* inscribitur, act. I, sc. 1. Vid. quæ notavimus in Thyeste, ad vv. 443, 446, 453, etc. Add. not. posthum. J. Grut. ad sentent. 834.

646. *Si dubitas, avo*, etc. Si dubitas miseros esse qui regnum obtinent, avum et patrem tuum, Laium et OEdipum, respice, quorum alter occisus est, alter tot et tantis conflictatus malis.

648. *Sceptra Thebarum*, etc. Cf. Herc. fur. 386 et seqq. — *Fuit... impune.* Usurpatur *impune esse* pro *impune fieri*, aut sæpius pro *impunitum esse*, ut *frustra esse* pro *vanum esse.* Sall. in Jug. 7 : *Cujus neque consilium, neque inceptum ullum frustra erat.* Id. in orat. Licin. trib. ad plebem : *Nam spem frustra fuisse intellexistis.*

649. *Nec quisquam*, etc. Quicunque Thebarum sceptra gessere, miseri fuerunt, licet nulli acciderit ea perfide vel retinere, vel occupare : Eteocli autem quantæ imminent calamitates, quum et regnum teneat, et nonnisi rupta fide teneat!

650. *Jam numeres, licet*, etc. Fratrem tuum inter reges istos infelices numera.

651. *Numero : et est*, etc. « Scio equidem, ait Polynices, fratrem meum, si rex erit, miserum fore, ut qui ante illum regnaverunt; sed ego quoque, dum regno potiar, miser esse non recuso : magnum enim et optabile est cum regibus jacere. » Hæc optime connexa videntur, quamvis Both. immittendam Eteoclis personam judicet (vid. Animadv. nostras.) — Sententiam Nostri bis usurpavit RACINIUS, in tragœdia supra citata, quam ad Euripidis et Senecæ imitationem scripsit. In act. II, scen. 2, *Hémon :*

Peut-on se repentir d'un si grand avantage?
Un si noble trépas flatte trop mon courage;
Et du sang de ses rois il est beau d'être issu,
Dût-on rendre ce sang sitôt qu'on l'a reçu.

Et *Polynice*, act. IV, scen. 3 :

Quand je devrais au ciel rencontrer le tonnerre,
J'y monterais plutôt que de ramper à terre.
Mon cœur, jaloux du sort de ces grands malheureux,
Veut s'élever, madame, et tomber avec eux.

652. *Cum regibus jacere.* Vel mori cum regibus mihi dulce videtur. — *Te turbæ exsulum*, etc. Frustra, reponit Eteocles, ardes regnare : æternum exsulabis.

Digitized by Google

Adscribo. POLYN. Regna, dummodo invisus tuis.
ETEOCL. Regnare non vult, esse qui invisus timet.
Simul ista mundi conditor posuit deus, 655
Odium atque regnum. Regis hoc magni reor,
Odia ipsa premere. Multa dominantem vetat
Amor suorum; plus in iratos licet.
Qui vult amari, languida regnat manu.
POLYN. Invisa nunquam imperia retinentur diu. 660
ETEOCL. Præcepta melius imperii reges dabunt;
Exsilia tu dispone. Pro regno velim
Patriam, penates, conjugem flammis dare.
Imperia pretio quolibet constant bene.

* * *

653. *Regna, dummodo*, etc. Sic Megara in Herc. fur. v. 395, Lycum alloquitur: « Dominare, ut lubet, Dum solita regni fata te nostri vocent. »

654. *Regnare non vult*, etc. Cf. Herc. fur. v. 353.

657. *Odia ipsa premere.* Odia vincere, et vi quadam compescere. Tacit. Ann. III, 6: *Utque premeret vulgi sermones.* — *Multa dominantem vetat*, etc. Rex qui a suis amatur, multa facere vetatur, ne amantes offendat.

659. *Languida ... manu.* Parum viriliter.

660. *Invisa nunquam*, etc. Cf. Cic. de Offic. II, 23, 25, etc. etc.

661. *Præcepta melius imperii*, etc. Locum recte explicat Farnabius: « Quæcumque a te dicta sunt, præcepta sunt regni: sed regum est, non tuum, ista edicere. Reges ergo melius præcepta regnandi dabunt, quam tu, qui exsulas. Ipsi viderint quomodo disponant regna sua; tu, quomodo in exsilio degas. Tam tibi præceptis exsilii, quam illis imperii, opus est. »

664. *Imperia pretio*, etc. Euripid. « Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι Κάλλιστον ἀδικεῖν· τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών. » Quos versus sic a Cicerone conversos memorat Suetonius: « Si violandum est jus, imperii gratia violandum est: aliis in rebus pietatem colas. » Euripidis sententiam, inquit Delrio, mutuatur Dionysius Halicarnass. lib. IV Orig. Roman. et impiæ Tulliæ tribuit: possis tyrannis omnibus, hominibus fere. Nam vetus ac pridem insita mortalibus imperii cupido, cunctis affectibus flagrantior, trudit et rapit, non solum allicit et trahit. Cf. Herc. fur. v. 355. — Cætera hujus tragœdiæ desiderantur, sive injuria temporis exciderint, sive, ut nonnullis placuit, imperfectum opus Noster reliquerit, et extremam manum ei imponere vel non voluerit, vel non potuerit. Vid. supplem. Henrici Chifellii, pag. 469 et seqq.

Digitized by Google

NOVÆ
DE VARIETATE LECTIONUM
IN
PHŒNISSAS
ANIMADVERSIONES.

Eosdem, vel excusos, vel manuscriptos, libros ad hanc recognoscendam tragœdiam adhibui, quibus in emendando Thyeste usus sum (vid. p. 333). Accesserunt Q. Septimii Florentis Christiani ad Thebaidem notæ. Tragœdiam non integram nec omni parte justam supplevi, addito choro et quinto actu, quales edidit Henricus Chifellius, Romæ, 1625.

Phœnissæ. Vulgo, *Thebais.* Magna hujus tragœdiæ parte intercepta, ne nomen quidem ad nos pervenit. « Nescio quis, ait Gronovius, poematis laceri, instar Deiphobi, nullo titulo, misertus, quum Œdipum et par Thebanum in eo agnosceret, de P. Papinii Statii opere, *Thebaidem* proscripsit. Quem errorem vetus auctor, qui tamen hactenus nihil peccarat, magna mercede expiavit. Ipse dixerat *Phœnissas*, Euripidem imitatus. Nam hanc solam inscriptionem horum fragmentorum novit aureus ille codex Florentinus, eamque et in fronte voluminis, ubi omnes promittuntur tragœdiæ, et in fronte ac fine hujus ipsius, denique in summis omnibus paginis, quibus continetur, præfert. Ut autem a Troadum choro *Troades*, sic a choro Phœnissarum appellavisse Nostrum *Phœnissas*, hac quoque Euripidis imitatione, valde credibile ac mihi penitus persuasum est. » Lectionem Gronovii et recentiorum secutus sum, ne in re dubia et levissimi alioquin ponderis eorum auctoritati refragarer. Duo tamen adnotanda arbitror : 1° non posse ex Phœnissarum choro colligi, nomen *Phœnissæ* tragœdiæ a Nostro inditum, quum chorus omnis desideretur, nec affirmari queat, chorum, ad imitationem Euripidis, a Phœniciis mulieribus actum ; 2° in plerisque nostris MSS. et in primaria Fernandi editione *Thebaidis* titulum usurpari, quod *aurei codicis* fidem, numero saltem et prope universitate monumentorum, imminuat.

Digitized by Google

2. *Lateris levamen.* Omnes ante Gronovium ediderant *Patris levamen*, quod certe in MSS. legitur. Sed jam declaraverat Florens Christianus sibi non placere hanc in tribus versibus repetitionem, *parentis*, *patris*, *patrem.* Quod judicio suo confirmavit Gronovius, legendum arbitratus *lateris :* sic apud Sophoclem (Οἰδίπ. ἐπὶ Κολ. v. 1112), Ἔρεισατ', ὦ παῖ, πλευρὸν ἀμφιδέξιον. Gronovianam lectionem probavit Valkenarius ad Eurip. Phœniss. v. 88, et Badenius in editionem suam recepit, hoc Statii versu allato, qui cum ea consonat (Theb. XI, 586) : « Virgo autem impositæ sustentat pondera lævæ. » Putat contra Botheus fuisse Gronovium *justo confidentiorem* in vulgata mutanda, et jubet ipse pro *patris* legi *fratris*, et *parum* sequenti versu pro *patrem.* Nec repetitionem, plerisque merito suspectam, retinere sustinui, nec duplicem Bothei audaciam simplici Gronovii *confidentiæ* præferre.

4. *In recta.* Nonnulli codices, in quibus Paris. 8026 et edit. Fabric. *tecta*, quod Lipsius amovendum et judicavit et firmissimis argumentis approbavit.

7. *Et hoc nefandi.* In MS. Fabricii et Paris. nostro 6377, *Et quæ nefandi.*

10. *Hinc jam.* Volebat Heinsius scribi *hic jam ;* frustra.

12. *Protendit.* Veteres Delrionis libri, tres Gruteri MSS., et Pariss. 8024, 8029, 8035, *prætendit*, quod et recipi possit.

13. *Qua peragrato.* Sic edd. Scriv. Farn. Thys. Gronov. Bip. Baden. et MSS. Pariss. 8027, 8260; sic Commelini vetustiores nonnulli. In Fern. Isoard. Ægid. Phil. Ascens. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Delr. Grut. Heins. et tredecim Pariss. MSS. *peragrati . . . montis*, quod Botheus quoque assumpsit, quoniam *peragrato monte* diceretur, « quasi montem Actæon peragrasset, et deinde in nescio quibus saxis a canibus suis laceratus concidisset. » Mihi quidem videtur *jacere per saxa peragrato monte* non solum pro *jacere per saxa montis quem peragraverat* posse adhiberi, sed etiam latinius et elegantius hoc sensu, quam *per saxa montis peragrati*, usurpari. Quod addit Botheus, *accedere metri rationem*, jam antea refelli, in Animadv. ad Herc. fur. v. 592.

16. *Instinctas deo.* Nonnullis codd. *instructas*, quod jure amoliti sunt plerique editores, nequicquam Herbipol. et Mogunt. Delrionis, necnon Cantabrig. Pontani subnixum, et sex Pariss.

17. *Gaudens malo.* Nic. Heinsius, *gaudens mali*, vana, ut solet, conjectura.

18. *Vibrante fixum, etc.* Omnes fere vel MSS. vel editi libri sic versum disponunt : *Vibrante Thyrso prætulit fixum caput;* quod Gronovius ex Florentino in meliorem redegit ordinem. — MSS. Pariss. 8024, 8025, *protulit.*

20. *Zethi juvencus.* Omnes ante Gronovium edd. *Zethi juventus*, quasi dici posset *juventutem Zethi cucurrisse*, pro *juvenem Zethum cucurrisse.* Adde quod non ipse traxerit Zethus invisum Dirces corpus, sed Tauro

Digitized by Google

raptandum permiserit. *Juvencus*, quod ita tum aptum sententiæ, tum vulgatæ lectioni propinquum videtur, ut vix auctoritate librorum egeat, in Florentino tamen reperitur et in Paris. 8031.

21. *Ostentat.* Isoard. *ostendit;* Fern. et Ægid. *ostendat.* Paris. 8032, *obvertat.*

22. *Vertice immenso.* Nonnulli ediderunt *immerso*, in quibus Avant. Fabr. Commel. Delr. Sed vix intelligendam lectionem et nullo prope manuscripto defensam amoverunt recentiores.

23. *Inoa rupes.* In plerisque tum edd. tum MSS. legitur *Inoque præceps*, quod quum sensu carere videretur, substituit Gronovius ex principibus membranis (quæ *Minor rupes* habebant) *Inoa rupes.* Botheus autem membranarum lectionem propius secutus, legi jubet *Minora rupes*, referens *alta* ad *rupes*, et sic *Minora* interpretans, quasi per hyperbolen dicantur maria rupis mole imminui et coarctari. Acutius, quam verius. — *Scelus... sui.* Erat in vett. edd. et MSS. *Scelus... suum;* sed interrogaverunt viri docti, Gronovius, Schrœderus, Badenius, quodnam fuit scelus istud suum quod fugit Ino, quum nullum admisisse nefas memoretur, sed furentem et Melicertæ minitantem conjugem fugisse. Unde Gronovius pro *suum* voluit legi *viri:* sed quum monuisset in Vossiano haberi *sui*, placuit Badenio Vossianam lectionem assumi, quam et nos recepimus.

27. *Est alius.* Ascens. *est altus.*

28. *Cursu.* Fern. Ægid. *curru*, solita confusione.

30. *Quid moror sedes meas?* Alia interpunctione Fern. et Both. *Quid moror? sedes meas, montem, Cithæron, redde.*

31. *Montem.* Sic Fern. Isoard. Ægid. Phil. Ascens. Avant. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. et omnes ad unum Pariss. MSS. Gronovius tum ex conjectura Florentis Christiani, tum ex Etrusco, *mortem* pro *montem* scribi voluerat. Sed Schrœderus recte ex Traject. et aliis codd. jussit reponi *montem;* in monte OEdipum expositum fuisse, sed servatum; nunc montem ab illo reposci, in quo moreretur; firmare hanc interpretationem sequentia, *hospitium mihi illud meum restitue;* non autem inconcinne dici *Cithæron, redde montem*, quod nihil aliud sonet quam *redde te mihi, Cithæron.* Botheus quoque et Baden. a Gronovio et Florentino codice recesserunt, tum auctoritate librorum, tum non unius scriptoris exemplis moti. Statius enim in Theb. I, 331: « Qua molle sedens in plana Cithæron Porrigitur, lassumque inclinat ad æquora montem. » Priscian. Perieges. v. 74: « Cæliferasque tenet stans Atlas monte columnas. »

38. *Pestifero.* Paris. 8261, *pacifero.*

39. *Amore vinctum.* Lipsius mallet *vivum.* In Fern. Ægid. et Paris. 8263, *victum;* in 8037, *junctum.* — *Quid tenes?* Indicabat Botheus frigere repetitionem *quid tenes?* et opinabatur fuisse, *quid times?* Vulgata mihi longe præstantior videtur, nec satis liquet unde frigeat repetitio. Paris. 6377, *quis tenet?*

Digitized by Google

40. *Sanguineum gerens.* Sic Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. et recentiores MSS. et vett. edd. Fern. Isoard. Ascens. Gryph. *sanguinem genus;* Ægid. Avant. *sanguineum genus*, quæ ferri non possunt. Nic. Heinsius conjiciebat, *sanguineum ingerens insigne regni*, quod interpretabatur, « intentans in ora, atque ita exprobrans sibi a me ereptum. » Supervacua emendatio : nihil enim vulgata clarius et significantius.

41. *Laius rapti.* Ascens. et Delr. *Laius erepti*, tribus vocabuli *Laius* syllabis in duas contractis, incolumi utcunque metro.

42. *Inanes.* Omnes MSS. et vett. editt. *manes*, quod jure amovit Delrio, Nostrum scripsisse ratus *inanes*.

43. *Vides? Ego video.* Voluit Lipsius hæc, *Ego video*, ab Œdipo dici, quæ ante eum Antigonæ attribuebantur, ut et sequentia *tandem spiritum inimicum exspue.*

44. *Ego video.* Malit Flor. Christian. *video ego*, ne pes occurrat proceleusmaticus versus initio, quasi nullus alius versus sic se habeat. Vid. Thyest. 289; Phœniss. 221; Hipp. 164; Troad. 36, 413, etc. etc. — *Exspue.* In omnibus editt. ante Gronovium et in omnibus MSS. legebatur *exue*, quod pro scripturæ Florentinæ fide a recentioribus mutatum est.

45. *Desertor anime.* Reposui cum Badenio lectionem in omnibus MSS. et vett. edd. habitam, quamque universi præferunt Pariss. codd. Jusserat Gronovius scribi *Desertor animi*, quod Œdipus animum non accusat, quippe paratum ad omnem pœnam, sed sese, qui animo morem non gesserit, et ejus impetum destituerit. Sed non ita felix ea mihi conjectura videtur, ut firmatam tot librorum auctoritate lectionem mutare audeam, præsertim quum vulgata non omnino interpretatione careat. *Desertor anime*, ait Nic. Heinsius, *hoc est, qui deficit ad audendum.* Notat quoque Badenius usurpari *desertor animus*, ut *animus contemptor, animus victor, animus liberator* et similia, de quibus egregie Bentleius ad Horat. od. IV, 9, 39. Defendit etiam hanc scribendi formulam Burmannus ad T. I, Anthol. lat. p. 80.

46. *Omitte.* Pariss. 8028 et 8034, *dimitte.* — *Pœnas languidas longæ moræ.* Grotius adscripsit margini : *Omitte pœnæ languidas longæ moras*, quod arripuit Botheus, *putidam* ratus esse vulgatam. Conjiciebat quoque Nic. Heinsius : *Remitte pœnæ languidas longæ moras.* Sed cur abrogetur vetus lectio et omnium librorum auctoritate confirmata neutiquam video, quum *pœnas languidas longæ moræ* possit accipi, vel pro pœnis mollibus et turpibus viro, quæ ex longioris tantum vitæ et miseriæ mora oriantur, ut sup. pag. 376 interpretatus sum, vel pro languidis pœnis quæ in tam diutinam moram trahantur, et Œdipum nonnisi post longum tempus sint absumpturæ. « Eia age, inquit, vitam abrumpe, et pro molli et dimidiata pœna, quæ te post longum tantummodo ævum conficiat, mortem totam recipe. »

Digitized by Google

47. *Recipe.* Vetus codex Lipsii et MS. Commel. *admitte*, quod Delrioni et Botheo placuit. — *Quid segnis traho Quod vivo?* In omnibus codd. excusis ante Both. et Bad. *Quid segnis traho? Quid vivo?* Sed locus jam Gronovium offenderat : « Scribe, aiebat, una littera et distinctione mutata : *Quid segnis traho, Quod vivo?* hoc est, quam partem, aut illud quatenus vivo. Quid, parte mei præmortua, reliquam partem vivam segnis traho? Sic infra v. 113 : « et in cineres dabo Hoc quidquid in me vivit. » Et infra v. 170 : « nec me redemi parte : membratim tibi Volui perire. » Eodem sensu placuerat Nic. Heinsio : *Quo vivo.* Gronovii emendationem cum Botheo et Badenio recepimus.

52. *Comitem tibi.* MSS. plerique et omnes quidem Pariss. cum omnibus ante Heinsium excusis, habent *Comitem tui.* Heinsius, et post Heinsium omnes *Comitem tibi* prætulere, quod ex MSS. Commelini profectum videtur : nam Commelinus sic in suis scribi monuerat.

55. *Pars summa*, etc. Antiqui libri : *Pars magna patris optimo e regno mea est*, vel *Pars summa patris optimo e regno mea est :* nam *summa* in quibusdam MSS. habetur. Pro *optimo*, se *optima* malle declaravit Flor. Christianus; Gruterus autem, *optimi;* Nic. Heins. *opimo.* In Etrusco Gronovii sic versus legitur : *Pars summa magni patris e regno mea est :* quod Gronovio præter morem suum fastidire placuit, prælata conjectura: *Pars una magno patris e regno mea est.* Cum Jacob. Gronovio, Botheo et Badenio florentinam lectionem assumpsi, quamvis et vulgata possit servari et defendi.

57. *Sceptra qui regno.* Malit Gronovius *regna qui sceptro :* frustra, quum juxta dici queant et *sceptra* et *regna* tenere, et *sceptra* et *regna* rapere.

58. *Non hunc.* Velit Nic. Heinsius *non huc*, aut, si Badenio credimus, *non hic*, quod quidem in duodecim Pariss. et editt. Furn. Phil. Ascens. Avant. Gryph. Petr. invenio : sed firmior et significantior vulgata. « Non hunc (patrem) mihi auferet Eteocles, qui regnum contra fidem retinet; non hunc (auferet) Polynices, catervas Argolicas agens. »

59. *Non si revulso.* Pariss. 8026 et 8263, *non nisi.*

61. *Prohibeas.* Paris. 6377, *prohibeat*, quod et recipi queat, mutata interpunctione : *prohibeat genitor licet.*

62. *Dirigam inviti gradum.* Plerique MSS. nostri, ut et antiquæ editt., habent *dirigam invitum gradum.* Monuit Lipsius esse in vetere suo codice, *dirigam invitum patrem*, quod quidem in uno quoque nostro reperitur, nempe in MS. 8261, et in MS. 8055 scriptum videri potest, quippe qui *invictum patrem* præfert. Florens Christianus, probata Lipsii lectione, *invitum patrem*, offensus ita quasi ταυτολογίᾳ, *regam*, *dirigam*, sic emendandum locum censebat, *diligam invitum patrem*, in quam lectionem Delrio invectus est, quod *dirigi* quidem ab Antigona nollet Œdipus, non autem *diligi*, si se mori sinat, abnueret. Commelinus autem, quum in MS. *inviti gradum* legi adnotavisset, permultos habuit qui suæ lectioni adhærerent faverentque; in quibus Gronovium, qui, ut Florentis Chri-

Digitized by Google

stiani judicio simul aliquid condonaret, *ducam* pro *regam* jubebat, ex Florentino, ut videtur, sumptum, reponi. Contra Botheus egregiam Florentis Christ. lectionem judicavit, « quidquid, ut scribit, obloquatur monachus Lovaniensis », quem acriter carpit, « quod soleat trita et aperta ad tædium usque explicare; subtilia autem et paulo obscuriora non assequi. » Modestius quidem et rectius Badenius, qui *tegam* pro *regam* induci posse innuit; sed declarat *regam* et *dirigam* non asperius, suo judicio, concurrere, quam *recedit* et *cessit* in Herc. OEt. v. 307: « Quid hoc? recedit animus, et ponit minas. Jam cessit ira ».

63. *Prorupta appetis?* Sic Both. et Bad. ex Florentino Gronovii. Cæteri, *prærupta expetis?*

64. *Quovis*, etc. Veteres libri: « quovis utere Duce e duobus, omnis eligitur via. » Quod quidem haud facile intellexeris. Primus Lipsius, locum suspectum ratus, e suo libro extulit: « quovis vertere Duce me; duobus omnis eligitur via. » Delrio emendationem probavit, nisi quod *utere* pro *vertere* adhibuit, sic interpungens: « quovis, utere Duce me: duobus omnis eligitur via. » Scaliger superbe, ut solet, pronuntiat scripsisse Senecam: « quovis vertero. Duc e duobus. Omnis eligitur via, » quod merito amovet Gronovius, Delrionis lectionem Etrusci auctoritate confirmans.

65. *Eligitur*. Repugnante metro, Fern. *eligatur*, et Paris. 8263, *eligetur*, quod vulgatæ præstaret, si pateretur versus integritas.

69. *Vis hanc petamus?* Notavit Raphelengius in Ortelii codice scribi, *vis hanc? petamus*.

72. *Lapsi*. Sic plerique MSS, in quibus Delrionis Herbip. Venet. et Mogunt. Alii, *lassi*, quod probabat Nic. Heins. tom. 4 syllog. epist. 73. Editt. quoque Phil. Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. *lassi* præferunt: sed recte notavit Badenius *lapsus* optime pro *lapsurus* usurpari, ut in Herc. fur. v. 1250: « Unicum *lapsæ* domus Firmamen. » — *Exesas*. Gryph. et Petr. a secunda manu, *excelsas*.

77. *Advoca*. Fern. *advoco*.

78. *Magno robore*. Omnes MSS. *magno pectore;* ad quod Lipsius: « Displicet inamœna verbi repetitio, *pectore* et *pectus*. In meo manifeste alia vox fuit; sed, ea erasa, *pectore* impositum. An, *robore?* » Conjecturam Lipsii receperunt et Raphel. et Gronovius et recentiores. Nos idem invenimus in antiqua editione Ægidii, quæ aperte, *magno robore ærumnas doma*. — *Victasque... doma*. Interrogat Botheus, quomodo *victas*, quæ vincendæ sunt? Malit igitur *junctas*, id est, communes Antigonæ cum OEdipo. Sed quis nesciat posse scribi *victas domare* pro *vincere et domare?* Ærumnas doma, quas victas habeas. Adhibetur præteritum *victas*, ut quod futurum sit post *domitas ærumnas*.

79. *Malum est*. Sic omnes ad unum nostri Pariss. et universæ ante Gronovium editiones. Gronovius ex Florentino extulit *mori est*, et sine necessitate pro *malum est* in versum Senecæ induxit. Etruscam lectionem

Digitized by Google

servaverunt et Bipontini editores et Botheus et Badenius, nihil de hujus præstantia locuti, nisi quod Botheus eam sic interpretatus est : « *Tantis in malis vinci mori est*, inquit, id est, mori in tantis malis est vinci : quare fac resistas, ne victus videare. » Judicent docti de hac interpretatione : ego autem non ausim ita de Nostri industria, in componendis verbis sentire, ut putem hanc illi contortam placuisse dicendi formam, *tantis in malis vinci mori est*, pro *tantis in malis mori, vinci est*. Fruatur sententia sua Botheus, ut et olim Gronovius, quamvis existimem locum aliter Gronovio, aliter Botheo intellectum. At nos vulgatam revocavimus, tum codicum auctoritate nixam, tum orationis elegantia præstantiorem : sua est enim iteratis verbis, *malis*, *malum*, gratia.

81. *Unde ista*, etc. Ad hæc Florens Christianus : « Post ea, *virgo dissimilis suo*, libenter hærerem cum interrogationis nota : deinde sic distinguerem : « fortuna (credis ?), aliquis est ex me pius » , sine interrogandi nota, nisi in parenthesi. » Ex parte Flor. Christiano auscultatum est.

85. *Regeret in fontem*. Paris. 8055, *vertet in fontem*.

86. *Noctem afferet*. Legi malit Nic. Heinsius, *noctem efferet*, quod jure amovit Badenius.

89. *Unica Œdipodæ est salus* Paris. 8026, *Unica Œdipo est salus*, de qua lectione vide Gronovii notam.

90. *Non esse salvum*. Nic. Heins. ad Ovid. Her. XIV, v. 64, *salvo* malebat.

96. *Invisum*. Fern. Isoard. Ægid. *injustum*.

105. *Regnum mei*. Fern. cum duobus Pariss. 8028 et 8033, *Et regnum*. Ægid. *Et regna*. Utraque lectio contra metri integritatem.

108. *Scelus*. Sic omnes mei Pariss. et universæ ante Gronovium editiones. Placuit eruditissimo viro *opus* pro *scelus* intrudere, quod ita in Florentino legeretur. Illum pro more suo secuti sunt Botheus et Badenius.

110. *Sed uterque. Flammas potius*. In Fern. *Sed uterque potius. Flammas*.

112. *Erectam*. Ita duodecim Pariss. et editt. Fern. Isoard. Ægid. Phil. Ascens. Avant. Fabric. Gron. Baden. Et sane nihil est in hac lectione, quod facile non queat intelligi (vide notam ad v. 112, p. 382). Attamen Gronovius volebat scribi *erepam*, quod multis exemplis confirmabat, ex Suetonio et ipso Seneca desumptis, quasi hoc dubitaretur, an vox latina sit et sæpe a latt. scriptt. usurpata *erepere*. Botheus ex Florentino hanc lectionem eduxit : *Hærebo ad ignes funebre escendam struem ;* quam sic mutabat, *Hærebo ad ignes, funebrem escendens struem*, et sic mutatam temere in versum Senecæ immisit. Idem et alia admitti, Florentinæ lectioni cognata, sinebat, si quis forte meliora pro judicio suo illa censeret : *Hærebo ad ignes, funebrem escendi ut struem — Hærebo ? tu adiges. Funebrem escendam struem*. Nic. quoque Heinsius in Adversariis emendabat locum, *præibo* vel *properabo* pro *Erectam* laudans. Ego vero

Digitized by Google

vulgatam reposui, nihil tantorum virorum auctoritate motus, qui nova splendide excogitare et comminisci malint, quam vera Senecæ verba modeste et sine laude tueri.

114. *Ubi sævum est mare? Duc*, etc. Malebat Raphel. distinctionem immutari, ac scribi : *Ubi sævum est mare, Duc*, etc. falso; nec ei ab ullo auscultatum.

115. *Duc.* Sic Fern. Ægid. Ascens. Avant. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. et recentiorum : sic et Pariss. 8024, 8034, 8037, 8262, 8263. In Phil. et quatuordecim Pariss. habetur *dic.* — *Prorutum.* Plerique codices, in quibus fere universi Delr. et omnes Pariss. exhibent *prœruptum*, quæ lectio in Fern. Ægid. Phil. Ascens. Gryph. Petr. editt. habita, metro non satisfacit. Avant. Vian. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. *prœrutum.* Ex Etrusco codice, Gronovius et recentiores, *prorutum.*

116. *Torta.* Omnes MSS. præter unum, *torva.* Lipsius *torta* legi maluit, quod vulgo recipitur. At Gronovius, ex Vossiano, *corva* extulit, quod in *curva* correctum Botheus et Badenius arripuerunt. Lipsianam lectionem ita immutari non tanti esse existimavi. — *Ducat.* Multi MSS. *devehat.*

117. *Duc.* Sic omnes editt. antiquæ, et Pariss. quatuor : in Pariss. cæteris, *dic.*

120. *Gressus pedum.* Plerique Pariss. cum Fern. Ægid. Phil. Ascens. Avant. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. habent *gressu pedem*, quod forsan melius receperis. In Heins. Scriv. Farn. Thys. Gronov. et cæteris, *gressus pedum.* Paris. 8034, *gressum pedum.*

122. *Hoc saxum insidens.* Novem Pariss. et editt. Avant. et Petr. *hoc saxo.*

124. *Solvat.* In Moguntino Delrionis, *solvet.*

125. *Scindis.* Paris. 8260, *scindit.*

126. *Latet.* Both. ex conjectura Gronovii, *scatet*, inutili emendatione. Vid. not. ad v. 126, pag. 385. Rutgersius et Heinsius, *sacra quod Dirce lavat.*

127. *Supplex adoras.* Plerique MSS. Pariss. cum omnibus antiquis editt. *supplex ad aras.* Gronovius ex Florentino edidit *supplex adoras*, quod Rutgersius ante illum videtur excogitasse. Sic quoque in duobus nostris, 8024 et 8034. — *Bibis.* Paris. 8260, *bibit*, ut et in sequenti versu, *colit.*

129. *Quique Elin.* Omnes MSS. et libri antiqui, *Quicumque Elim.* Sed quia in *Elim* prior syllaba longa esse solet, voluit Heinsius ex Rutgersii, ut videtur, conjectura, legi *Quique Elin.* Unde sic legitur in Jac. Gronovii et Bipont. editt. Servaverunt Gronovius, Both. et Bad. *Quicumque Elim*, etc.

130. *Tondes.* Paris. 8027, *tondens.*

132. *Committens.* In Delr. Moguntino, *connectens*, quod et in Pariss. 8032 et 8033 invenio.

Digitized by Google

137. *Sibi et nepotes.* Sic, ex Florentino, Badenius. In Paris. 8263, *sibi nepotes.* Cæteri libri, seu manuscripti, seu excusi, *ac sibi nepotes.*

139. *Hærebo.* Conjiciebat Nic. Heinsius, *En hæreo*, aut *Hæreone;* quibus emendationibus nihil opus esse recte vidit Badenius.

147. *Noxias lapso.* Hanc quoque lectionem mutari jubebat Nic. Heinsius, quia post lapsum OEdipi sero intercluderentur viæ. Sed *lapso* eodem sensu accipiendum est, quo supra, v. 72, *lapsi montis*, et in Herc. Fur. v. 1250, *lapsæ domus firmamen.*

149. *Ferunt letum.* Nic. Heins. ad Ovid. Rem. am. v. 17, scribi vult *ferant letum*, quod non necesse jure pronuntiavit Badenius. « Latini, inquit, sicut Græci, crebro indicativum pro subjunctivo usurpant. » Adde quod *ferunt* apud Nostrum generaliter usurpetur, et idem sonet atque *ferre solent.*

150. *Proficiet.* Sic omnes, uno excepto, Pariss. MSS. et omnes, ante Gronovium, editiones. Primus ille intulit *perficiet*, quod probat Badenius, amovet Botheus. Restitui cum Botheo vulgatam lectionem, universorum prope codicum et ipsius Florentini, ut testatur Jac. Gronovius, auctoritate firmatam; qua nihil clarius, nihil latinius invenias. Cic. de clar. Orat. c. 24: « Nulla res tantum ad dicendum proficit, quantum scriptio. » Ovid. ex Ponto, III, ep. 1, v. 138: « Profectura aliquid tum tua verba puta. »

157. *Non destino.* Videbatur Nic. Heinsio scribendum, *non destina;* quorsum? Idem inferius, pro *corpus*, legebat *costas.* Vix tanti est tam vanas emendationes, non dico tantum confutare, sed etiam referre.

164. *Tabe.* Ecce iterum Nic. Heinsius jubet *tabo* pro *tabe* legi, quasi *tabum* et *tabes* non eodem sensu sæpenumero adhiberentur. Plin. II, 101: « Luna ferarum occisa corpora in tabem visu suo resolvit. » Lucan. VII, 791: « Sidentes in tabem spectat acervos, » et 809: « tabes corpora solvit. »

165. *Hac.* Sic plerique librorum. Phil. Ascens. Gryph. Fabric. Delr. et Paris. 8261, *hanc.*

169. *Ista morte.* Hæc est lectio omnium Pariss. et veterum editt. Alii, *ista nocte.*

174. *Tum parvo.* Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. et sex Pariss. *cum parvo*, quod admitti non potuit. Paris. 8034, secunda manu, *nam parvo.* — *Parvo.* Paris. 8026, *prono.*

178. *Audies verum, OEdipe.* Multi, in quibus Fern. Ægid. Ascens. Gryph. et duodeviginti Pariss. *audies verum OEdipum.* Alii, Phil. Avant. Petr. Fabric. Commel. Farn. Thys. et Paris. 8261, *audias verum OEdipum.* Raphel. Delr. Grut. Heins. Scriv. *audias verum, OEdipe.* Ex his diversis lectionibus, Gronovius et recentiores, *audies verum, OEdipe.* Videtur primum Lipsius *OEdipe* pro *OEdipum* ex MS. suo legisse.

181. *Qua cœpit mori.* Sic Fern. Avant. Gryph. Petr. Fabric. Commel. et tredecim Pariss. Sic et Badenius qui locum recte interpretatur. Vid.

Digitized by Google

not. ad v. 181, pag. 390. Nonnulli nostri, ut et vetus Lipsii, habent *qua cœpi*, quod assumpserunt Raphel. Delr. Grut. Heins. et novissime Botheus. Pontanus legi jubebat *qua cœpsti* pro *qua cœpisti:* eum secuti sunt Scriver. Farn. et Thys. Gronovius maluit legi *quæ cœpit*, quod visum quondam Grotio fuerat. At *mortui* sunt et exstincti potius Œdipi oculi, quam cœpere mori.

182. *O parens magnanime*, *miserandæ*, etc. Alii, *O parens miserande*, *magnanimæ precor.*

184. *Ad specimen domus.* Recte *ad specimen*, id est, ad imaginem. Virg. Æn. XII, 162 : « cui tempora circum Aurati bis sex radii fulgentia cingunt, Solis avi specimen. » Val. Flacc. VI, 57 : « Insuper auratos collegerat ipse dracones, Matris Horæ specimen. » Botheus, ex Florentino, *speciem.*

185. *Pollentem.* « Optime, inquit Delrio, codex Capcasæ Venetus, *pollentis inclito.* » Melius consuluerunt metro recentiores, *pollentem* servando. Inter nostros codices, Fern. cum Pariss. quinque habet *pollentis inclito;* octo Pariss. et Phil. Ascens. Avant. Gryph. et Petr. editiones, *pollenti incliti;* MSS. 8025 et 8027, *pollente incliti;* Fabric. Raphel. et Commel. *pollentem incliti;* Ægid. *pollenti inclitum*, etc.

186. *Ast ut.* Ascens. *sed ut;* Avant. Petr. Fabric. Raphel. *aut ut.* Commel. cum vetere interprete, *ast ut*, quod probabat et Delrio.

194. *Atque abcidit.* Avant. Petr. Fabric. Commel. *abcessit.* In Fern. Gryph. Petr. ad marg. Delr. Grut. *abscidit.* Sic quoque quindecim Pariss. ut MSS. omnes Commelini. Recentiores, excepto Botheo, prætulere *abcidit*, quod in nonnullis quoque MSS. habetur et melius a *cædo* derivatur.

195. *Oneravit ipse*, *cui deo*, etc. Plerique MSS. et editt. vett. Fern. Is. Ægid. Phil. Avant. etc. habent *oneravit*, *ipsi*, *ceu video*, *nullo*, etc.; quod nec intellectu facile, nec metro conveniens, jure amovit Scaliger, et pro *video* jussit legi *deo.* Scriv. Farn. et Thys. hanc lectionem secuti sunt. Gronovius ex Florentino deprompsit *oneravit ipse, cui deo*, etc. In tribus quoque nostris, 8025, 8032, 8035, habetur *ipse.* — *Nullo est opus.* Ascens. et Gryph. *nullum est opus.*

196. *Ille.* Decem Pariss. et omnes antiquæ editt. a Fernando ad Thysium, *ipse.* — *Mortem cupiat.* Lipsius conjiciebat, *mortem fugiat*, quod et Grotius probavit. Sed, ut ait Gronovius, non monendus videtur Œdipus, homini qui fata proculcavit ac vitæ bona projecit mortem fugiendam non esse : aptius dixeris, mortem illi nec optandam nec arcessendam. Retinemus igitur *cupiat*, antiquam lectionem, consensu codicum utique confirmatam.

197. *Nemo contempsit mori*, etc. Maxima est de hoc loco lectionum varietas. Fern. Phil. et septemdecim Pariss. sic versum Senecæ exhibent : « Utrumque timidi est velle. Contempsit mori Qui non concupiscit. » Ascens. Commel. et Gryph. ad marg. « Utrumque timidi est. Vitam contempsit, mori Qui concupiscit. » Ægid. Raphel. Delr. Grut. Heins.

Digitized by Google

Scriv. Farn. Thys. « Utrumque timidi est velle. Contempsit mori qui non cupiscit. » Avant. Gryph. Petr. Fabric. « Utrumque timidi est velle. Contempsit mori Qui concupiscit. » Isoard. cum nostro 8033, » Ut. t. est velle. Contempsit mori Qui non concupivit. » Paris. 8028 : « Ut. t. est velle. Contempsit mori Qui concupivit. » Gronov. Bip. Both. et Bad. receperunt lectionem Florentinam : « Utrumque timidi est : nemo contempsit mori, Qui concupivit. » Eam longe cæteris præstantiorem eo libentius secuti sumus, quod aliorum codicum auctoritate Etrusci lectio magna ex parte firmatur, et nihil illi proprium et singulare est præter unam vocem, *nemo* pro *velle*.

199. *Exire possunt*. Fern. Ægid. *exire possint*.

201. *Jam nec tu*. Paris. 8029 : *nam nec tu*.

204. *Et hoc*. Phil. Ascens. cum nostro 8034, *Ex hoc*.

205. *Invitis*. Multi nostri codices, ut Mogunt. Herbipol. et Venet. Delrionis, habent *invisis*, quod et in Fern. Isoard. Ægid. Phil. Ascens. editt. irrepsit.

206. *Suffixerit*. Nic. Heinsio placuit *suffecerit*, quanto vulgata lectione languidius!

207. *Ad infernas*. Monuit Jac. Gronov. in schedis Dietz. Florentinum codicem habere *in infernas*, quod arripuit Botheus.

210. *Periit*. Ut metri integritas servetur, legendum *perît*, contractis in unam duabus syllabis. MSS. et antiquæ editt. Fern. Isoard. Ægid. Phil. etc. habent *perit*.

213. *Hæc vita*. Sic Phil. Ascens. Baden. et Paris. 8033. Cæteri, *hoc vita*. Paris. 8055, *te vivo*.

215. *A te jussa*. Plerique nostri codices, ut Commel. libri, et editt. Fern. Phil. Ascens. Gryph. habent *ante jussa*. Delrio prætulit *ante justa*, quod et in Isoard. Avant. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. et Paris. 8027 legitur. *Ante justa*, aiebat Delrio, id est, *ante exsequias*, *ante suprema funera*, *ante obitum*. Gronovius ex Florentino intulit *a te jussa*, quod arripuerunt Both. et Baden. Florentinam lectionem in editione Ægidii et in nostris 8026, 8028, 8030, 8034, 8035, 8036 invenimus. Paris. 8263, *ante visa*.

218. *Quæ feci nocens*. Sic omnes MSS. et vett. editt. Primus jussit Lipsius rescribi *quæ feci innocens*, quia Œdipus fato, non culpa peccaverat. Unde hæc lectio in Raphel. Gronov. Schræd. Bipont. Both. et Baden. editt. fluxit. Attamen Delrio vulgatam contra Lipsii auctoritatem firmissime defenderat : « Dictum supra, inquit, *innocentem esse Diis invitis*; sed ab Antigona, quæ hoc patri persuadere volebat... Ipse non a parricidio vult excusari : reum ubique et morte dignum se clamitat : nusquam vult innocens videri. Omnino itaque loquenti Œdipo non convenit illa conjectura, *quæ feci innocens*. Rectius libri ad unum omnes, *nocens*; et vere nocens, si non re, opinione saltem sua. » — Scriverius et Thysius, alia distinctione, *quæ feci. Nocens*, etc. etc.

Digitized by Google

219. *Frugifera.* Nonnulli MSS. *fructifera.* — *Ceres.* Paris. 8028, *seges.*

221. *Ego laticis.* Raphel. et Flor. Christ. hæc mutari volebant, quasi proceleusmaticus prima sede admitti non posset. Vide Animadv. ad Thyestem, v. 289, pag. 344. Recte et Delrio ad hunc locum : « Cave sic in metrum peccatum credas : non magis quam in Medea: *Tibi patria cessit, tibi pater, frater, pudor.* Utrobique in prima sede proceleusmaticus. Bonum ergo factum, quod manum abstinuerint : vellem et Florens, qui languidulum illud, *aut laticis.* » Gronovius cum Raphelengio malebat *et laticis.* Nihil in antiqua lectione mutandum.

226. *Has quirem vias.* Nic. Heinsius lectionem Florentini codicis, *has quirem meas*, elegantissimam judicabat, et Badenius eam recipere non dubitavit. Plus dignitatis et roboris inesse vulgatæ existimo.

227. *Qua voces meant.* Universi ad unum codices manuscripti aut ante Gronovium excusi præferunt *quo voces meant.* Gronov. ex Florentino intulit *qua*, quod longe melius nemo non fateatur.

230. *Quæ*, etc. Scaliger malebat *qui;* quorsum non intelligo, quum nihil sit vulgata lectione latinius. — *Meorum es criminum.* In vett. nonnullis, *meorum criminum es.* Versum restituit Lipsius voces invertendo.

233. *Donastis.* Ante Gronovium in omnibus editt. *negastis* habebatur, cujus in locum ex Etrusco ille substituit *donastis.* Quamvis cum recentioribus Gronovianam lectionem receperimus, attamen non interpretatione carere vulgatam arbitramur, præsertim quum *negastis* et *ingerunt* invicem opponi videantur. Omnes ad unum MSS. Pariss. *negastis.*

234. *Non mitto.* Fern. Isoard. Ægid. Ascens. cum octo Pariss. *non mittor*, repugnante metro.

235. *Detineo.* Tredecim Pariss. et editt. Fern. et Isoard. *detines*, manifesto errore.

240. *Lacrimæ supererant.* Fern. Isoard. *lacrimæque superant.* — *Eripuit mihi.* Plerique editt. vett. et omnes MSS. Pariss. *eripui mihi.* Unus ex codd. Commelini, edit. Vian. et Etruscus Gronovii, *eripuit;* quod anteponendum non sine jure existimaverunt recentiores.

248. *Nox occupavit.* In Avant. Vian. Fabric. *nex occupavit.* Plerique MSS. præbent *nox*, quod neutiquam mutandum.

249. *Intra.* Ascens. *inter.*

250. *Præcoquis fati.* Variant in hunc locum libri. Alii (Ægid. Phil. Ascens. Fabric. Raphel. Commel. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. cum Paris. 6395) *præcocis* habent. Alii (Fern. et octo Pariss.) *præco quis.* Alii (Avant. Vian. Gryph. Petr. et Paris. 8036) *præcoqui.* Alii (Delr. Gronov. Bip. Both. Baden. cum octo Pariss.) *præcoquis.* Probabilior lectio novissimis editoribus visa est, quæ Delrionis Mogunt. Herbipol. Venet. et Gronovii Florent. confirmatur.

251. *Abstrusum.* Inventum in Mogunt. suo *obstrusum* nequicquam laudavit Delrio.

Digitized by Google

254. *Transuit.* MSS. et plerasque veteres editt. *transtulit.* Vian. Raphel. Scriv. et Farn. *transtudit.* Ascens. Gryph. et Gronov. *transsuit.* Schrœd. Bip. Both. Bad. *transuit.* Lipsius, quum inventum in suo libro *transtulit* parum probaret, ut verbum notandæ rei haud satis validum, interrogabat an *transtudit* melius legeretur? an potius, *transiit?* et admonebat in priscis editionibus scribi *transsuit*, quod posse defendi opinabatur. Delrio quoque in Lugdun. suo *transuit* haberi notavit, quod exemplis tuebatur: sic Cels. lib. VII, *quum toties acus transuet:* sic Columell. de Re Rust. VI, 5, *pars orbiculi eadem subula transuitur.* — Lipsii et Delrionis auctoritatem confirmavit Gronovius, eadem lectione in Etrusco reperta.

256. *Avibusque sævis.* Hanc Florent. lectionem cum Gronov. Bipont. Both. et Baden. assumpsi. MSS. enim plerique nostri cum Fern. Isoard. Phil. et Delr. *avibusque avidis*, quod metro non satisfaciat, nisi *que* et *avidis* non elidi sinas. Avant. Vian. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. cum Paris. 8029, *avibus et avidis*, quod recepissem, nisi obstitisset insolentia numerorum et tribrachys tribrachyn premens.

257. *Tinctas.* Sic quatuor Pariss. et vetus Delr. liber, et codex Lipsii, et Cruserianus Pontani, et Delr. Gron. Bipont. Both. Bad. editt. Alii MSS. cum Fern. Isoard. Ægid. Phil. et Ascens. *tractas.* Avant. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. *attractas.*

261. *Hoc alia pietas redimet.* Botheus legit: *Hoc aliqua pietas redimet?* et his verbis sententiam suam tuetur: « Sic Ascensiana. Vulgatæ, *Hoc alia pietas*, quasi aliquam vel εἰρωνικῶς pietatem dixisset in superioribus, qui plane dixit, *impia se nece patrem occidisse.* Apage tales εἰρωνείας, quas nemo intelligat, nedum probet. » Falsus est Botheus, ut mihi videtur, in hoc interpretando Nostri loco, quum εἰρωνείαν ad superiora referat. « Genitorem, inquit Noster, impia stravi nece: sed forsan, in hac re impius, pius in alia fui? Ita certe se res habuit: occidi quidem patrem, sed matrem amavi. » Nihil opinor hac ironia significantius et acrius excogitari posse, et eam omnes confido intellecturos juxta et probaturos.

262. *Proloqui.* Sic duodecim nostri et Ægid. Raph. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. Gronov. Bip. Both. Bad. Contra Fern. Phil. Ascens. Avant. Gryph. Petr. Fabric. cum novem Pariss. *proh loqui*, quod non ita absonum est.

265. *Inusitatum effare.* Nonnulli, in quibus Phil. Avant. et Fabricius, edidere *inusitatum fare.* Sic et duodecim Pariss. At Fern. Scriv. Farn. Thys. Gron. et recentiores cum Paris. 6377, *effare.*

270. *Paternum facinus: in*, etc. Fern. et Phil. cum nonnullis MSS. *paternum scelus: in*, etc. quo integritas versus minime servatur. Rectius Ægid. et Ascensius, *paternum scelus, et in*, etc.

271. *Ne parum scelerum.* Botheus et Badenius ex Florentino, *parum sceleris.*

274. *Qui facere possent, dedimus.* Delr. et Both. et Paris. 8037, *qui fucere possint*; Phil. Ascens. Avant. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel.

Digitized by Google

Grut. Heins. *possunt*. — Baden. pro *qui facere*, edidit tacitus *quid facere*.

276. *Alias*. Both. ex Florentino, teste Jac. Gronovio in schedis Dietz. præfert *aliis*, quod judicat elegantius. Vulgatam servamus, ut quæ Nostri sententiæ abunde sufficiat.

277. *Sine sacro ferat*. Nic. Heins. *sine caro auferet*; vana emendatione. Vid. not. ad v. 277, pag. 398.

280. *Cladis*. Paris. 8029, *cladi*.

287. *Nemo non ex me*. Ægid. *nemo de me non sciat*.

289. *Hæc una abunde est*. Inutili conjectura, ut solet, Nic. Heins. malebat *hoc unum abunde est*.

290. *Graviter furentes*. Rursus Nic. Heinsius, pro *graviter furentes*, legebat *rabide frementes*, quod jure amovet Badenius.

294. *Si negas*. Paris. 8055, *si neges*.

304. *Maturi*. Testatur quoque Jac. Gronov. in Florent. legi *maturam*; quod Botheus laudat et exquisitum vocat. Sed hæc nova lectio vix alteri præstare mihi videtur; nec tanti esse judico, ut vulgata mutetur, codicum saltem auctoritate defensa.

306. *Genibus*. Sic omnes nostri MSS. et editt. antiquæ. Recentiores, *genubus*.

308. *Possim*. Octo Pariss. solenni errore, *possum*.

313. *Œdipus*. « More Græco, inquit Flor. Christianus, *Œdipus* producit ultimam syllabam; est enim Οἰδίπους. Si brevias terminationem latinam, anapæstum in hanc sedem (rarum huic poetæ) admiseris. » Hæc extrema in Lipsium dicta, qui, ut tutius versui consuleretur, jubebat legi, repetita voce: *hic Œdipus, hic Ægea*. Quod assumpsit Raphelengius. Anapæstus autem sic *raro* secunda sede in Nostro invenitur, ut nesciam an unum modo exemplum possit afferri. — *Tranabit*. Plerique Pariss. *transnabit*: 8037, *transibit*, ut in Delrionis Mogunt.

315. *Volvens*. In duodeviginti nostris et edd. Fern. Is. Ægid. Phil. Ascens. *solvens*.

319. *Jubente te, vel vivet*. Sic Lipsius in vetere suo codice habuit, quam lectionem secuti sunt Raphel. Delr. Grut. Heins. Gronov. Bip. Both. Baden. Idem reperio in Fern. et nostris Pariss. 8032, 8035, 8036, 8260. Contra in Ascens. Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Commel. Scriv. Farn. Thys. *Jubente vivet*, quæ cum versu sequente, omissis verbis *Exemplum in ingens*, ita copulavere, ut integer fieret versus: *Jubente vivet... Regia stirpe edite*. At mihi non videtur lectio plerorumque codicum, et eadem sensu optima, posse mutari. *Jubente te, vel vivet* in antiquioribus editt. habetur, et si universi fere MSS. exhibent, ut Delr. Moguntinus, *Jubente vel vivet*, facile perspicitur hoc, solita librariorum negligentia accidisse; constat enim in MSS. syllabas similes vulgo non iterari. Potuit facile *te* omitti; sed quo potuit errore irrepere vocem *vel*, quam tolli nonnullis placet? At enim objiciunt hanc lectionem *Jubente te, vel vivet* cum sequentibus verbis non apte cadere, nec justum fieri versum, sive

Digitized by Google

cum Lipsio legas *Exemplum in ingens regia stirpe edite*, sive cum Fern. et Ascensio, *regia stirpe edite*. Sed *Jubente te*, *vel vivet* pro versu abrupto et interciso habendum, quod in Thyeste, v. 100, et alibi reperiri jam notavi. Vid. Animadvv. in Thyest. vers. 100, p. 338.

320. *Exemplum in ingens*. Hoc versus initio carent non solum editiones quæ præcedenti versu *Jubente vivet* exhibent, sed et Fern. Is. Ægid. Phil. et omnes nostri Pariss. Primus id intulit Lipsius ex vetere suo codice: quem secuti sunt Raphel. Delr. Grutz. Heins. Gronov. Bip. Both. Baden.

327. *Nefas*. Jac. Gronov. in schedis Dietz. ad Troad. 686 monet in Etrusco legi *scelus*.

328. *Scelera*. Fern. Ægid. Gryph. et Petr. ad marg. habent *bella*, quod et Herbip. et Venet. Delrionis. Paris. MS. 8028, *sceptra*, ut inesse veteri suo notaverat Lipsius.

329. *Abstinere*. Sic Paris. 8030, et editt. Raphel. Commel. Scriv. Gron. Bip. Both. Bad. Plerique codd. et antiqq. editt. *abstineri*.

330, *Juris et amoris*. Laudabat Raphel. *juris et moris*.

331. *Meorum facinorum exempla*. Liber Lipsii, MSS. Commel. et Delrionis, nostri Pariss. undecim habent *meorum exempla facinorum*, sicque legendum ut versus constaret pronuntiabat Lipsius. Contra, versui melius consulitur si *facinorum exempla* quam *exempla facinorum* legatur: namque perraro quinta sede recipitur iambus.

332. *Sequuntur*. MSS. 8029, *sequantur*. — *Agnosco*. Pariss. 6395 et 8055, et Gryph. Petr. ad marg. editt. *ignosco*.

334. *Clara*. Both. *cara*, ex Florent.

339. *Haud usitato*. Ascens. *aut usitato*, quod prætulit Both.

341. *Metite*. Malit Nic. Heins. *petite*, quam opinionem confutavit Badenius.

342. *Miscete cuncta*. Ne hæc conjungantur, *cuncta*, *omnia*, et ita quidem, ut fortius vocabulum *cuncta* præcedat, debilius *omnia*, legendum putat Botheus: « Miscete junctim, rapite in exitium, omnia. » — *In exitium*. Sic Fern. Isoard. Ægid. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Heins. Scriv. et recentiores; sic et Paris. 8262. *In exilium*, Phil. Ascens. Avant. Gryph. Petr. et plerique Pariss. habent. MS. 8028, *exridium*.

343. *Disjicite*. Sic Ægid. Avant. Vian. Both. Baden. et Paris, 8036. Plerique alii editi et manu scripti libri, *dejicite*. In Paris. 6395, ut in Florentino, *dissicite*, quod recte Gronovius pro *disjicite* scriptum pronuntiat. Nostri 8026 et 8035, *dehiscite*. Fern. cum 8030, 8031, 8055, 8261, *deicite*. Nostri 8024, 8034, 8037, *destruite*; et aliter alii.

345. *Considat*. Alii, *considat*; sed longa habenda est ea sede syllaba.

347. *Mitte violentum*, etc. Botheus malit hæc Nuntium proloqui, quod a polysyndeto Nostri ingenium abhorreat, et ad superiora dicta Œdipi non recte obmutescere Nuntius videatur. — Legit igitur: Nunt. *Mitte violentum impetum Doloris!* Ant. *At te publica*, etc.

348. *Doloris*, *ac te*, etc. Phil. cum quatuor Pariss. *dolores*. Fern.

Digitized by Google

Mitte violentum impetum : Dolores ac, etc. Quod metrum non patitur.

352. *Fervet immensum dolor.* Fern. Ægid. et Pariss. 8028, 8034, 8055, 8261, *fervet immensus dolor.*

353. *Quam quod casus*, etc. Nic. Heinsius legebat : *quam quod cassus hic juvenum furor Conatur*, *aliquid capio.* Tanta mutandi atque aliquid novandi prurigo ! Quamvis et Ægidius *capio* pro *cupio* habeat, non dubito vulgatam lectionem retinere, præsertim quum sequentia, ut recte adnotavit Badenius, verbum *cupere* requirant, quippe quæ ad votum omnia pertineant.

356. *Quod debet*, etc. Nic. Heinsius reponi jubebat, *quid debet ?* quod vulgata lectione difficilius sit intellectu. Vide pag. 408, quomodo per ellipsim ea interpretanda sit.

358. *Date arma patri.* Gronovius conjiciebat *date arma matri ;* Botheus, *dante arma patre*, etc. etc. ; quæ vana et irrita judico, quum sine his possint enodari recepta jampridem verba.

363. *Felix Agave*, etc. Hunc actum antecedenti jungi volebat Lipsius, et legi continuatim ad actum, qui vulgo quartus habetur. In nonnullis quoque tum MSS. (8032, 8035, 8260), tum editt. (Fern. Ægid. Phil. Ascens. Avant. Petr. Fabric.), initium fit tertii actus versu 403. Sed, deficientibus choris, et magna tragœdiæ parte, haud ita facile est, quæ secundo, vel tertio, vel quarto actui referenda sint, dignoscere. Vulgo receptam divisionem sequimur.

364. *Qua fecerat.* Fern. Isoard. Ægid. et MS. 8032, *quod fecerat.* — *Gestavit*, *et spolium tulit.* Botheus, quum non arbitraretur *gestavit* et *tulit* simul recte usurpari, legendum censebat, *facinus horrendum manus*, *Quum fecerat*, *cessavit*, *ut spolium tulit*, etc. Sed fastidiosius de vulgata censuisse mihi videtur vir ingeniosus, quæ ferri potest nec conjecturis egeat.

366. *Non ultra suum*, etc. Locum pro desperato habuit Gronovius, nec in Florentino invenit unde medicinam afferret : scribitur enim in optimo illo codice, *non ultra suo sceleri occurrit*, quod non videtur erudito viro placuisse. Contra Badenius hanc Etrusci lectionem cum Nic. Heinsio arripuit, et legi jussit et in textum recepit, *non ultro suo sceleri occucurrit*, interpretatus, non ultro, sed fatis iniquis agitatam Junonisque odiis scelus hoc suum Agaven admisisse. At quomodo ea cum sequentibus *hoc leve est ; quod sum nocens*, etc. cohæreant, nec Heinsius, nec Badenius curavisse videntur. Melius Botheus, servata vulgata : « Significat Agaven se intra hoc suum scelus continuisse, neque latius progressam vel fecisse aliquos nocentes, hoc est, crimini suo implicuisse, scientem certe (nam per Bacchicum furorem hæc illi acta), ut Œdipum Jocastam, vel peperisse sceleratos, ut eamdem filios. »

368. *Nocentes.* Lips. et Delr. conjiciebant *nocentem.* Vid. not. ad vers. 368, p. 410. — *Etiamnum.* Nonnulli, inter quos Fern. Isoard. cum MSS. octo Pariss. *etiam non.*

Digitized by Google

370. *Ut et hostem.* Ægid. *Ut hostem.*

372. *Ut exsul.* Pariss. 8032, 8035, *et exsul.*

373. *Graiorum.* Fern. Is. Ægid. et Pariss. 6377, 8261, *Græcorum.* — *Rogat.* Colon. MS. Commelini, *petit;* Paris. 8028, *vocat.*

375. *Isthmon.* Botheus ex Florentino, *Isthmos:* « Isthmus cingit mare, hoc est, mare ei alliditur. Sane ejusmodi enallage nihil frequentius apud poetas. » At, ut fiat enallage, non mutanda universorum, excepto Florentino, codicum lectio.

377. *Generi.* Both. *genero*, quod sic in Florentino, teste Jac. Gronovio, legitur.

380. *Utrimque.* Omnes editt. *utrumque.* Recte animadvertit Botheus vim prope nullam in his esse, *utrumque natum video.* Conjiciebat igitur, *utrimque.* Ego autem huic emendationi, qua nihil verius arbitror, non ex conjectura, sed ex libris meis suffragor. Sic enim tres Paris. 8026, 8029, 8037.

384. *Quo causa.* Baden. *quod causa*, vitio forsan operis typographici.

388. *Tota nudatis*, etc. In Florentino *salva nudatis*, etc. Unde, non *sæva*, ut Gronovius, sed *Terisque tempus salva, nudatis adest* accersivit Botheus: « Non enim, inquit, nudatis armis stare solent exercitus, sed movere atque inferre signa. » At exercitus ante nudant arma, quam moveantur, quum ad inferenda signa sese accingunt. *Stare nudatis armis* idem valet ac *parare congressionem et impetum:* hoc autem Noster verbis enuntiare voluit, non ruentis exercitus cursum; quod sequentibus confirmatur, *æra bellum cient, aquila mota pugnam vocat, reges bella parant.*

389. *Æra jam.* Fern. et Isoard. adversante metro, *Graii jam.*

392. *Animo pari.* Fern. Isoard. Ægid. ut Herbip. et Veneti Delrionis, *animoque pari*, quod metrum non patitur. — *Progenies.* Fern. Isoard. Ægid. *proles.*

393. *Hinc illinc.* Tredecim Pariss. ut Herbip. Venet. et Lugdun. Delrionis, ut editt. Fern. Isoard. Ægid. Phil. Ascens. Avant. habent *hinc atque hinc.* Fabric. Commel. et recentiores *hinc illinc.* Duo Pariss. 8028, 8261, *hinc atque illinc.*

394. *Abscondat.* In undecim Pariss. et vett. editt. Fern. Isoard. Ægid. Phil. Ascens. *abscondit.*

395. *Erigat.* Burmann. ad t. I Anthol. lat. p. 350, legi malebat *egerat*, falsa emendatione.

396. *Equestri.* Legendum putat Both. *equino.* Nullo quidem alio exemplo, quam hoc Nostri loco, constat *equestri pede* usurpari posse pro *equorum calcibus.*

397. *Et, si vera*, etc. Hæc cum superioribus apte conjuncta mihi videntur, nec eget sententia hac Bothei emendatione: *En* (*si vera metuentes vident*), *Infesta fulgent signa.*

398. *Subrectis.* Alii (8055 et Petr. ad marg.) *surreptis*, vel (8034) *subreptis;* alii (6377 et 8261) *subjectis*, librariorum vel ignorantia vel negligentia.

Digitized by Google

401. *Redde amorem.* Velit Nic. Heins. pro *redde amorem* scribi *redde morem*, scilicet pro significantibus et felicissime conjunctis vocibus vulgaria et eadem obscura verba.

402. *Mater opposita.* Quum nonnulli editi libri (Fabric. Raphel. Commel.) haberent *mater opposita*, Flor. Christian. interrogavit, *utrum opposita* ad *arma*, an ad *mater* pertineret; addiditque in Parisiensi et Lugdunensi editione esse *matris oppositu*, quod valde sibi placebat. Et sane non in Parisiens. et in Lugdun. solum, sed in editt. Fern. Isoard. Ægid. Philol. habetur *matris oppositu.* Christiani sententiam confirmavit Gruterus, qui in octo MSS. hanc ipsam lectionem inveniebat. Gronov. contra restituit *mater opposita* ex Florentin. et Vossian. membranis; et illum recentiores secuti sunt, excepto Botheo, cui placuit antiquam et pridem damnatam lectionem revocare, *matris oppositu*, quasi non sit satius tam facile expediendam ambiguitatem admitti, quam dictionem recipi minime poeticam et elegantem. Gronovianam lectionem in tribus meis reperi, 8024, 8030, 8055. MS. 8029, *matris opposita;* 8035, *matre opposita.*

403. *Perge*, etc. Hic nonnulli, inter quos Ascensius, tertio actui initium faciunt. « Veteres MSS. inquit Gruterus, novam hic constituunt scenam, ac præmittunt Antigonæ nomen. Posterius editi attribuunt Nuntio : quod nolim; sunt enim verba minus decora, magisque pathetica quam ut conveniant Nuntio. Ne autem miremur filiam deseruisse patrem, ut succurreret fratribus; sic requirit pietas, et jam morti renuntiarat Œdipus : unde est supra, v. 319 : *Jubente te, vel vivet.* Item, v. 361 : *Hinc aucupabor*, etc. » Contra Delrio arbitratur, non esse verisimile tam cito ab Antigone patrem fuisse derelictum, quum illa ne fulmine quidem Jovis se ab OEdipo avellendam ante declaraverit. Sed quum multa hujusce tragœdiæ interciderint, temere conjici mihi videtur, non potuisse Antigonen Thebas regredi, sive mortuus sit Œdipus, sive (nonnulla enim innuunt vivere adhuc OEdipum; vid. vv. 552, 572, 617, 623, 643) cum OEdipo remeaverit, ut daretur hanc pulcherrimam Euripideæ tragœdiæ partem imitandi locus, qua, necatis et Eteocle et Polynice et Jocasta, Œdipus apparet clades suas miserabiliter lugens. Quodcunque excogitent artis dramaticæ periti, ad partes hujus tragœdiæ apte conjungendas, constat certe Antigonen tum exsulanti patri adfuisse, tum mortuo Polynici ante mœnia Thebana justa persolvisse. — *O parens.* Fabric. Raphel. Commel. Delr. *i parens.*

405. *Nudum.* Contra metrum, Fern. Is. Phil. et Paris. 8028, *I, nudum.* — *Tene.* Malebat Nic. Heinsius, *tenens.* Firmior vulgata.

407. *Obvium.* Sic Avant. Vian. Gryph. Petr. Raphel. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. Gronov. Bip. Both. Bad. et Pariss. 8030 et 8055. Alii, Fern. Ægid. Phil. Ascens. et undeviginti Pariss. *obvia*, ut Commelini Colon.

408. *Stabo inter arma.* Nic. Heinsius hæc frigere judicabat, et

Digitized by Google

dedisse Annæum arbitrabatur, « Ibo, ibo, et armis obvium exponens caput Resistam inermis. » Vulgatam retinuit et defendit Badenius, ut decuit.

409. *Petat.* Pariss. Paris. 8028, 8261, *petet.*

410. *Ponat.* MS. 8028, *ponet.*

411. *Incipiat.* MS. 6377, *incipiet*, solita confusione.

412. *Fiet.* MSS. 6377, 8029, *fiat*, ut Delr. Mogunt.

413. *Si aliquod.* Sic Gron. ex Etrusco : sic et recentiores. Alii, Fern. Ægid. Avant. Philol. etc. et omnes ad unum Pariss. *si quod*, quam lectionem forsan melius sit servari.

414. *Signa collatis*, etc. « Et hæc iterum, inquit Gruterus, Nuntio adscripsere nuperæ editiones, mea sententia, minus recte. » Vide. sup. not. ad v. 403.

417. *Et ecce.* Hæc restituit Lipsius ex scripto codice : alii, *ecce*, *ecce*. — *Motos.* Sic Petr. Raphel. Scriv. Farn. Thys. et recentiores. Plerique MSS. et antiq. excusi, *motus;* nonnulli etiam, *metus;* Gryph. et Paris. 8055, *Excute metus; fletibus credas meis.* — *Credas.* Multi, adversante metro, *crede.* — Recte ad hæc Gruterus : « Ista et sequentia nuperæ editiones attribuunt Jocastæ. Inepte, inepte; nec tale quid patitur votum sequens : ex quo patet matrem longius adhuc abfuisse ab exercitu. Scilicet Antigona ab exercitu ad matrem cucurrit, eam e gynæceo produxit in publicum, hæcque appositissime loquitur, sub conspectum armorum. »

418. *Sic agmen.* Fern. Is. Phil. *Hic agam.* Paris. 8037, *At agmen;* 8261, *Hinc agmen;* 8262, *Hic agmen.*

419. *Procedit acies tarda*, etc. Botheus ad hæc : « Apparet hæc ab alio atque superiora dici. Antigone, quum agmen hostile segniter et armis compositis progredi dixit, Nuntius, veritus ne forte læta rerum specie justo securior reddatur Jocasta : *Procedit quidem*, inquit, *tarde acies, sed daces properant.* » Non animadvertit Botheus dixisse modo Antigonen, *scelus in propinquo est; occupa, mater, preces*, et ideo orationem ejus non posse in his verbis consistere, *ecce motos credas*, sed necessario quædam adjungenda, quibus scelus esse in propinquo, et adhibendas matri preces approbetur.

420. *Insanæ.* Paris. 6395, *insano*, quod et in Florent. fuisse testatur Jacob. Gronov. in schedis Dietz.

423. *Pennis feret.* Col. Commelini, *pennis trahet.*

426. *Projiciet.* Volebat nec falso Scaliger scribi *proiciet*, ut constaret versus. Sic quidem *reicit* pro rejicit. Stat. Theb. IV, 574 : « Tela manu, reicitque canes in vulnus hiantes. » Virg. Bucol. III, 96 : « a flumine reice capellas. »

427. *Aut etiam.* Avant. Gryph. Petr. Raphel. *atque etiam.*

432. *Rumpit.* Moguntin. Delr. *rupit.*

434. *Diduxit.* Fern. Ægid. Phil. et quindecim Pariss. *deduxit.* Melius *diduxit*, et sententiæ accommodatius, quod in Gryph. Petr. Fabric. Raphel. et recentioribus, et in Pariss. 6395, 8055, 8260, legitur. Paris. 8261, *eduxit.*

Digitized by Google

436. *Manum.* Sic MS. Commel. et Paris. 8055. Alii, inter quos Ascens. Avant. Gryph. Petr. cum quatuor Pariss. *manus.*

437. *Librata dextra tela*, etc. Plerique MSS. et omnes antiquæ editt. habent *vibrata tela continent dextra sua.* Gruterus videtur primus ex duobus MSS. intulisse, *vibrata dextra tela suspensa tenent.* At Marklandus ad Stat. Silv. V, 2, 102, recte vidit *vibrata* ferri non posse, propter sequens *vibrat*, et emendavit *Librata tela*, quod Badenius in textum induxit.

438. *Ferrum latet.* Botheus ex Florentino, teste Jacob. Gronovio, *jacet* substituit, quasi emendatione egeret vulgata.

439. *Cessatque.* Both. *cessatve.* —*Tectum*, etc. Diversissimæ sunt hujus loci lectiones. Fern. Isoard. Ægid. Ascens. Gryph. et decem Pariss. *Cessatque telum vibratum in fratrum manu.* Avant. Fabric. Raphel. Commel. Delr. et alii, *Cessatque, telum vibrat.* Petr. *Cessatque telum, vibrat.* Gronov. Bipont. Baden. *Cessatque tectum, vibrat.* Quum vulgo ederetur *ferrum latet Cessatque; telum vibrat*, etc. primus Gruterus monuit in duobus MSS. suis scribi *ferrum latet Cessatque : tectum vibrat*, etc. quod Gronovius assumpsit, mutata distinctione; edidit igitur, *ferrum latet Cessatque tectum; vibrat*, etc. Hanc sane lectionem in Florentino invenit, et ipse in Pariss. 6395, 8025, 8026, 8027, 8035, reperio. MS. 6377, *Cessatque tectum vibratum ferrum manu;* 8260, *Cessatque, tutum vibrat.*

441. *Abnuentes.* Phil. Ascens. Gryph. Petr. *abnuentis.*

444. *Unam.* MSS. Raphelengii et Commelini, *una*, quod adverbialiter sumptum recipi possit. Sic Fern. Is. Phil. editt. et Raphel. Paris. et Basil. Sed friget hæc lectio, si eam cum vulgata, *unam*, composueris.

445. *Muro.* Fern. et Is. contra metrum, *viro.*

448. *Mea membra.* Sic editt. omnes ante Gronovium et universi MSS. Primus Gron. *hæc membra* intulit, ob hoc solummodo, quod sic in Florentino haberetur. — *Passim.* Libri Rapheleng. et Delr. *sparsim*, quod et exhibent Fern. Isoard. Ægid. Phil. Fabric. editt. Sed, ut ait Gruterus, qui reposuerunt *sparsim spargite*, non interrogaverunt aures suas, an et apte sonaret, imo an id admitteret lex carminis, quum *sp* præcedentem syllabam producere soleat.

450. *An dico, et ex quo?* Diversissimæ sunt de hoc loco tum editorum librorum tum manu scriptorum lectiones. Alii (Fabric. Raphel. Commel. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys.) *Ponitis ferrum ocius ac dico? Et ex æquo mihi dextras datis?* Quæ quidem Fabricius, in Regiomontani libro inventa, laudavit ut *belle cohærentia.* Alii (Pariss. quinque) *Aut dico et ex æquo dextras matri date.* Alii (Delr. Mogunt. Pariss. 8029 et 8034) *Audito et ex æquo*, etc. Alii (Fern. Phil. Ascens. Gryph. et Delr. Herbipol. et Venet. necnon Pariss. sex) *An dico? et ex æquo*, etc. Alii (Avant. Petr. quibus addi potest Ægidius qui dedit, *et æquo*) *Ac dico et ex quo*, etc. Alii (Florent. Gronovii et Paris. 8034) *An dico, et ex quo? dexteras*, etc.

Digitized by Google

Gronovius non sine jure Etruscam lectionem probavit, quam et prætulere recentiores. Botheus tamen, quum nonnulli libri *datis* pro *date* habeant, scribi malit: « Ponitis ferrum ocius, Ac (dico, ut æquum est) dexteras matri datis? Date, dum piæ sunt! » Non quod speciosam neget Florent. cod. lectionem: sed jam scripsit Noster, v. 447, *Hunc petite ventrem, qui dedit fratres viro*: non est igitur cur Jocasta subjiciat *An dico, et ex quo?* hoc enim ipsum dixit. Recte et acute Botheus. Multa quidem istius generis in Nostro occurrunt: sed quo plura inveniuntur in sincero et vero illius contextu quæ reprehendi queant, vel male connexa, vel inter se contraria, eo diligentius cavendum, ne in eis quæ emendantur et ex conjecturis reficiuntur temere peccetur.

453. *In nos.* Phil. Ascens. Gryph. Petr. Fabric. Delr. *in vos.* Sed notavit Delr. in Egvian. esse *in hos*, quod Grut. laudavit, declarans vix unum esse ex MSS. qui stet pro altera lectione.

455. *Utrum velitis.* Paris. 8026, *utinam velitis.*

456. *Donate matrem pace.* Sic Avant. Vian. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Grut. Heins. et recentiores. At Fern. Is. Philol. Ascens. et omnes MSS. *donate matri pacem;* quod, quum lex carminis admitti non patiatur, reponi tamen jubebat Commelinus: fatebatur quidem Scaliger hac lectione metro non satis fieri; at sic postulare sententiam, et vulgatam ineptam esse pronuntiabat. Gronovius, quasi cum Scaligero conveniat, conjecturis locum aggreditur, et legendum existimat, *Donate matri bella.* Badenius quoque, ne inferior ingenio et subtilitate habeatur, sic emendat: *Donate matri... parce! si placuit scelus,* etc. Hæc longius petita et frustra excogitata arbitror, quum sæpenumero *donare* cum accus. personæ et ablat. rei usurpetur, ideoque *donate matrem pace* perinde valeat, si sensum spectes, atque *donate matri pacem.* Sic Cic. pro Arch. c. 3: *Tarentini hunc civitate ceterisque præmiis donarunt.* Sic Justinus, XI, 6: *Eos, qui cecidere, statuis equestribus donavit.* Sic Tibull. III, 1, 21: *Nympham longa donate salute;* et Horat. IV, od. 2, v. 9: *Pindarus laurea donandus Apollinari*, etc. — *Si placuit.* Omnes Pariss. (uno excepto, 8036, qui habet *si placuit*) exhibent *si placet*, quod in quatuor MSS. Gruteri et in Scholiaste quondam inventum est: sic quoque vett. editt. Fern. Is. Phil. Ascens. Nec spernenda foret lectio, nisi perraro et in verbis tantum quæ quatuor syllabis constent, iambus quinta sede occurrat.

457. *Paratum est.* Nonnulli *peractum est* (Avant. Vian. Petr. Fabric. Commel.); quasi, vivente et loquente matre, peragi scelus potuerit!

459. *Sollicita nunc cui.* Gronov. Bipont. Both. et Badenii lectionem non mutavi. Attamen vix mihi temperavi, quominus illam alteram reponerem, quam Fern. Isoard. Ascens. editt. et omnes nostri Pariss. exhibent, *cui sollicita nunc.* Non est enim cur hæc repudietur, quum tribrachys sæpe secunda sede occurrat, et sic dispositus versus lenius liberiusque fluat. Sed Etrusco codici in tantula re refragari non tanti esse judicavi,

Digitized by Google

præsertim quum Avant. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. ediderint, qua auctoritate freti nescio, *sollicita cui nunc.*

461. *Ducor.* Fern. Is. Ægid. *adducor.*

463. *Jam numquam.* Lipsius, quum ex scripto suo abesset *jam*, legi volebat *non umquam*, quod nemo, præter Raphelengium, recepit.

465. *Qui tot labores.* Plerique MSS. habent *tu qui tot labores.* Fabric. Raphel. Commel. Delr. Heins. Scriv. Farn. Thys. Gronov. ut versum ad legitimam compositionem revocarent, deleverunt *qui.* Recte Gruterus potius delendum *tot* existimat: superest *Tu qui labores totque*, etc. quod Botheus probavit et arripuit: sic quidem in Paris. 8261. Fateor tamen et huic et illi lectioni tertiam anteponendam mihi videri, quam Gronov. et nonnullæ ante Fabricium editiones et Paris. 8260 exhibent, *qui tot labores.* Melius enim et latinius superiora sequentibus hoc vinculo junguntur.

467. *Clade.* Nonnulli Pariss. *claude;* 8055, *conde.*

468. *Excuti.* Fern. Is. Ægid. Phil. *excute.*

472. *Tegimenque.* Sic Grut. Heins. et recentiores: sic Pariss. quatuor. Fern. Is. Ægid. Avant. et plerique nostri, *tegmenque.*

473. *Redde.* Nic. Heinsius inutili, ne dicam pejus, emendatione, *credé.*

476. *Fiet.* Paris. 8261, *fiat.*

477. *Hæres.* Gryph. et Petr. ad marg. *horres.*

479. *Ne matri.* Pariss. 8037 et 8261, *nec matri.*

480. *Redde jam capulo*, etc. Exemplaria nonnulla, ait Commelinus, et interpres vetus hæc verba Polynici tribuunt seipsum monenti ut sibi caveat.

481. *Ingerat.* Badenius, *inserat*, quod in Florentino fuisse testatur Jac. Gronovius. Sed quid emendatione opus est? Usurpatur vulgo *sese ingerere* pro *sese immittere.* Sic Sil. Ital. X, 4: « In medios fert arma globos, seseque periclis Ingerit. »

482. *Exarmatur.* In nonnullis vett. edit. (Isoard. Avant. Gryph. Petr. Fabric.) vulgata hæc lectio in *est armatus* mutata fuerat. Lipsius et Commelinus pro fide MSS. et antiquorum librorum prave adulteratam restituere.

483. *Tu pone*, etc. In quibusdam Commelini libris (vid. sup. not. ad v. 480) loquitur iterum Jocasta.

489. *Sed pro utroque* etc. Pontanus ex Cantabrig. malebat *si pro utroque, quid strictum*, etc.

492. *Infesti.* Paris. 8029, *infausti.*

493. *A suis.* Nic. Heins. *a tuis.* Falso.

497. *Nefas.* Paris. 8037, *scelus.*

498. *An ut viderem*, etc. Mogunt. Herbip. et unus Venet. Delr. *Non ut viderem*, sine interrogatione. Sic Paris. 6395. — *Viderem propius? hic*, etc. Fabric. et Commel. *viderem? propius hic*, etc. Sic et Paris.

Digitized by Google

8025. Gruterus hanc interpunctionem jure repudiavit. — *Abdidit.* Gryph. *addidit.*

499. *Reclinis.* Fern. Is. Heins. Farn. Thys. *reclivis.* — *Arma defixa incubat.* Sic legi volebat Lipsius, ablegato *incubant.* Delrio contra *incubant* tuebatur, quod poetice dictum existimabat pro *armis solo infixis ipse incubat.* Grutero neque *incubant*, neque *incubat* placuit, et se non habere confessus est quo locum vel interpretaretur vel sanaret. Gronovius jussit legi *Reclinis hastam et arma defixa incubans*, quod Botheus ita recepit, ut et Lipsianam lectionem tamen non improbaret, et fortasse legendum diceret, *Reclinis adstat, arma defixa incubans.* Badenius vero nihil huic loco ad integritatem deesse judicat, et antiquam lectionem *Reclinis hastæ, et arma defixa incubant* reponit, quia non insolens est *incubandi* verbum absolute poni, quod exemplis approbat. Nos contra arbitramur non admitti posse *incubant*, quod *arma incubant*, non perinde valere videtur, ac *arma terræ defiguntur*, sed propius esse his verbis *jacent strata humi.* Rursus Gronovii conjecturam non sequimur, quia *hastam* pro *hastæ* scribi posse nullo libro confirmatur, et indicativum hic participio præstare credimus. Legimus igitur, ut quondam Lipsius, *arma defixa incubat*, quod et in Paris. 8037 invenimus. De accusativo post verbum *incubare*, vid. p. 424, not. ad v. 499.

503. *Tegunt.* Ægid. *regunt.*

504. *Te maria*, etc. Quum nulla maria tentaverit Polynices, legendum pronuntiavit Botheus, *Te amara tot diversa, tot casus vagum Egere.* Sed quis umquam credat dici posse *tot diversa amara* pro *tot diversæ calamitates?* Sæpius peccat Noster dum temere amplificat et extendit sententias, multaque coacervatim aggerat quæ ad rem minus pertineant, quam quod verbis utatur quæ cultu et latino robore careant. Ideo potius putem *maria* ab illo scriptum, quam *amara;* nam ut in illa voce parum est judicii, sic in hac parum elegantiæ.

506. *Festas.* Fern. Is. Ægid. Phil. et tres Pariss. *lætas.*

508. *Dona non auro graves.* Nonnullæ editt. (Heins. Scriv. Farn. Thys. Gronov.) *auri et graves.* At in omnibus MSS. et antiqq. editt. *auro et graves*, et in nonnullis (Pariss. 6395, 8034, 8263) *auro graves*, quod Botheus et Badenius recte assumpserunt. Jam hoc ipsum, *dona non auro graves Gazas socer*, Commelino placuerat.

509. *Arva.* Sic Ægid. Gryph. Petr. Fabric. et septem Pariss. Solita confusione alii, in quibus Fern. Phil. et decem Pariss. *arma.*

513. *Fatis.* Paris. 8026, *factis.*

516. *Sollicitæ.* Sic omnes ad unum MSS. et editi libri ante Gronovium, et nihil sane hac lectione commodius. Attamen Gronov. Both. Baden. ex Etrusco intulere *suspensæ.*

517. *Cujus aspectum.* Paris. 8029, *cujus affectu.*

524. *Carerem. Triste*, etc. Testatur Jac. Gronov. (vid. sched. Dietz.) sic esse in Florent. *carerem. Patris te*, etc., unde ille, *ah, triste.* (Botheus.)

Digitized by Google

531. *Aspexi.* Pariss. 8024 et 8029, *aspexit.*

533. *Timore... vacem.* Pariss. 6395, 8025, 8026, 8031, 8037, *timerem... vicem.* Alii (Fern. Ægid. Phil. et quatuor Pariss.) *timere... vicem*, quod intelligi non possit.

535. *Mensium.* Pro *mensum*, ait Fabricius, τῇ ἐξαιρέσει, qua et Ovidius in Fastis et in Metam. utitur, et Honorius Fortunatus: « Nobilitas anni, mensium decus. » Cf. Ovid. Metam. VIII, 500; Fast. V, 187 et 424.

536. *Perque pietate inclitas.* Reposui lectionem omnium tum MSS. tum antiqq. editt. quam Gronov. mutaverat ex Etrusco, ne Ismenes mentio fieret. At in Phœniss. Euripidis, quamvis Antigone sola partes agat in tragœdia, nonne Jocasta et Ismenes meminit? (Vid. Phœniss. Eurip. v. 57.)

539. *Dira.* Sic Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. Gronov. et recentiores: sic et Pariss. 8030 et 8036. Alii, in quibus Fern. Is. Ægid. Phil. Ascens. Avant. Gryph. Petr. et quatuordecim Pariss. *dura.*

545. *Armis catervas: vidit equitatu*, etc. Alia distinctione Botheus, *armis catervas vidit. Equitatu*, etc. quod et recipi possit.

550. *Hoc exercitus.* Phil. Avant. Fabric. Raphel. Delr. et nostri 8028, 8261, *hic exercitus.* Cæteri rectius, *hoc.*

551. *Et populus omnis*, etc. Gronovius hunc versum sic in universis codd. seu manu scriptis, seu editis, scriptum ex Etrusco mutavit eoque modo refinxit, *Hoc utrimque populus omnis, hoc vidit soror;* nempe sola Antigone, inquit. Sed cur sola? Vid. sup. not. ad v. 539.

552. *Genitrixque vidit.* Botheus ex Florentino, teste Jac. Gronov. in sched. Dietz. *vidi.*

553. *Occurrat.* Ascens. et quatuor Pariss. *occurrit.*

554. *Judice.* Commel. MS. Col. *vindice.*

558. *Patriam petendo.* Fern. Is. Phil. *Petendo patriam.*

560. *Armis uris infestis.* Philol. Avant. Gryph. Petr. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. cum septem Pariss. *armis vertis infestis.* Quatuor Pariss. *nostrum infestas solum.* Paris. 8027, *armis vestris.* Gruterus *vestris* in pluribus MSS., *nostris* etiam in quibusdam inveniebat. Existimabat posse nonnullis arridere, *uris:* cæterum vulgatam lectionem, *vertis*, probissimam judicabat. Gronovius Florentini auctoritate conjecturam Gruteri firmavit, et recentiores eam secuti sunt. Nos quoque eamdem lectionem adhibemus. Sed neque primum eam a Grutero excogitatam, neque in Florentino solum codice reperiri testamur. Habent enim *uris* et Ascensiana editio, et Gryph. ad marg. et Pariss. 6395, 8025, 8032, 8035.

561. *Segetesque adultas.* Omnes MSS. et plerique libri excusi, *segetesque adustas.* Gronovius ex Florentino attulit *adultas*, quod et in Ascens. et in Gryph. ad marg. invenio.

572. *Vinctosque.* Sic Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriver. Farn. Thys. Gronov. Both. Bad. et sex Pariss. Cæteri *victosque.*

Digitized by Google

575. *Ut adulta.* Paris. 8037, *et adulta.*

584. *Facient.* Mogunt. Delr. et Paris. 8261, *faciant.*

585. *Tumores.* Pariss. 6377 et 8932, *timores.*

586. *Ut patria.* MS. 8037, *et patria.*

592. *Mea Habitet superbus.* Plerique MSS. et editt. Fern. Isoard. Ægid. Philol. Ascens. Delr. habent *mea Habitet superba.* Displicuit, nec immerito, *mea regia superba;* unde Gryph. Petr. Fabric. et recentiores ediderunt *mea Habitet superbus*, quamvis in nullo manu scripto libro videatur fuisse *superbus.* At in nonnullis MSS., tum in Florentino, tum in tribus Pariss. 8028, 8030, 8034, *meus Habitet superba;* et forsan, si ad codicum auctoritatem respicias, satius sit hanc lectionem eligi. Attamen cum Gronovio, Botheo et Badenio *mea* retinui, ut quod paulo significantius sit et, ut ait Gronovius, invidiosius.

593. *Abscondat.* Pariss. 8026, 8034, 8035, *abscondet.*

594. *Hanc da.* Monuit Jac. Gronov. in Etrusco esse *hanc date;* quod arripuit Botheus, quia « duos, matrem et fratrem, compellat Polynices, neque id, quod petit, res erat alterius horum arbitrii, sed utriusque, et magis Eteoclis. » Rectius, nisi fallor, ad matrem tantum ea dicantur, quum superiora quæ non verbis, sed sensu cum his consonant, ad matrem solam pertineant. Non aliud est *Da casam repulso*, aliud *Da, quo revertar:* sed ea unum et idem significant; quorum, cur alterum ad matrem, alterum ad matrem filiumque spectent, præsertim quum symmetriæ lex aliud reposcere videatur?

600. *Vacare sævo.* De vanis Nic. Heins. emendationibus, vide sup. p. 434. — *Possunt.* MS. 8035, *possint.*

602. *Tmolus.* Sic Philol. et alii. Fern. Ægid. *Tmolos.*

607. *Hebrus.* De emendatione Gronovii, quam Botheus probavit, vide pag. 435, not. ad v. 607.

608. *Cereri.* Fern. Ægid. Phil. et decem Pariss. *Cereris.*

610. *Relinquit nomen Ionii*, etc. Cum Botheo et Badenio existimavi, post *nomen* distinguendum. Alii, *relinquit nomen Ionii maris fauces*, etc. Alii, *relinquit nomen Ionii, maris Fauces*, etc. eodem sensu, sed minus commoda verborum compositione. Gronov. *Qua relinquit nomen Ionii mare, faucesque*, etc. posse recipi notat.

611. *Fauces Abydo Sestos*, etc. Plerique MSS. (Commelini Col. Delrionis Mogunt. et Egvian. cum undeviginti Pariss.) necnon antiqq. editt. (Herbipol. Delrionis, Fern. Ægid. Ascens. Gryph.) *Fauces Abydos Sextos oppositæ premunt.* Alii (Phil. et Pariss. MSS. 8025, 8263) *Fauces Abydos Sextos oppositæ premit.* Alii *fauces Abydi Sestos oppositæ premunt* (Delrionis Basileens. et Lipsiens. Avant. Fabric. Raphel. Commel. Delr. Grut. Heins. Scriv. Farn. Thys. Gronov.). Nonnulli, in quibus Philologus, *Fauces Abydi Sestos oppositæ premit.* Cruserianus Pontani, *Faucesque Abydi Sestos oppositæ premit.* — Paris. excusus Schrœderi et Lugdun. Delr. *Fauces Abydos Sestosque oppositæ premunt*, et idem habet Schrœd. Traject. nisi

Digitized by Google

quod *premit* pro *premunt* exhibet. Denique Gronov. Florentinus, *Faucesque Abydo Sestos opposita premit*, quod Botheus et Badenius, omisso *que* post *fauces*, receperunt. Hanc lectionem et nos prætulimus, ut quæ elegantior videatur. Schrœderus simplicius et verius putat, quod in Paris. suo invenit, *Abydos Sestosque oppositæ*, etc. : sed non animadvertit metri legem repugnare. Si quis velit, unius codicis auctoritati diffisus, pluribus confirmatam monumentis lectionem amplecti, servet eam veterem, quæ Etruscæ cedat elegantia, sed illam numero saltem librorum longe superet :

> Hinc, qua relinquit nomen, Ionii maris
> Fauces Abydos, Sestos, oppositæ premunt.

612. *Propius*. Sic emendavit Gronovius : omnes ante illum, *propior*, quod vix intelligi poterat.

614. *Hæc regna*. Gronov. malebat *hic ;* Botheus *hac*. Nihil vulgata clarius et commodius.

616. *Regnum*. Botheus ex Fern. substitui volebat *regimen*. Certe sic habetur, non in Fern. solum, sed in Ægidio ; et *regnum* sæpius quam par est reponitur. At quis affirmare audeat *hoc regimen tenere* pro *hoc regnum tenere* posse usurpari ?

619. *Melius istis*. Multi tum MSS. tum editi libri, *melius usus*, quod languere mihi videtur. *Istis* non in Gronovio tantum et recentioribus reperio, sed in vet. Philol. edit.

620. *Appetes*. Pariss. 6377, 6395, *appete ;* 8032, 8263, *petes*.

625. *Exsiliis*. Ut versus constet, lege *exsilis*, geminis in unam contractis litteris.

627. *Græciæ*. Sic Petr. et recentiores ; Fern. Ægid. Phil. Paris. 8028, 8033, *regiæ*.

628. *Licet arma*, etc. Sic interpungi in uno MSS. refert Gruterus : « Licet arma longe miles ac late explicet Fortuna belli ; semper ancipiti in loco est, Quodcumque Mars decernit. » Et ipse conjiciebat, « ancipiti in loco est Quocumque Mars decernit. » Vana tum lectio codicis, tum Gruteri emendatio. Vid. interpret. pag. 437.

630. *Decernit*. Fern. Isoard. Ægid. et Capcasæ lib. *decrevit* (vid. Delr.), quod et Botheo placuit.

631. *Impares sint*. Fern. Ægid. *impares sunt*.

632. *Petis*. Fern. Is. Ægid. Phil. Ascens, aliique et plerique MSS. *petit*. Primus Lipsius restituit quod hodie legitur.

633. *Favisse*. Ægid. *fuisse*.

634. *Aversi*. Fern. Is. Ægid. et nonnulli Pariss. *adversi*. Philol. et nostri 8024, 8262, *aversi*, quod receptum est.

635. *Jacent*. Sic Scriver. Fern. Thys. (qui versum ita composuit *Petiere. Cives clade funesta jacent*). Gronov. Both. et Baden. Languidius Fern. Is. Ægid. Phil. Ascens. Avant. et alii, cum viginti Pariss. *jacens Obtexit agros*, etc.

Digitized by Google

638. *Frangenda.* In Florent. *plangenda.* Vid. Jac. Gronov. in schedis Dietz. — *Id bellum.* Both. *hoc bellum*, quod, ipso nesciente, irrepsisse videtur.

641. *Infaustas.* Paris. 8055, *infestas.*

642. *Dimitte.* Fern. Ægid. Isoard. *Omitte.*

643. *Sceleris*, etc. « In MSS. aliquot, inquit Commelinus, et ista Jocastæ tribuuntur: sed ita interpungendum, *sceleris et fraudis suæ Pœnas nefandus frater ut nullas ferat, Ne metue: pœnas*, etc. »

645. *Pœnas et quidem*, etc. Ascens. *pœnas solvet, et quidem graves.*

646. *Hæcne est pœna?* Nonnulli (Fern. Is. Ægid. Philol. Ascens. Avant. Gryph. Petr. Fabr. Raphel. Commel.) *hæc pœna est*, quod Jocastæ tribuunt, nullo a vers. 645 ad vers. 651 facto diverbio. Delr. Grut. Heins. et decem Pariss. *Hæc est pœna?* quod interserit Polynices. Scriver. Farn. Thys. Gronov. Both. Bad. *Hæcne est pœna?* admissa, ut par est, Polynicis persona.

647. *Dicet.* MSS. 8026, *dicit.*

648. *Thebarum.* Nostri MSS., ut Gruteri, vel *Thebana*, vel *Thebano*, habent. MS. quoque Commel. et interpres, *Thebano*, quod recipi possit.

650. *Tenebat.* In Baden. et in Pariss. 8028 et 8033, *tenebit;* quod miror Badenium vulgatæ prætulisse, quum ea vim multo majorem habeat.

651. *Numero: et est*, etc. Botheus tribuit Polynici hoc solum verbum, *numero*, et sequentia *At est tanti mihi cum regibus jacere. Te turbæ exsulum Adscribo*, Eteocli; quasi verba *At est tanti cum regibus jacere* a Polynicis ingenio abhorreant. Attamen et cupidus regni fingitur Polynices, nec video cur abstineat tali verborum pervicacia, quum factis ipsis, nempe oppugnatione patriæ et congressu cum fratre, quanta regnandi arderet libidine satis superque declaraverit. Racinius, qui, Euripidem imitatus Polynicem voluit mitiorem fratre videri (Jocasta enim ad Polynicem, act. IV, sc. 3: *Et vous, que je croyais plus doux et plus soumis*), ipsi Polynici sententiam attribuit, quam Eteocle tantum dignam Botheus contra librorum fidem judicat. (Vid. pag. 439, not. ad vers. 651.) Adde quod minime verisimile arbitrer hoc tantum, *numero*, a Polynice referri, quod minime acutum sit et nullum saporem habeat.

652. *Te turbæ*, etc. Hæc, vulgo Jocastæ adscripta, tradit Eteocli H. Grotius, ut matri minus convenientia. Recte: quod sequitur, *Regna, dummodo invisus tuis*, Polynici attribuit: mox illud vere tyrannicum, ut ait Gronovius, iterum Eteocli: mitiora, *Qui vult amari*, Polynici: denique Eteocli, *Præcepta melius*, cum reliquo. Hæc ita distributa plane commoda arbitror, nisi quod versum *Qui vult amari, languida regnat manu*, melius Eteocli datum putem. Nam *languida manu* prave interpretari mihi videntur, qui ea sic intelligunt, quasi scribatur *clementer et leniter. Languida manu* in malam partem rectius accipitur, et aptissime cum superioribus consonat *multa dominantem vetat Amor suorum.* Vid. interpret. pag. 440. — Omnes ante Grotium ea inter Jocastam et Polynicem

Digitized by Google

divisere, non admissa Eteoclis persona, quæ certe in MSS. non reperitur. Multa tamen in his ultimis versibus occurrunt, quæ matrem neutiquam deceant, et conjecturæ Grotii, ut verissimæ, assentior. Miror autem et Gronovium (quamvis Grotii dipositionem valde probaverit) et Badenium vetere personarum ordine a Raphelengio, Delrione, Grutero et Scaligero, frustra concinnato, usos fuisse in suis editionibus.

656. *Regis hoc magni reor.* Plerique MMS. Pariss. ut omnes Gruteri præter unum, et vett. omnes editt. *regis et magni reor.* Delrio in Eibio esse *regis est magni reor* monebat, quod recipi potuerit. Rapheleng. emendabat *regis at magni reor.* Melius Gruter. in uno MS. *regis hoc magni reor,* quod Florentini auctoritate confirmatum receperunt recentiores. Paris. 8055, *regis et magis reor*; 8034, *regis esse magni*; 8028, *regis en magni.*

657. *Ipsa.* « Ita optime Florentinus, inquit Badenius, non *ista*, quod vulgo circumfertur. *Odia ipsa*, quibus obsistere difficillimum est. »

659. *Regnat.* Sic prope universi Pariss. libri: quam lectionem restitui, ut quæ sententiarum connexionem adjuvet. Gronov. Both. Baden. *regnet.*

660. *Invisa.* Philol. Gryph. ad marg. et Pontanus in not. *iniqua.* Sic et Paris. 8263. — Hunc versum alii Jocastæ (Fern. Ascens. Avant. Gryph. Petr. Fabric. Raph. Commel. Grut. Heins. Baden.), alii Polynici tribuunt. Vide not. nostr. ad vers. 652, ubi de tota hujus loci distinctione satis dictum est.

Sequuntur, quibus Phœnissas vel Thebaidem supplevit Henricus Chifellius Antuerpiensis, Senecæ tragœdiis primum, nisi fallor, adtexta. Multa in his elucent tum ingenio Nostri digna, tum ad ejus dicendi formam mire composita. Melius tamen de latinis litteris meritus esset Chifellius, si non choros tantum et quintum actum confecisset, sed finem secundi actus et quarti initia restituere tentavisset, qualia a Seneca scripta videri possit, solutasque operis partes apta interpolatione conjungere.

Digitized by Google

L. ANNÆI SENECÆ THEBAIS,

PER HENRICUM CHIFELLIUM, ANTUERPIENSEM, PUBL. IN ALMÆ URBIS GYMNASIO ELOQUENTIÆ PROFESSOREM,

CHORI TOTIUS, ET QUINTI ACTUS ADJECTU SUPPLETA.

Romæ. — Ex typographia Guilielmi Facciotti. MDCXXV.

SUPERIORUM PERMISSU.

Illustrissimo et reverendissimo D. D. Francisco Cardinali Barberino, Henricus Chifellius S. D.

Semper equidem dolui, illustrissime princeps, Thebaidem, quæ inter Senecæ tragœdias circumfertur, mancam ad nos et mutilam pervenisse, quippe quam actus quintus, et chorus deficeret universus, sive auctori id imputandum, sive tempori. Et sane multos abhinc annos me libido cepit operis perficiendi; sed verebar ne rem arduam per tot secula, tot clarissimis ingeniis intentatam, frustra conarer. Tandem abrupi moras, temerario quidem consilio, sed fortasse non undequaque illaudato : neque enim ideo laude sua caret Troilus, quod impar congressus Achilli, et Phaethon si currum paternum non tenuit, magnis tamen excidit ausis. Utcumque est, opus absolvi, aut perfectæ Thebaidos victoriam, aut nobilissimæ cogitationis gloriam habiturus. Tibi quod hoc laboris est offero, Card. amplissime, cui multis me nominibus debeo, et mea. Exiguum est quod accipis : tu vel humanitate tua id metire, vel observantia mea. Vale. Dat. Romæ IV Id. jun. MDCXXV.

Digitized by Google

LECTORI.

Induxi Jocastam sibi coram populo manus inferentem: ne vultum contrahe, nec Horatii telum in me distringe. Licuit hoc Senecæ, ne conquiram alios, in Œdipo, et Medea, necnon, si recte æstimas, in Hippolyto; cur non et mihi tragœdiam Senecæ, vel ei adscriptam supplenti? Quod si vilis apud te Senecæ auctoritas, et plane in Horatii verba jurasti, en adhuc tibi morem gero. Intellige extrema Jocastæ verba, non ut cædem exhibentia, sed ut eam proxime secuturam indicantia; neque enim talia sunt, ut cædem necessario repræsentent.

CHORUS PRIMI ACTUS.

Nulla concussi rabies profundi,
Naufrago Ægæum rapiente coro,
Tam procelloso metuenda fluctu
Verberat proræ latus innatantis,
Atra quam sævo truculenter æstu 5
Conscium pectus sceleris patrati
Torquet imago.
Non per ardentes sitiens arenas,
Aut in herboso pede pressa prato
Sibilans tanta furit anguis ira: 10
Non per Hyrcanos tigris acta saltus,
Vel ferox orbæ pietas leænæ
Ungue raptorem graviore pulsat.

Digitized by Google

Anxius tristes quatit horror artus;
Corda secreto lacerata morsu 15
Vindice exercet stimulo Megæra.
Sive ab Eoa radiavit unda
Aureus vultu meliore Phœbus,
Sive sublimi spatians Olympo
Altior longas breviavit umbras, 20
Sive ad extremos veniens Iberos,
Abluit fessos pelago jugales,
Nulla latrantis monumenta culpæ,
Nulla tabificas fugit hora curas.
Ludat aprico petulans vireto 25
Chloris, et lento Zephyrus pererret
Prata susurro,
Nulla pacatos vocat aura somnos.
Garriat summo Philomela ramo,
Ducat Amphion lapides canendo, 30
Mulceat vatis lyra Thracis ornos,
Irriti vocis citharæque cantus
Gaudiis clausa redeunt ab aure.
Flectat obliquo sinuosa ductu
Brachia, et terris replicatus iisdem 35
Vitreas Phrygius rotet amnis undas,
Casta complexus fugiens Pelasgos
Litus inventæ peregrina terræ
Rumpat argutis Arethusa lymphis,
Splendeat fulvo radians ab auro 40
Regios inter torus apparatus,
Indica spondas obeunte gemma,
Perfurit motæ rabies procellæ,
Mensque terrificis agitata larvis,
Fulmina et flammas, et acuta circum 45

Digitized by Google

Tela, et ultores scelerum irruentes
Conspicit enses.
Fertur inops animi, furiali percitus œstro
OEdipodes, neque Dircæum cum lumine regnum
Projecisse sat est; animo transfossus oberrat 50
Laius, et patrio polluti sanguine currus:
Nunc oculos in morte graves, nunc ora parentis
Lurida, et exsangues pallenti in funere vultus
Mens concussa videt: crasso nunc oblita tabo
Vulnera, et impactum capulo tenus aspicit ensem: 55
Nunc dulces furias, temerata cubilia matris,
Fecundumque nefas gelida formidine volvit:
Et quo trementem conscius movet gradum,
Quo vertit ora, pallidum circumsonat
Stridente flagro tristis Eumenidum manus, 60
Et æstuanti corda scrutatur face.

CHORUS SECUNDI ACTUS.

Quid non ambitio impotens,
Et sceptri rabidus furor
Cæco proruis impetu?
Quantis quod semel insides 65
Pectus turbinibus rotas!
Per ventis mare turgidum
Pennato citior Noto,
Per siccas Libyæ vias
Sole ardentior Africo, 70
Per flagrantia fulmina,
Et per Caucaseas nives,

Digitized by Google

Per tela et gladios volas.
Non legum reverentia,
Aut castus pudor, aut fides, 75
Non flentis patriæ labor,
Et fumantia mœnia,
Tectorumque cadentium
Feralis fragor impio
Ardori injiciunt moras. 80
Patrum cæde madens manus,
Matrum incesta cubilia,
Fratrum immitia prælia
Lusus et joca sunt tibi.

CHORUS TERTII ACTUS.

Frustra properos furiata moves 85
In castra gradus, frustra medios
Miseranda parens pergis in enses.
Nullas regni cæca libido
Cernit lacrimas, non maternos
Cinctum triplici pectus aheno 90
Patet in gemitus : surdas pulchri
Nomen honesti verberat aures.
Nimium dulci tincta veneno
Figunt avidas tela medullas :
Nimium blandas accincta faces 95
Corde sub imo gliscit Erynnis.
Stant in magnum contracta nefas,
Quatiuntque putrem sub pede campum,
Hinc indomitis truculenta minis

Digitized by Google

Septem regnis excita manus, 100
Hinc Dircæi sæva tyranni
Agmina totis eruta Thebis.
Nec communi fremit icta malo
Turba, nec iras furibunda gerit
In bella suas; fratrum gemino 105
Fervet ab æstu : nec vulgari
Ferrum jugulo mersisse juvat;
Solus frater soli petitur
Victima fratri.

CHORUS QUARTI ACTUS.

Mœnia Cadmi nimium tristi 110
Damnata loco, nimis aversis
Condita Divis! miser, Ogygii
Lubrica regni qui sceptra geris,
Dubioque comam necteris auro!
Jacuit sævi cuspide nati 115
Phocidos arcta regione parens,
Medio exsanguis limite truncus.
Ille paterno madidum tabo
Ungue cruento diadema rapit :
Neve impietas foret una satis, 120
Jus et fas calcasse libet, matrisque jugalem
Incestasse torum et seeleri genuisse nepotes.
Hinc populis immissa lues, lateque per agros
Marcida tabifici rabies bacchata veneni.
Inde ubi detracto patuerunt crimina velo, 125
Pectora diris agitata novis,

Digitized by Google

Super ingesto velut igne calent.
Sceptra superba tractata manu
Illisa solo ferale sonant :
Tum dextra nocens lucis amatæ 130
Perscrutata vias, ima ab radice revellit
Lumina, et infandis vacuos obtutibus orbes
Pulsat adhuc, solioque amens egressus avito,
Per caligantes miseranda in nocte tenebras
Huc illuc sine lege ruit. Nec meta dolendis 135
Fuit illa malis; iterum Thebæ
Consanguineas sensere manus :
En progenies dira, nec ortus
Mentita suos quatit ærato
Septemgeminas agmine portas! 140
Miseranda truci corpora ferro
Trajecta jacent, largoque natant
Sanguine fossæ, quamque superbi
Ardua muri claustra negabant
Stragis acervi struxere viam. 145
At vile funus, vilis est visus cruor,
Nisi quem sævi e pectore fratris
Fraterna traxisset manus.
Ergo ira præceps sceleris abrupit gradus :
Ruunt in enses : misera nequicquam vetas, 150
Jocasta; leve adhuc fratribus visum est nefas,
Nisi tu videres; sanguinemque mutuum
Hausisse, nisi qui matris aspergat sinus,
Sprevere : at unum mente concordi ingemunt,
Abesse patrem : summa votorum fuit, 155
Spectare quos non posset, audiret mori.

Digitized by Google

ACTUS QUINTUS.

JOCASTA, OEDIPUS, ANTIGONE.

JOC. Adsum parens infausta confusæ domus,
Genitrix nefandi sanguinis, matrum pudor,
Fecunda scelerum, gentis Argolicæ lues,
Tibi, nate, conjux. Quid tuæ cessant manus, 160
Ignave superum genitor, ac tela horridis
Armata flammis? cui feras Erebi faces,
Cui vultures, cui saxa, et undas, et rotas,
Et omne diri Tartari servas nefas,
Cruente Pluto? pectus en magni capax 165
Doloris, en cor unde totas exigas,
Megæra, pœnas: videor in pœnas parum?
An luctuosis adjici decuit malis,
Ut tetra purum pestis inficiens diem,
Suis superstes cladibus animam trahat 170
Vivax senectus anxiam, exsecrabilem?
Hac hac tenaces lucis invisæ moras
Abrumpam, et avida spiritum ejiciam manu;
Pulsabo furvas Gnossii fores senis
Feralis umbra, criminum aggestu gravis, 175
Omnesque frendens jure deposcam meo
Pœnas nocentum: stabo par una omnibus.
OED. Quis hic recens exasperat mentem dolor,
Flammansque cæcum concoquit pectus furor?
Iterumne ferro genitor occubuit meo, 180
Matrisque viduos filius pressi toros?

Digitized by Google

JOC. Nova monstra porto : patria cæde imbui,
Pudorque thalami, vetera jam nobis mala.
Odiis duorum turba plus nimio sequax
Famulata fratrum, concita in ferrum ruit : 185
Conferta campos corporum tegit strues :
Trahit cruenta rapidus Ismenos vada,
Tumidoque Graiæ volvit implexum sinu
Florem juventæ; spoliaque et truncas manus,
Artusque laceros, triste spectatu, rotat. 190
Parum est : superbus ista prælusit furor,
Et summa sceleri deerat, et dignum OEdipo
Poscebat orbis facinus, ac decens tuos
Jocasta thalamos : quid paves diros loqui
Miseranda casus? quidve post natum times? 195
Vidi efferato concitos fratres gradu,
Mea pignora, mea viscera, meum sanguinem,
In se ruentes : mutui exitii appetens
Trux æstuabat ira, et ignitas procul
Jaculata flammas lumina implacabilis 200
Signarat ardor : ivi, et horrentum feros
Media inter enses mater infelix steti :
Flevi, et fluentes unguibus scidi genas;
Clamavi, et albas manibus evelli comas,
Testata superos, inferos, patriam, lares. 205
Sed heu! nocentis impium stirpis genus
Natalibus putavit indignum suis
Pietate flecti : vicit atrox pauperis
Libido regni, quæque concepta est semel,
Vicit cruoris rabida fraterni sitis. 210
Perrupit arma perfida intortum manu,
Alteque ferrum sanguinem alternum bibit.
Patuere laxa vulnera, et flammans magis

Digitized by Google

Exarsit ira : ter fero circumplicant
Scelerata nexu brachia, et pectus premunt, 215
Nexu quidem, non esse qui fratrum solet,
At quem exsecretur orbis et fugiat dies,
Tuosque deceat, Œdipe, et deceat meos.
Quid extraho narrando barbarum scelus
Infanda mater? penitus ima in viscera 220
Adactus ensis mutuo transverberat
Fera corda nisu; pondere immani ruunt,
Fraterque moriens sanguine in fratris natat.
ŒD. Bene habet : mei sunt; nosco funestam indolem,
Agitata diris pectora agnosco libens. 225
Cecidit superbæ tetra progenies domus,
Cecidere fastus, regnaque et reges jacent.
Hos mihi paterna cæde pollutæ manus,
Hos mihi triumphos mater, has lauros tulit.
Scelesta amarus gaudia coronat dolor; 230
Tardo, sed acri verberat flagro deus.
Stetit heu Pelasgis quanti et heu quanti stetit
Libido parricidæ et impostum impio
Diadema vertici! quam acerbo diffluunt
Cadmea fletu mœnia, et stridentibus 235
Mors atra pennis urbe damnata volat!
Quo vertar infaustus? animo invigilat truci,
Pœnasque scelerum sævus exercet furor.
An qua Cithæron saxeo surgit jugo,
Scandam, et per altas montis abrupti vias, 240
Parens nefastus, corpus in præceps agam,
Ut membra acutis scissa silicum dentibus
Trophæa late sanguinis diri explicent?
An ima ferrum cordis in penetralia
Impingam? an avidos vivus insiliam rogos, 245

Digitized by Google

Laqueove guttur, vile mancipium, inseram?
Levis una mors est: vivam, et in luctus meos
Atrox amaram carnifex noctem traham,
Et morte plenas; mortis experiar moras.
Ibo, et profundo conditus terræ specu, 250
Quo nec micantis aureum Phœbi jubar,
Nec purus auræ inveniat afflatus vias,
Sedebo tristis, squalido obductus situ,
Tenebrosa imago, et facinora revolvens mea,
Patriam, patrem, me, liberos, matrem gemam. 255
ANT. Hærebo lateri, genitor, et comes tuis
Veniam tenebris, dirigam incertos gradus,
Quicumque te casus premet, premet duos.

JOCASTA.

Quid lenta cessas? triste quin comples nefas,
Genitrix nocentum? quidve tellurem gravas 260
Infame pondus? tene, monstrosum genus,
Te læsus orbis sustinet, spectat dies?
Scindere, et hianti, Terra, furiatam sinu
Complexa, toto perditam sepeli globo.
Agnosco, fugis, heu refugis incestum caput, 265
Tactusque fœdos respuis, et ossa impio
Maculata probro contegi gremio vetas.
En ipsa noxæ vindicem præsto manum:
Fugiat nefandam terra, dilanient lupi,
Volucrumve præda, præda vel jaceam canum, 270
Dum tristis ultrix dextera jaceam mea;
Adeste pubes sede quam tota potens
Effudit Argos: quosque duratum genus

Digitized by Google

Prærupto Ithome celsa nutrivit jugo :
Infida nautis Malea quos campo dedit, 275
Viridesque Amyclæ : Pisa quos docuit leves
Agitare habenas : quos Pilene, et Olenos,
Calydonque præceps genuit : et quotquot ferox
In sæva traxit bella Polynices meus :
Et vos relictæ sedibus viduis nurus, 280
Et orba patribus pignora, et matrum greges :
Vosque o meorum civium infelix cohors,
Quibus ipsa luctus, orbitas, cædes fui;
Spectate generis ultimum invisi nefas.
Hæc tela diri pectoris frangent sinus, 285
Et fœda lecti fœdera, et vestros simul
Ultura fletus sanguinem incestum haurient.
Ades colubris triste sibilantibus
Nodata crinem Tisiphone, et ambas simul
Infer sorores : præfer infaustas faces, 290
Queis exsecrandis tetra luxisti toris.
Ades cruore flammeas madens genas,
Furibunda Enyo, corda quæ fratrum truces
Armasti in iras : tuque Tænariæ Stygis
Immitis arbiter, qui inexorabili 295
Nigra regna sceptro, ferreum pectus, premis,
Agnosce cultris victimam dignam tuis,
Omitte vulgus, nobile ingredior scelus.

Digitized by Google

NOTÆ

IN SUPPLEMENTUM.

1. *Nulla concussis*, etc. Hic a Chifellio adtextus Thebaidis vel Phœnissarum initio chorus (quo primus actus in suam restituitur integritatem, ut ex forma et amplitudine cujuslibet in Nostro primi actus facile colligitur), ab angoribus animum Œdipi exercentibus haud infeliciter ductus est : pars enim prima Annæani operis tota in his exprimendis versatur. Non eadem constituendi chori materia Euripidi suppetebat, qui in prima suarum Phœnissarum parte querelas tantum Jocastæ, de malis tum præteritis, tum imminentibus, exhibuerat, scenamque illam notissimam, ex Homero adumbratam, et Torquato Tasso postea Statioque imitatione expressam, qua singulorum ducum nomina a sene quærit Antigone. Chorus igitur est apud Græcum poetam mulierum Phœniciarum, quæ sint, cui fato destinentur, et quo in hoc armorum tumultu quatiantur metu declarantium. Chifellius alia potuit eligere, non solum quod in aliam, ut modo dixi, constituti actus rationem inciderat, sed etiam quia neutiquam necesse fuit arbitrari ita Euripidis inventa Nostrum in omni re secutum, ut existimaverit tragœdiæ chorum nonnisi a Phœniciis feminis agi debere. Vid. Animadv. pag. 441, not. ad verb. *Phœnissæ*. Gallicus vates, *Robert Garnier*, qui in tragœdia, quæ inscribitur *Antigone*, multa Annæanæ tragœdiæ assumpsit, et primum actum fideli potissimum imitatione effinxit, chorum non Phœnissis, sed Thebanis tribuit, qui Bacchum pro reconcilianda inter fratres gratia precibus obtestantur :

O père, que par noms divers
L'on invoque par l'univers,
Nomien, Évaste, Agnien,
Bassaréan, Émonien,
Toujours orné de pampres verts,
Qui parmi la foudre nasquis,
Et dedans la cuisse véquis
De Jupiter, etc. etc.

His versibus facile intelligetur, cur de celebratissimo quondam illo poeta non sæpius mentionem fecerim, quamvis, ut Senecæ ingenium redderet et repræsentaret, in primis enixe contenderit; et is fuerit quem Æschylo et Sophocli et Euripidi anteponere magni ejus ætatis viri non dubitaverint.

Digitized by Google

62. *Quid non ambitio*, etc. Hæc de ambitionis furoribus apte dicta; sed non satis fuse, pro Nostri consuetudine et ingenio, explicata. Nec justam modo chori amplitudinem, sed et finem secundi actus multi erunt qui requirant: quum enim hanc tragœdiam consummare et absolvere Chifellius aggressus fuerit, non minoris momenti ducere debuit, si imminutas partes in legitimam formam extenderet, quam si deletas et omnino nullas ex integro restitueret. De hoc secundo actu, qualem ediderit Seneca, id unum conjicere in promptu est, Antigonen Œdipo tandem persuasisse, ut Thebas remearet, posito mortem sibi consciscendi consilio. Antigone enim, quæ genitorem deserere pro pietate sua non debuit, initio statim tertii actus in scenam prodit Jocastæ comes. Et si quis affirmet nonnisi corrupta codicum auctoritate in tertio actu et reliqua tragœdia ejus personam emersisse, reputet tamen Antigonen Thebis haud dubie, dum fratres privata pugna bellum dirimerent, adfuisse, quippe quæ Polynici justa persolverit. Vid. Animadv. ad vers. 403, pag. 458. Videtur quoque excidisse initium tertii actus, fine integro.

85. *Frustra properos*, etc. Tertius ille de immanissimis fratrum furoribus chorus frigere videbitur, si ad res ipsas in eo descriptas respicietur. Frustra requiras non eam solum Euripidis vim et impetum, quæ vers. 791, Ὦ πολύμοχθος Ἄρης, etc. et v. 1290, Αἶ, αἶ, αἶ, αἶ· τρομερὰν φρίξαν, etc. choris suis Græcus addidit vates; sed nec satis agnoscitur robur, quod suis Noster solet infundere.

110. *Mœnia Cadmi*, etc. Non reprehensione caret et quarti actus chorus, partim ex Euripidis choro, v. 791 et seqq. partim ex ejusdem tragœdiæ expositione, v. 1 et seqq. desumptus; quo quidem explicantur et paulo frigidius retractantur quæ supra dicta sunt, « sceptra Thebarum fuit impune nulli gerere. » Hic incitatione carere præsertim chorus videtur, quod in quarto actu vehementiora haberi soleant, ut in quo ad summum prope res deducta fuerit, et suspensi audientium animi nonnisi magnis motibus possint detineri.

157. *Adsum parens*, etc. Quartus actus integer, ut videtur, ad nos pervenit, nisi quod pauci in fine deficiant versus. Quintus contra omni ex parte desiderabatur: quem ut retexeret Chifellius, Jocastam induxit calamitates suas lugentem, Œdipumque inter illa suorum mala, ut in Euripide, sibi triste et acerbe gratulantem, morique certum Thebis rursus excedentem, comitante filia Antigone, uxoremque Jocastam letum sibi inferentem. Hæc fere eadem in Græco poeta; sed quam rectius adhibita, quam aptius ad rationem totius tragœdiæ accommodata! Mors enim Jocastæ a nuntio in Euripide narratur, inter jacentium filiorum corpora exstinctæ, quod propius vero nemo non fateatur et ad commovendos animos potentius, quam multæ illæ et diffusæ ipsius querelæ, tumida et ampullata oratione mortem sibi minitantis. Id autem ne quis judicet in Chifellio reprehendendum, Senecæ ingenium, ut par erat, secuto. Aliud autem non sine jure argui possit, quod Œdipum non modo in scenam

Digitized by Google

reduxerit; sed Euripidis cætera imitatus Thebis exeuntem, duce Antigone, ostenderit, utroque recinente quæ jam in Nostro dixerant: OEdipus enim se ipsum interrogat furens quam mortis sequatur viam, « an ferrum in ima cordis penetralia impingat, an vivus rogos insiliat, an laqueo guttur inserat »; Antigone « hæsuram se patris lateri, et comitem tenebris ejus ituram, et incertos recturam gradus » profitetur, quæ jam Annæanæ tragœdiæ initio legimus abunde explicita a vers. 1 ad vers. 363. Potuere quidem Euripides et Seneca, pro poetarum jure, præsertim heroicæ ætatis argumenta tractantium, hanc OEdipi cum filia sese in exsilium projicientis scenam, illum initio operis, hunc extremæ tragœdiæ inserere. Sed quum Nostro placuerit eam præmitti, in fine eamdem non repetendam haud temere conjicias. Rursus appareat OEdipus licet decetque, omnia luctu et terrore impleturus, tot malorum suis incumbentium spectaculo debitus testis; sed non easdem iteret querelas neque fugiat iterum, nata volentem mori prosequente. In hoc summopere erravit Chifellius, Annæanum ingenium in multis aliis feliciter æmulatus.

J. P.

Digitized by Google

EXCERPTA

E TRAGŒDIÀ ITALICA, CUI TITULUS EST *POLINICE*, ET E GALLICA, QUÆ INSCRIBITUR *ÉTÉOCLE*.

Multa in Phœnissis passim notavi, quæ vel ad Nostri imitationem scripta, vel ad ejus tragœdiam similitudine quadam pertinentia videbantur. Sic non Euripidem modo et Statium, sed et vates nostros *Racine*, *Rotrou*, *Ducis*, in collationem vocavi, ut varia variorum ingenia in iisdem exprimendis expenderentur. Alii sunt, qui tragœdias in hoc Thebaidos argumentum, animis quam maxime aptum commovendis, composuere: verum, ut omittam quæ nulla sint digna memoria (*la Thébaïde*, *par Robelin*, 1584; *la Thébaïde*, *par l'abbé Boyer*, 1660; *Antigone ou la Piété*, *par Robert Garnier*, 1580, etc. etc.), ex duabus tragœdiis nonnulla afferam, quas silentio prætermitti vetant eorum qui illas condidere nomina: alter enim, *Vittorio* ALFIERI, Italicis litteris non parum decoris addidit et ornamenti; alter autem, LEGOUVÉ, non parvæ apud nos existimationis fuit.

Excerpta ex tragœdia comitis ALFIERI, cui titulus *Polinice*.

(Act. I, scen. 1.)

ANTIGONE.

Lieve aver pena a paragon d'Edippo,
Madre, a te par: ma da sue fere grotte

1. *Lieve aver*, etc. Vide Nostr. Phœniss. 497, 531, 552.

Digitized by Google

Bench' or pel duolo, or pel furore, insano,
Morte ogni dì ben mille volte ei chiami;
Benchè in eterne tenebre di pianto 5
Sepolti abbia i suoi lumi; egli assai meno
Di te infelice fia. Quel, che si appresta
Spettacol crudo in questa reggia, ascoso
Gli sarà forse; o almen co' paterni occhi
Ei non vedrà ciò che vedrai; gl' impuri 10
Empj del vostro sangue avanzi feri
Distruggersi fra loro. Al colmo giunti
Già son gli sdegni; e in lor qual sia più sete,
Se di regno, o di sangue, mal diresti.

GIOCASTA.

Io vederli... fra loro?... Oh cielo!... io, spero, 15
Nol vedrò mai. Viva mi tiene ancora
Il desir caldo che nel core io porto,
E l' alta speme, di ammorzar col pianto
Quella, che tra' miei figli arde, funesta
Discorde fiamma....

ANTIGONE.

E ten lusinghi?... Oh madre! 20
Uno è lo scettro, i regnator son duo:
Che speri tu?

GIOCASTA.

Che il giuramento alterno
Si osservi.

ANTIGONE.

Ambo giuraro: un sol l' attenne;
E fuor del trono ei sta. Tumido il preme
Lo spergiuro Eteócle; e di tradita 25
Fede ei raccoglie il frutto iniquo. Astretto
A mendicar dalle straniere genti
Polinice soccorsi, all' ire sue
Qual fin, s' ei non ha regno? E a forza darlo
Come vorrà chi può tenerlo a forza? 30

27. *A mendicar*, etc. Vid. Nostr. Phœniss. 373, 587.

Digitized by Google

GIOCASTA.

Ed io, non sono? aver tra lor può loco
L'ira, se in mezzo io sto? Deh! non mi torre
La speme mia! — Per quanto or fama suoni,
Che a sostener dell' esul Polinice
Gl' infranti dritti, d'Argo il re si appresti; 35
Per quanto altero ed ostinato seggia
Sul trono l' altro; in me, nel petto mio,
Nel pianto mio, nel mio sdegno rimane
Forza, che basti a raffrenarli. Udrammi
Il re superbo rammentar sua fede 40
Giurata invano; e Polinice udrammi
Rammentar, ch' ei pur nacque in questa Tebe,
Ch' or col ferro egli assal.... Che più? mi udranno,
Se mi vi sforzan pur, lo infame loro
Nascimento attestar: nè l' empie spade 45
Troveran via fra lor, se non pria tinte
Entro al sangue materno.

(Id. act. I, scen. 4.)

ETEOCLE.

Certo, e mestier gli fia berselo tutto;
Che la mia vita, e il mio regnar, son uno.
Suddito farmi, io, d' un fratel che abborro, 50
E vie più sprezzo? io, che l' ugual non veggio?
Sarei pur vil, se allontanar dal soglio
Potessi anco il pensiero. Un re, dal trono
Cader non debbe, che col trono istesso;
Sotto l' alte rovine, ivi sol, trova 55
Morte onorata ed onorata tomba.

32. *Se in mezzo*, etc. Vid. Phœniss. 401 et seqq. 457.
42. *Ch' ei pur nacque*, etc. Vid. Phœniss. 555 et seqq.
43. *Mi udranno*, etc. Vid. Phœniss. 450.
47. *Al sangue materno*. Vid. Phœniss. 409, 457.
49. *Che la mia vita*, etc. Vid. Phœniss. 651, 662.

Digitized by Google

(Id. act. II, scen. 3.)

GIOCASTA.

Oh! da gran tempo invan bramato figlio!
Pur ti riveggo in Tebe!... Al fin ti stringo
Al sen materno... Oh quanto per te piansi!...
Or di': miglior fatto ti sei? chiedesti 60
La madre; eccola: in lei l' orrido incarco
Di fraterna querela a depor vieni?
Deh! dimmi; a me consolator ne vieni,
O troncator de' miei giorni cadenti?

POLINICE.

Così pur fossi al tuo pianto sollievo, 65
Madre, com' io il vorrei! Ma tale io sono,
Che meco apporto, ovunque il passo io volga,
L' ira del cielo. Ancor, pur troppo! o madre,
Lagrime assai dovrò fors' io costarti.

GIOCASTA.

Ah no! fra noi non di dolor si pianga; 70
Di gioja, sì. Vieni; al fratel ti appressa;
Mi è figlio, e caro, al par di te: se nulla
Ami la madre, placido a lui parla;
Porgigli amica destra; e al seno....

ETEOCLE.

Or, dove
T' innoltri tu? Guerrier, chi sei? quell' armi 75
Io non ravviso. — Il mio fratel tu forse?
Ah! no; che spada, ed asta, ed elmo, e scudo,
Non son gli addobbi, onde vestito venga
Al fratello il fratello.

POLINICE.

E chi di ferro
Me veste, altri che tu? Dimmi; quel giorno, 80
Che in queste soglie, di un fratello a nome,
Venia chiedendo il mio regno Tideo,
Recava (dimmi) ei nella destra il brando,

75. *Oh! da gran tempo*, etc. Phœniss. 465.

Digitized by Google

O il pacifero ulivo? A lui si diero
Parole il dì; ma, nella infida notte, 85
Al suo partire, insidiosa morte
Se gli apprestò di furto. Ei soggiacea,
Misero! se men prode era, ed invitto.
Quanto accadde al mio messo, assai mi accenna,
Che in questa reggia alta ragion fian l' arme. 90

GIOCASTA.

Deh! ciò non dir: non v' hai tu madre in questa
Reggia? e, finchè ve l' hai, ti estimi inerme?
Ecco il tuo scudo, miralo, il mio petto;
Questo mio fianco, che ad un tempo entrambi
Voi già portò: deh! l' altro scaglia; ai nostri 95
Caldi amplessi ei s' oppon; tacito dirne
Par, che nemico infra nemici stai.

(Id. act. II, scen. 4.)

GIOCASTA.

Odi virtù! Pregiar Grecia ti debbe,
Perchè al fratel di te peggior non cedi?
Sublime fin d' ogni tuo voto è dunque 100
Di Tebe il trono? Oh! non sai tu, che in Tebe
Sommo infortunio è il trono? Il pensier volgi
Agli avi tuoi: qual ebbe in Tebe scettro,
E non delitti? Illustre certo è il seggio,
Dove Edippo sedea. Temi tu forse, 105
Non sappia il mondo ch' ebbe figli Edippo? —
Virtude hai tu? lascia a' spergiuri il trono.
Vuoi tu vendetta del fratel? ch' ei venga
In odio a Tebe, a Grecia, al mondo, ai Numi?
Lascia ch' ei regni. — Anch' io, sul soglio nata, 110
Miseri giorni infra sue pompe vane,
Giorni di pianto, ogni più oscuro stato
Invidiando, io trassi. — Oh fero trono!

91. *Non v' hai tu madre*, etc. Phœniss. 477.
101. *Oh! non sai tu*, etc. Phœniss. 646 et seqq.

Digitized by Google

Ch' altro sei tu, che un' ingiustizia antica,
Ognor sofferta, e più abborrita ognora? 115
Mai non t' avess' io avuto, onor funesto!
Ch' io non sarei madre or d' Edippo, e moglie;
Ch' io non sarei di voi, perfidi, madre.

POLINICE.

Mortalmente mi offendi. E che? del regno
Minor mi tieni? Ah! non è, no, il mio fine 120
Il crear legge ogni mia voglia, il farmi
Con finto insano orgoglio ai Numi pari;
Non è il mio fin, benchè regnar si appelli.
Se in me virtù nei lieti dì non vana
Parola ell' era; or, negli avversi, sappi 125
Ch' io più cara la tengo. Adrasto in Argo
Scettro m' offre: se regno io sol volessi,
Già regnerei.

GIOCASTA.

Più che ottenere il regno,
Dunque abbi caro il meritarlo, o figlio.
Spero, l' avrai; ma pur, s' ambo c' inganna 130
Il tuo fratel, di chi è l' infamia, dimmi;
Di chi la gloria? A mie ragioni, ai preghi,
Al pianto mio, deh! cedi; al pianto cedi
Della infelice patria tua: vorresti,
Pria che in Tebe regnar, distrugger Tebe? 135

(Id. act. III, scen. 3.)

POLINICE.

Eteócle di Tebe a uscir si appresta?

GIOCASTA.

Che sento? A danno nostro, ad onta tua
Udirti ognor degg' io pace negarmi,
O non volerla primo? Andrà (pur troppo!)
Lontano anch' egli il tuo germano; andranne 140
Esule, qual ne andasti: a eterno pianto

135. *Pria che in Tebe*, etc. Phœniss. 555 et seqq. 580.
140. *Lontano anch' egli*, etc. Phœniss. 462, 519.

Digitized by Google

Dal ciel, da voi, dannata io son; nè fia,
Che cessi mai. Ten pasci tu, del mio
Pianto materno?.....
.....

POLINICE.

Ove l'incauto
Piede inoltrai? Qual laberinto infame
Di perfidia inaudita! Io quì, tra' miei,
Annoverar deggio i più feri atroci
Nemici miei? — Ma voi, ch' io ascolto; voi,
Che in amica sembianza a me dintorno
Rimiro; oh ciel! chi 'l sa, se in voi si annida
Inganno, o fe? chi 'l sa, se in voi non entra
Il pensier di tradirmi? A me tu madre;
Sorella tu: ma che perciò? son sacri
Tai nomi, è ver; ma son pur troppo in Tebe
Tremendi nomi. A me fratel non era
L'usurpator? Creonte, zio non m' era? —
Ahi dura reggia, ov' io (misero!) i lumi
Alla odiata luce apria! congiunti,
Quanti ne serri infra tue mura infami,
Tutti a me son di sangue; ed io di tutti
Sono il bersaglio pure. Esul tanti anni,
Or mi ritrovo in mezzo a' miei straniero:
Ovunque io girí incerto il guardo, (ahi vista!)
Un traditor ravviso. Ogni pietade
E morta qui. Che cerco io qui? che aspetto?
A che rimango? qual più orribil morte,
Che nel sospetto vivermi tra voi?

(Id. act. V, scen. 1.)

GIOCASTA.

O voi, di Tebe
Sovrani arbitri; o voi, d'Averno Numi,
Che più tardate a spalancar gl' immensi
Abissi vostri, ed ingojarne? Io forse,

154. *Ma son pur troppo*, etc. Phœniss. 478.

Digitized by Google

Non son io quella, che ad figliuol mio diedi
Figli, e fratelli?... Ed essi, quegli infami,
Ch' or bevon l' un dell' altro in campo il sangue,
Frutto non son d' orrido incesto? Ah! tutti 175
Siam cosa vostra; tutti. — Oh non più inteso
Fero martíre! io tutti in me gli affetti
Sento di madre, e d' esser madre abborro. —
Ma, che sarà?... Subitamente in campo
Il fragor cupo dell' armi cessò..... 180
Al suon tremendo un silenzio tremendo
Succede... Oh reo silenzio! a me presago
Di sventura più rea! Chi sa?... Sospesa
La pugna han forse... Oimè!... forse a quest' ora
Compiuta l' hanno. — Omai (lassa!) che debbo 185
Creder, sperar, temer? per chi far voti?
Qual vincitor bramar? — Nessuno: entrambi
Miei figli sono. O tu, qual sii, che palma
N' hai colto, innanzi (ah!) non venirmi; trema,
Fuggi, iniquo; si aspetta al vinto intera 190
La mia pietade: ombre compagne a Dite
Noi scenderemo, ad implorar vendetta:
Nè soffrirò la vista io mai di un figlio
Che, sul fratello ancora semivivo,
D' empia vittoria il reo stendardo innalza. 195

172. *Non son io*, etc. Phœniss. 369.
186. *Per chi far voti?* Phœniss. 379.

Excerpta e tragœdia gallica *Étéocle*, auctore Legouvé.

(Act. II, scen. 2.)

JOCASTE.

Croirai-je que toujours tu t'occupas de nous,
Toi qui d'une étrangère es devenu l'époux?
Hélas! ce n'est pas moi qui, mère fortunée,
Allumai pour mon fils les flambeaux d'hymenée,

Digitized by Google

Et d'un lien si cher consacrant les douceurs, 5
T'amenai ton épouse, et la parai de fleurs.

. . . . . .

Si tu m'aimes, mon fils, écoute ma prière.
Hélas! assez de pleurs ont baigné ma paupière;
Modère tes transports; daigne encor retarder
Une attaque où mes fils.....

POLYNICE.

Qu'osez-vous demander? 10
Lorsque de mes soldats, que mon ordre captive,
La valeur dans mon camp s'indigne d'être oisive,
Je pourrais refroidir leur zèle belliqueux,
Et montrer pour mes droits moins d'assurance qu'eux!
Je paraîtrais douter des dieux et de ma cause! 15
Eh! pour qui ces égards que Jocaste m'impose?
Pour un usurpateur qui m'accable et vous perd.
Faut-il vous retracer tout ce que j'ai souffert?
C'est peu de m'être vu chassé comme un coupable,
C'est peu qu'avant qu'un roi m'ait paru favorable, 20
Des peuples insolens, de lâches souverains,
M'aient fermé leurs états, aient ri de mes chagrins;
Souvent dans les forêts, ou sur les monts sauvages,
Il m'a fallu des airs supporter les outrages,
Dans les humides nuits sur des rocs me coucher, 25
Combattre les lions, contre eux me retrancher,
Mendier, l'œil en pleurs, ma triste nourriture,
Ou des vils animaux disputer la pâture:
Voilà, voilà les maux qu'Étéocle m'a faits;
Et vous me commandez d'oublier ses forfaits! 30
Vous plaignez l'oppresseur, et non pas la victime!

JOCASTE.

Sans doute il te ravit un droit trop légitime.
Cent fois de mon reproche il se vit accabler:
Mais s'il est criminel, veux-tu lui ressembler?
Ce sont les seuls Thébains, et non un roi parjure, 35

6. *T'amenai ton épouse*. Phœniss. 505.
16. *Eh! pour qui*, etc. Phœniss. 588 et seqq.
21. *Des peuples insolents*, etc. Phœniss. 373, 587.

Digitized by Google

Que ton aveuglement punit de ton injure.
Ce peuple infortuné doit être un jour le tien:
Prélude à ton empire, ose être leur soutien;
Que ta haine en leur sang ne soit point assouvie.

(Id. act. III, scen. 2 et 3.)

ÉTÉOCLE.

La puissance! combien mon ame en a joui! 40
Qui peut voir à ses pieds, sans en être ébloui,
Des milliers de sujets, prodiguant leurs services,
Deviner ses desirs, adorer ses caprices,
D'un encens éternel enivrer son orgueil,
Et briguer en tremblant la faveur d'un coup d'œil? 45
Voilà ce qu'un rival à m'enlever aspire;
Plutôt mourir cent fois que de quitter l'empire.
Me siérait-il, instruit dans l'art de gouverner,
De recevoir des lois où l'on m'en vit donner?
. . . . . .
Le sceptre! ne crois pas que l'on puisse le rendre. 50
Tu saurais, si ta main pouvait un jour le prendre,
Qu'ébloui de l'éclat dont il doit revêtir,
Une fois sur le trône, on n'en veut plus sortir,
Que pour s'y conserver on sait tout entreprendre,
Et qu'on aime encor mieux en tomber qu'en descendre. 55
Je n'en descendrai pas. Tu vois nos tours, nos forts;
Tous les Thébains armés y bravent tes efforts.
Ils sentent, leur valeur le fait assez connaître,
Que si tu m'as fait roi, c'était pour toujours l'être.
Cours donc à mes soldats, cours opposer les tiens; 60
Fais marcher tes drapeaux, tes chars contre les miens.
Quelle que soit l'armée à ta cause asservie,
Tu n'auras le pouvoir qu'en m'arrachant la vie.
Ce n'est qu'avec le jour que je puis le quitter.
Je règne; j'ai le trône, et prétends y rester. 65
. . . . . .

37. *Ce peuple infortuné*, etc. Phœniss. 558, 581.
47. *Plutôt mourir cent fois*, etc. Phœniss. 651, 662.

Digitized by Google

JOCASTE.

Faut-il, pour être heureux, porter un diadème?
Et quel trône, d'ailleurs, brûles-tu d'occuper?
Celui que tant de fois la foudre vint frapper,
Le trône si glissant des tristes Labdacides?
Vois Laïus en tomber sous des mains parricides; 70
Vois son fils, que les dieux rendirent criminel,
Y régner dans l'inceste et le sang paternel:
Peux-tu donc disputer, trop plein de tes outrages,
Un écueil, que des tiens ont blanchi les naufrages.
Fuis plutôt, mon cher fils, fuis ce rang dangereux: 75
Tremble d'y rencontrer un précipice affreux.
L'hymen, du roi d'Argos t'assure l'héritage;
Sache te contenter de cet heureux partage.
Chez ces peuples, d'avance à t'obéir tout prêts,
Emporte des Thébains l'estime et les regrets. 80
Laisse Thèbe, et le sceptre, et le crime à ton frère;
Cède aux vœux, cède aux pleurs, cède aux cris de ta mère;
Je me jette à tes pieds.

(Id. act. IV, scen. 6.)

ŒDIPE.

De mes persécuteurs je suis donc entouré!
Qu'on me rende au cachot d'où l'on m'a retiré. 85
Je préfère l'horreur que ses voûtes m'inspirent,
A l'air empoisonné que deux monstres respirent.
. . . . . .
. . . . . .
Que m'importe à présent le remords qui vous presse!
N'avez-vous pas, trois ans, enchaîné ma vieillesse?
Vos cœurs, vos cœurs d'airain n'ont-ils donc pu juger 90
Tout l'excès des douleurs où vous m'alliez plonger?
Sanglant d'un parricide, et souillé d'un inceste,
Triste, vieux, mort d'avance à la clarté céleste,

67. *Et quel trône d'ailleurs*, etc. Phœniss. 646 et seqq.
93. *Mort d'avance*, etc. Phœniss. 36, 47, 95, 114.

Digitized by Google

Qui plus que moi jamais, dans son fatal ennui,
Eut besoin de sentir tous les siens près de lui, 95
D'appuyer sur un autre et ses maux et ses craintes,
Et d'entendre une voix qui s'unît à ses plaintes;
Mais me ravir ce bien! mais trois ans près de moi
Ne placer que l'horreur, le silence et l'effroi!
Vous avez mis tous deux ce comble à ma misère; 100
Et vous croyez fléchir la vengeance d'un père!
Allez dans ce cachot où l'on me vit traîner;
Ce cachot vous dira si je puis pardonner.
Errant, abandonné dans sa nuit solitaire,
Je pleurais, je hurlais, je rampais sur la terre, 105
Je déchirais les murs, j'arrachais mes cheveux,
Et d'imprécations je fatiguais les dieux.

POLYNICE.

Ils vous ont entendu.

OEDIPE.

Les dieux! que veux-tu dire?

POLYNICE.

Mon complice.....

OEDIPE.

Comment?

POLYNICE.

Il m'a ravi l'empire;
Il m'a chassé de Thèbe : aux armes j'ai couru; 110
Et deux peuples pour nous ont déja combattu.

OEDIPE.

Se pourrait-il? la guerre.....

POLYNICE.

A signalé nos haines.
Mais c'est encor trop peu pour expier vos chaînes:
Dans nos flancs déchirés adressant mieux nos coups,
Nos parricides bras vont se lever sur nous. 115
Ah! lorsqu'un de vos fils va perdre la lumière,
C'est l'instant du pardon, et non de la colère.
Cédez au repentir dont ce cœur affligé.....

OEDIPE.

Quoi! l'un contre l'autre...

Digitized by Google

ÉTÉOCLE.

Oui.

OEDIPE.

Je suis enfin vengé.

ÉTÉOCLE.

Oui, nous versons le sang dont nos mains sont avides. 120

OEDIPE.

Euménides.....

POLYNICE.

Grands dieux!

OEDIPE.

Fatales Euménides,
A qui de Labdacus tout le sang est soumis,
Voilà, voilà l'instant que vous m'avez promis.
.....
Jupiter, jusqu'à toi ma voix est arrivée;
Jupiter, prends ta foudre aux méchants réservée. 125

ÉTÉOCLE *à Polynice.*

Viens donc.

POLYNICE.

Où suis-je?

OEDIPE.

Et vous, vous, Até, Némésis,
Dieux de sang, dieux de mort, dieux dignes de mes fils,
Toi, Mars, qui dans leur sein as versé ta colère;
Toi, plus terrible encore, ô Laïus, ô mon père,
Vengez sur leurs auteurs les maux que j'ai soufferts. 130
Saisissez ces ingrats que je voue aux enfers.
Voilà, cruels, quels dieux au combat vous attendent:
Tisiphone, Mégère, Alecto vous demandent.
Allez, sous leurs regards, brisant tous vos liens,
Achever un forfait aussi noir que les miens. 135

135. *Aussi noir que les miens.* Phœniss. 287, 297, 332 et seqq.

Digitized by Google

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC PRIMO VOLUMINE TERTIÆ PARTIS SENECÆ CONTINENTUR.

Præfatio novi Editoris ix

J. Lipsius Franc. Raphelengio Fr. F. Plantiniano S. D. ..... xxj

Dan. Heinsii de Tragœdiarum auctoribus Dissertatio ..... xxvj

Johannis Isacii Pontani de auctoribus Tragœdiarum ad V. Cl. Petrum Scriverium Prolegomenon xxxix

De Annæo Seneca uno Tragœdiarum quæ supersunt omnium auctore. (A Joanne Georgio Carolo Klotzsch.) ..... xlvj

De Tragœdiis Senecæ historica et critica Dissertatio, auctore Iacobs, in gymnasio Gothano professore ..... lvij

Hieronymus Avantius Veronensis de generibus carminum apud L. Annæum Senecam Tragicum cv

Georgius Fabricius Chemnicensis de reliquis carminum generibus ..... cxj

Notitia literaria de Tragœdiis quæ sub L. Annæi Senecæ nomine feruntur, ex Jos. Alb. Fabricii

Digitized by Google

Bibliotheca Latina, a Jos. Aug. Ernesti auctius edita, lib. II, cap. 9 cxxx
Index editionum Tragicorum latinorum emendatior et auctior Fabricio-Ernestino in quatuor ætates digestus cxxxv
De L. Annæo Seneca testimonia auctorum ac judicia cliv
L. Annæi Senecæ Hercules furens 1
Dramatis personæ 2
Actus primus 3
Actus secundus 25
Actus tertius 72
Actus quartus 109
Actus quintus 135
Novæ de varietate lectionum in Herculem furentem Animadversiones 158
L. Annæi Senecæ Thyestes 211
Dramatis personæ 212
Actus primus 213
Actus secundus 233
Actus tertius 255
Actus quartus 280
Actus quintus 311
Novæ de varietate lectionum in Thyestem Animadversiones 333
L. Annæi Senecæ Phœnissæ 369
Dramatis personæ 370
Actus primus 371
Actus secundus 404
Actus tertius 410
Actus quartus 419

Digitized by Google

Novæ de varietate lectionum in Phœnissas Animadversiones 441
L. Annæi Senecæ Thebais, per Henricum Chifellium, Antuerpiensem, publ. in almæ urbis gymnasio eloquentiæ professorem, chori totius, et quinti actus adjectu suppleta 469
Notæ in Supplementum 481
Excerpta e Tragœdia italica, cui titulus est *Polinice*, et e gallica, quæ inscribitur *Étéocle*.. 484

FINIS PRIMI VOLUMINIS TERTIÆ PARTIS SENECÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google